Ruprecht
Flora Ingrica
1860

FLORA INGRICA

SIVE

HISTORIA

PLANTARUM GUBERNII PETROPOLITANI.

AUCTORE

F. J. RUPRECHT,

M. D., ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARUM PETROP. SOCIO ORDIN., MUSE BOTAN. ACAD. DIRECTORE, AUGUSTISSIMI ROSSIAE IMPERATORIS A CONSILIIS STATUS, ORDINUM ST. ANNAE ET ST. STANISLAI II. CLASS. EQUITE.

VOL. I.

PETROPOLI 1860.

Petropoli apud Eggers et soc. **Rigae** apud Sam. Schmidt. **Lipsiae** apud Leopoldum Voss.

2 Rub. 65 Cop. = 2 Thlr. 28 Ngr.

Consensu Academiae impressum.

C. Vesselofski,
Academiae Secretarius perpetuus. Mens. Maj. 1860.

TYPIS ET SUMPTIBUS ACADEMIAE IMP. SCIENT. PETROP.

Ratio operis.

Cognitionem plantarum Ingriae, gubernii Petropolitani propemodum hodierni, praecipue vero metropoleos ejus, omni ex parte excolere, faciliorem reddere et inter herbarios doctos divulgare, propositum est hujus operis.

Deest ejusmodi liber, postulationibus temporis nostri satisfaciens. Non sine longa haesitatione, desideriis quotidianis commotus, opus tale auctor suscepit. Opus celeberrimum Ledebourii, Floram Rossicam illustrans, ex quo quidem plantae Ingricae seligi possent, non habita ratione pretii et voluminis, interpretationibus perversis et fontibus spuriis, nimis erroneam Florae nostrae imaginem praebet, quod ipsum exspectandum erat in intentione laudanda quidem, sed humeris exercitatissimis superiori. Enumeratio stirpium agri Petropolitani, a b. Weinmann a. 1837 edita, locuples quidem est, atque Phanerogamos et Cryptogamos omnium ordinum respiciens, sed nullibi characteres plantarum exhibet et jam dudum apud bibliopolas non prostat. Ex illo etiam tempore multa nova accesserunt, partim in Supplementis a. 1845 et 1853 editis consignata, partim traditione non scripta inter bota-

nicos Petropolitanos nota aut non satis fixa et examinata. Non pauca insuper restant dubia vel erronea vario tempore et a variis auctoribus proposita, quae hoc loco refutari debent. Notitias hasce innumeras fere et undique dispersas in unum colligere librum, volumine suo sub excursionibus idoneum et contento suo utilem non solum phytophilis nostris, sed etiam exteris quacumque ratione explicationem quaerentibus, in animo auctoris erat. Idioma latinum seligitur ad imitationem praeclaram plurimorum hujus generis librorum, a botanicis variarum gentium conscriptorum. Omnis fere literatura botanica trium et quod excedit saeculorum huic innititur linguae, quae adhuc aptissima censetur operibus botanico-systematicis. Terminologia latina magis exculta et definita, simplicior, lucidior et elegantior est, quam ulla alia; praecipue vero in expositione et etymologia nomenclaturae hodiernae graeco-latinae, ab omnibus herbariis receptae, ea careri non posse, facile intelligitur. Solum ad designationem locorum quorundam natalium minus apta videtur. Tamen vix aliquid damni exinde oriri, tanto magis persuasum habet auctor, quanto libentius sermone simplici, etiam minus exercitatis intelligibili scribere studuit.

In ordinandis plantis hujus operis selectum fuit systema naturale, utplurimum cum mutationibus, a De Candollio in Prodromo suo re-

ceptis et a multis, speciatim Koch in Fl. Germanica et Ledebour in Fl. Rossica adoptatis. Tamen exemplo praeclaro aliorum familiae nonnullae aliter collocatae sunt, v. g. *Euphorbiaceae* cum *Camarinneis (Empetreis)* inter Polypetalas Thalamanthas, *Lentibulariaceae* inter *Primulaceas* et *Scrofulariaceas; Labiatae Borragineis* propius admotae et s. p.

Vegetatio cujuscumque terrae limitibus arctioribus circumscriptae vix quidem imaginem veram systematis naturalis praebere potest; tamen facile evincitur, etiam in sic dictis Floris specialibus hac ratione stirpes ordine meliori positas esse, quam ope ullius systematis artificialis. Praeterea fragmentum systematis naturalis, quale vegetatio Ingriae exhibet, saltem introductionem in cognitionem illius sistit, quod ipsum incompletum et lacunis refertum est. Absoluto opere clavem systemati Linnaeano adaptatam ad usum faciliorem tironum addere, e re erit.

Familiae plantarum in praesenti volumine continentur 50, restant 45. Exponuntur illarum characteres, affinitates et differentiae, qualitates generatim, usus in specie, saltem possibilis. Dolendum, characteres familiarum nostra aetate nimis vagos evasisse additis sensim sensimque generibus anomalis; nonne melius fuisset, hisce in casibus characteri typico simul nomen generis in concreto adjungere? Observationes his-

toricae circa nonullas familias majores earumque dispositionem sub *Cruciferis*, *Umbelliferis* et *Compositis* reperiuntur.

Genera exhibentur 192, restant c. 180. In exponendis characteribus eorum brevitati studuit auctor. Inquiritur cujuslibet generis etymologia quousque botanico licet, exponuntur prima forsan vice incunabula et evolutio ideae genericae. Etymologiam primitus alio indagare modo, quam toto adhibito apparatu literaturae botanicae, impossibile. Opera tantum herbarii versati etymologia ad illam perducitur metam, qua demum philologis ex professo tradi debetur. Modo inverso res tantum erroneae aut ridiculae enasci possent, cujus exemplum «*lappula incantatoria*», insons herba, *Circaea* hodie appellata, quae minime est genuina *Circaea*, planta revera veneno plena.

Species hic editae 402, restant exhibendae circiter 410. Subspecies et varietates non numerantur, sed ubique respiciuntur, dummodo in Ingria observatae. Nullibi diagnosibus praescriptis auctor sese accommodavit. Schemata literaturae hodiernae generatim nimis longa, essentia nimis exigua. Haec pars botanices descriptivae penitus reformationis indiget. Characteres specierum constantissimos et facilius observandos, nec non differentias ab affinibus praeponere rectius videtur. Diagnoses et descriptiones specierum in monographiis aliae sunt, quam in Flora

Ingrica; excludenda enim erant omnia specimina extranea, ut imago localis evidentius adpareret. Adsunt formae in loco et sub cultura non mutabiles, v. g. *Epilobium collinum* Gmel. non est varietas *E. montani*, *Galium agreste* Wallr. non est varietas *G. Aparines*. Natura magis respicienda est, quam liber, etiamsi auctoris celebratissimi.

Icones specierum per saeculum editae in libro utilissimo cel. Pritzel (Icon. botan. index ad a. 1854 usque) inveniuntur, quare rarius hic citantur.*)

Synonymia antiquior specierum ex tempore Halleri nimium neglecta. Solus fere Wallroth et Tausch, inter vivos cel. Fries et alii pauci synonyma critica veterum respiciunt. Plurimi vero despiciunt et initium cognitionis specierum Linnaeo tribuunt, ante quem literaturam nul-

*) Si quis velit sibi comparare Icones Florae germanicae (melius Europae mediae dicendae) a cel. Reichenbach editas, sc. Voll. I—XIX cum tabb. 2158, quarum centuria apud bibliopolas venalis prostat pretio 8⅓ thalerorum, color. 15 th. (oblata olim fuit editio vilior ex parte tantum fucata pro Centur. 5 th?) — plurimas habebit plantarum Ingriae icones easque utplurimum praecipuas. Minoris pretii, sed interdum satis bonae figurae xylographicae extant in operibus patrum, quarum praecipuae in Fl. Ingrica de novo examinatae et citatae sunt. Fuchs, histor. stirp. 1542 (apud bibliopolas Germaniae 2½—3½ th.), Tragus, stirp. German. 1552 (rarius) — Dodonaeus, Pemptades 1583 (2 th.), Mathiolus, Comm. in Dioscor. 1554 (edit. 1560 et 1583: 2 th.), Clusius, stirp. Pannon. 1583 (1— ½ th.), Lobelius hist. et advers. 1576 (6—7 th.), Ejusd. Eicones stirp. cum fig. 2191 (2 th.), Tabernaemontanus, Eicones 1590 (rarius). Excusent lectores versati responsum ad interrogationes saepius auctori factas, in libello hoc forsan quaesitum. Linnaeo quidem judice herbarium praestat omnibus iconibus.

lam agnoscunt, nisi mortuam et inutilem. Verum tamen inter herbarios meliores satis constat, longe plurimas species Linnaei jam dudum in scriptis ante eum ab aliis editis tractatas et non raro melius expositas fuisse. Idem de generibus multis affirmari potest. Nonne interest scire, quis primus omnium plantam quandam verbis definitis vel figura illustraverit? Pinax C. Bauhini ordine systematico (proprio) omnia fere synonyma plantarum ad a. 1623 cognitarum continet, sed ex comparatione modo levi cognitionis plantarum illo et nostro tempore facile intelligitur, quam erronea sit synonymia Pinacis et quanta cum circumspectione in usum vocanda. Synonyma sequentium 130 annorum usque ad introductam nomenclaturam Linnaei in edit. I Spec. plant. magnopere dispersa et pars tantum scripta Linnaei intravit. Apud Linnaeum saepissime immixta synonyma erronea, diagnoses et descriptiones ejus non semper sufficiunt ad species agnoscendas et in variis editionibus contradictiones occurrunt. Quamquam cura posteriori botanicorum, praesertim Sueciae, species patriae Linnaei posthac dubiae factae utplurimum explicatae fuerint, tamen relicta sunt adhuc varia spicilegia, quibus peracta revisione textus Linnaeani opiniones hodie regnantes mutantur. Inprimis hoc accidit in forma speciei typica hodie recepta, quae Linnaeo non typica erat, sed varietas. Textum variarum edi-

tionum ad cognitionem systematicam plantarum spectantium, in Codicem utilissimum collegit cel. Richter et uno volumine (pretio nunc 3—3½ th.) edidit. In usu hujus Codicis autem sequentia caute respicienda sunt: 1) saepius omissae sunt species Linnaei Filii et imo patris postumae (vide l. c. p. XXXI); 2) semper omissa sunt loca natalia specierum in Flora Suecica Linnaei allata, nequaquam superflua; 3) Etymologia generum in Horto Cliffortiano sive in Flora Lapponica data frustra in Codice quaeruntur, quare in casibus singulis criticis ad opera Linnaei originalia confugiendum est. Comparandae etiam sunt Car. Linnaei Epistolae ad Nicolaum Jos. Jacquin, posthac (1841) a Schreibers et Endlicher editae. Praecipua in elaboratione Florae Ingricae cura fuit, cuncta haec rite perpendere et synonyma omnia seligere, quae pro cognitione cujuscumque speciei et nomenclaturae ejus aliquid valoris habent vel promittunt. Recta synonymia est plus quam dimidia stabilita nomenclatura.

Nomenclatura Florae Ingricae interdum ab hodierna discedit ideoque sine dubio a multis acerbe vituperabitur, qui forsan laudarent, si ipsi haec studia proprio marte tentassent. Eo magis igitur oportet, de hac re paulo uberius loqui et principia in hoc opere adhibita exponere.

Idem reapse quidem est, si planta quaedam v. g. *Hippuris* nominetur vel *Limnopeuce*, vel si

horum loco phrasis «*Equisetum palustre Linariae scopariae foliis*» substituatur; cognitioni hodiernae organisationis ejus ne iota quidem additur aut demitur. Fuerunt, qui majora emolumenta promiserint, si loco nomenclaturae hodiernae combinationes vocabulorum aut formulae mathematicae characteres plantarum exprimentes ponerentur. Diu species singulorum generum numeris designabantur, etiam post Linnaeum, v. g. ab Hallero et Gmelino; nec recentiori tempore repudiatur, ante nomen genericum vel triviale speciei numeros ponere, v. g. Carex 11 vulgaris Fries Nov. Fl. Suec. Mant. III (1842) p. 153; in Flora Ingrica, exemplo aliorum operum, omnes species suis numeris insigniuntur, quod in citandis, inveniendis et ordinandis plantis saepe utile. Itaque schema nomenclaturae regnantis non est omnino necessarium. Inde vero non sequitur, nomina ab herbariis trium et quod excedit saeculorum omniumque gentium recepta, rejicienda esse; multifaria eorum utilitas: originem classicam in memoriam vocant, historiam botanices illustrant, characteres plantarum, utiles aut noxias qualitates etc. indicant. Si vero huic scopo contradicunt, si errorem manifestum involvunt et propagant, plus nocent, quam prosunt. *Asclepias syriaca* et *Jasminum azoricum* patriam absolute falsam indicant, *Malva mauritiana* potius *mauritanica* est, *Quercus mongolica* potius *mandshurica*, *Lobelia syphilitica*

potius *antisyphilitica.* Medici quidam putant loco «*nucis vomicae*» legendum esse «*nucem tetanicam*»; sed nomen tantum germanicum (Brechnuß) erroris ansam praebere potest, non latinum; nam vomica non a vomere, sed idem est ac ulcus, unde adjectivum tropice pro «nociva» (Giftnuß).

Apud Graecos et Romanos plantae saepissime tantum unico nomine insigniebantur, id quod in idiomate vernaculo plurimarum gentium videmus. Plantae similes vel diversae ejusdem nominis saepe adjectivis adpositis distinguebantur v. g. *majus* et *minus*, *purpurea* et *lutea.* Ejusmodi nomina e vocabulis 2 composita in libris botanicis patrum non tam rara sunt, quam creditur. Aucto sensim specierum numero necesse erat, vocabulum tertium, quartum et s. p. addere, usque dum tempore Halleri et jam prius nomina plurimarum plantarum fere abolita aut in phrases intolerabiles mutata sunt. Sic v. g. *Lysimachia vulgaris* L. initio erat *Lysimachion* apud Ruellium 1536 vel *Lysimachia* apud Tragum 1552, Matthiolum 1554 aliosq. = *Lysimachia lutea* apud Fuchs 1542 et plur. (nam habuit jam *Lys.* aliam *purpuream* s. *Epilobium hirsutum* L.) — posthac *Lys. lutea major* apud C. Bauh. 1623 et pl. (propter speciem minorem s. *Lys. punctatam*, et aliam *bifoliam flore globoso* i. e. *Lys. thyrsifloram* etc.) — postea: *Lys. lutea major vulgaris* apud Parkinson p. 544 — tandem *Lys.* foliis lanceolatis racemo composito termi-

nali, apud Linné 1737—1745, aut *Lysimachia* foliis ovato-lanceolatis, floribus ad summos ramos spicatis Haller 1742, aut *Lys.* paniculata, racemis terminalibus J. G. Gmelin 1769. Tandem Linnaeus a. 1753 ad nomina 2, genericum et specificum rediit, in quo perficiendo sane felicissima cogitatione perductus fuit, cujus schema forsan magis in Flora ejus Lapponica 1737 (ubi nomina trivialia quaedam tentata fuerunt), aut apud Rivinum quaerendum, quam apud patres. Linnaeus reformationem hanc adeo necessariam non primus excogitavit, sed genio suo ideam pristinam non ubique satis claram et definitam divinavit et restauravit. Emolumenta nomenclaturae propositae adeo aperta, ut innovatio haec brevi tempore consensu et applausu omnium fere aequalium (citra Hallerum) excepta fuerit, nulla ratione habita modi saepe arbitrarii in specialibus. Tanta erat eo tempore necessitudo, tanta auctoritas Linnaei!

Erronea esset opinio, veteres nulla habuisse nomina plantarum generalia et specialia. Nonnullae species Linnaeanae eodem nomine et sensu ante saeculum unum alterumve jam aderant. Genera non primus stabilivit Linné, nec Tournefort, sed jam Rajus (inventor systematis naturalis Jussiaei) si non C. Bauhinus, et idea satis clara et naturalis nonnullorum jam apud Clusium obviam venit, licet hoc absque formalismo posthac tantopere adorato.

Haud affirmari potest, Linnaeum ipsum regulis nomenclaturae binariae suae stricte addictum fuisse; *Veronica Anagallis aquatica*, *Solidago Virga aurea*, *Adiantum capillus Veneris* et pl. contrarium probant. Varietates ejus, quae saepe species propriae sunt, tribus nominibus exprimuntur. Saeculum et ultra post iteratam introductionem nominum trivialium elapsum est et nomenclatura hodierna iterum ultra modum praescriptum extenditur; v. g. *Acinos acuminatus* nunc scribitur: *Calamintha (Acinos) patavina β. acuminata*.

Quamquam Linnaeus ipse plurimas regulas generales nomenclaturae dederit, tamen saepius in stabiliendis nominibus lapsus est. Praecipuus errorum fons erat studium incompletum historiae plantarum specialis, qua in re Hallerus sane multo major erat. Si patres magis aestimasset et synonymiam eorum attentius respexisset, nomenclatura nobis tradita fuisset multo correctior. Pro plurimis speciebus nomina trivialia sua festinanti calamo ex C. Bauhini pinace deprompsit, in quo opere, immensi sane laboris, non semper nomina completa exhibentur, neque ordo chronologicus stricte servatur; C. Bauhinus magis systema quoddam completum concinnare et synonyma methodice secundum genera et species (sic!) proponere voluit, quam variationes nomenclaturae ad minutias colligere, secus enim icones Tabernaemontani et edi-

tiones ambas Gesneri de collectione stirpium dilgentius excerpsisset, nomina discrepantia e variis editionibus Matthioli et Dodonaei contulisset; ignotum quo casu Dorstenius et Renealmius omissus fuerit. In nomenclatura rite elaboranda plus negotii expetitur, quam Linnaeo suppetebat, qui quolibet fere anno opus voluminosum edidit, ut mirum videatur, quantum adhuc citra munus publicum praestitit. Tanta festinatio non sine damno disquisitionis profundioris literaturae esse potuit; in hac palaestra voluntas et patientia requiritur.

Tali modo Linnaeus speciem praeviam tantum nomenclaturae exhibuit, quod ipse confitetur. In praefatione ad editionem I. Spec. plant. 1753 ipsissima ejus verba sunt: «Trivialia nomina in margine apposui, ut missis ambagibus uno quamlibet herbam nomine complecti queamus; haec vero absque selectu posui, quippe quem alius dies poscit!» Addita post aliquot lineas verba «Mutatio horum (scil. nominum) trivialium licet in melius, plus nocet, quam proderit» ad futuram selectam nomenclaturam referenda sunt, quare in editione II^da^ Spec. plant. 1762 Linnaeus ea omisit, bene sentiens contradictionem pristinam sui ipsius! Iste «alius dies» Linnaeo non concessus fuit. Serius in nominibus semel propositis acquievit, ut etiam asseclae ejus et herbarii posteriores, exceptis Haller, Adanson, Scopoli, Mönch et Lamarck, qui saltem

nomina generum nonullorum a Linnaeo nimis arbitrarie et temere mutata ad normam pristinam restituerunt. Ex hoc tempore fere nil accessit ad emendationem circumspectam nomenclaturae, a Linnaeo ipso minime interdictam, imo tacite et aperte exoptatam.

In stabilienda nomenclatura non sufficit ut revertamur ad Linnaeum respectu specierum vel Tournefortium respectu generum (et huic non semper obtemperatum fuit), aut in Cryptogamia ad Hedwigium, Acharium aliosque, sed cuncta respicienda est literatura botanica usque ad incunabula. Respicienda est etiam literatura Graecorum et Romanorum, nisi forte nomenclatura graeco-latina, ab herbariis omnium terrarum recepta et aptissima, deserenda et rejicienda sit. Verum est, apud classicos interdum tantum nomina nuda tradita esse plantarum saepe vulgatissimarum, quarum notas commemorare superfluum censebant, quippe ipsis bene cognitas. Sunt aliae a Dioscoride descriptae quidem pro more veterum quae nunc adhuc dubiis premuntur; restant vero plures diu recognitae, receptae et auxilio disciplinae novae, Geographiae plantarum, corroboratae.

Nonnulla nomina generica perversa propter Linnaei errorem singularem ad nos pervenerunt. Distincto genere quodam, si non illico nomen suppetebat, novum non finxit, sed quoddam prius alio sensu adhibitum, interdum obscurum vel ignotum classicum substituit, cujus in gratiam sibi

regulam quandam de nominibus vacantibus construxit, nixus ut videtur proposito, nomina classica plantarum omnia tali modo conservandi: sic exorta sunt: *Hippuris, Iasione, Cicuta, Empetrum* etc. Praeclare monet Gesner 1561 (p. 215 b.) «mihi, ubi vetera nomina non invenio, aut dubito, nova potius excogitare certa ratione, quam illis temere abuti placet.»

Semper est in votis, ne nomina semel proposita mutentur. Quamdiu nomina ipsa erronea sunt, nomenclatura semper mutationibus obnoxia erit; imo correctis his interdum impossibile erit, nomina quaedam ubique recepta servare; genera enim antiquiora in progressu scientiae non raro dividuntur, imo speciem, quam pro bene cognita habebant, subinde e 2 diversis compositam esse tempus docet. Diu post Linnaeum nomenclatura ejus a plurimis sanctissime servabatur ad detrimentum veritatis usque, tandem necessitas rigorose mutationem poposcit. Quot nomina Linnaeana hodie intacta restant? Quis adhuc Linnaeo ita addictus est, ut nominibus, qualia sunt v. g. *Fumariae bulbosae*, *Myosoti scorpioidi*, *Junco campestri*, *Nymphaeae luteae*, insistat?

Nomina aequalium recipiuntur non semper respectu habito juris prioritatis (ceteris paribus), sed per alias rationes nterdum vix lautas. Hoc etiam valet de nomenclatura vitiosa nobis tradita. Quod hodie, id heri et cras. In scientia et arte error vetustate non confirmatur, vel in ve-

ritatem mutatur. Posteritatis officium est, nomenclaturam debitam restituere et suum cuique tribuere. Justitia nomenclaturae fundamentum; aliud non existit. Quanta vero injustitia esset, literaturam saltem duorum saeculorum futilem et mortuam declarare atque retentis nominibus a Linnaeo nonnisi ad tempus datis, uno quasi ictu interimere. Sed hoc non tam facile est, ut forsan aliqui sibi persuadent. Patres botanici vivunt, opera eorum immortalia sunt et graviter minantur violatam eorum nomenclaturam.

Speciales regulas nomenclaturae statuere, propter exceptiones multiplices, res superflua. Nomina vere dubia intacta maneant. Si vero auctor plantam suam vel figura apta, vel nota quadam characteristica designaverit, hoc sufficiat; haud necesse est, diagnoses aut descriptiones, schemate quodam praescripto factas postulari. Quam laxa principia nomenclaturae nostro sint tempore, tantum unico exemplo illustrare liceat: Koch in Synopsi Fl. Germ. ed. 2 loco *Potentillae salisburgensis* Hänke 1788 vel *P. vernae* L. 1755 (vida Fl. Ingr. n. 198) nomen *P. alpestris* Haller fil. ex *Seringe* (post 1818 edit.) tantum propterea substituit, «quod botanicis nomen (alpestris) gratius (sic!) videatur, licet prioritate non gaudeat.» Merita Kochii, praecipue in detegendis novis specierum characteribus, his non detrectantur, sed centenis botanicis in memoriam vocare liceat, quam fidam habeant nomenclaturam.

Errores semel reperti, sed in opere quamvis praestantissimo repetiti, auctoritatem ejus in oculis aliorum, imo tironum, imminuunt. Et ita in doctrina quacumque, non exclusa nomenclatura. Mutatio quidem schematis praedilecti ingrata est, nova nomina incommoda, etiam si rectius quid substituitur. Sed si nunc jam tot nomina Linnaeana perierunt, operae haud pretium est, de quibusdam residuis litigare, si error quondam commissus reparari potest. Haec omnia sub elaboratione operis ab initio sibi ipsi non ita cognita et clara fuisse auctor confitetur, quare dolet nomenclaturam Florae Ingricae propositae non ubique constantem esse, licet selectus synonymorum et historia conceptus generici ubique rectam viam indicant, ita ut passus tantum restet, i. e. restitutio ipsa in integrum.

Falsa nomenclatura facile inter doctissimos herbarios propagatur, v. g. *Sanicula vulgaris* e Synopsi Fl. Germ. Kochii in Summam vegetabilium Sueciae Friesii irrepsit (Linnaeus *S. europaeam* dixit); in multis libris *Saxifraga minuta* Poll. exstat, sed apud Pollinium non invenitur, verum *S. exilis*. Perversa nomenclatura operum botanicorum etiam in vulgus transfertur, ut plura nomina nunc vernacula et ubique usitata docent. Doctrina ipsa minime honores sibi parabit, si errores in denominandis plantis ab aliis commissi perpetuo repetuntur et ita quasi sigillo sapientiae confirmantur. In con-

tumeliam scientiae vera nomina plantarum melius in officinis et apud gentes barbaras traditione non scripta, quam in libris botanicis servata fuerunt. Δάφνη semper erat Laurus apud Graecos et Romanos et est adhuc δάφνη Neograecorum et Daphiske (cujus flores sunt Daphna) Imeretinorum et Mingreliorum.

Singulare exemplum confusionis doctae suppeditat planta vulgatissima hodie *Syringa vulgaris* appellata (nomen vulgo mire corruptum iu Sirenas) seu genus *Lilac* apud Tournefortium = *Agem Lilac* Persarum teste Cornutio 1635 = *Lillach* Dodonaei (Lillach apud orientales significat deum et est genitivus: dei) = *Lilac* Matthioli 1565, Lobel. J. Bauh. et al. Gens Francogallorum nomen debitum ad hunc diem servavit. *Linnaeus* vero genus et nomen Tournefortii in *Syringam* mutavit, vel propterea quod nomen *Lilac* non placuit vel quia partem tituli generici *Syringa* apud C. Bauhinum efficit, cujus species prima erat *Syringa coerulea Lusitanica* seu *Lilac* Lobel. 1576. Led Lobelius in opere citato aliam juxta depinxit *Syringam: italicam*, fruticem coronarium, *Philadelphum* Athenaei putatum, a Clusio 1576 *Syringa vulgaris* dictam, quae hodie *Philadelphus coronarius* dicitur et Tournefortio typus generis *Syringa* erat. *Syringa* secundum Clusium appellatur a virgarum rectarum longitudine et fungosa interioris medullae copia, qua exempta

fistulae (ἡ σύριγξ—ιγγος) construi possunt, unde germanice Pfeifenstrauch et rossice чубушникъ, пусторылъ (ex tempore Pallasii). Et revera haec omnibus patribus primitus *Syringa* genuina fuit, cui veluti speciem recedentem nonnulli *Syringam coeruleam* s. *Lilac* serius addiderunt, cujus lignum ad fistulas tam facile parandas minime idoneum.

Hic nullis meritis Linnaei obtrectari, eo facilius intelligitur, quo magis haud aliud quoddam opus exstet, in quo nomina Linnaeana magis quam in exhibito defenduntur, siquidem hoc fieri potuerat. Sed res ridiculas non elidere, scientiae aperte nocet; si imo centena nomina ex toto nova excogitanda essent, id fieri deberet. In Flora Ingrica oblata ceterum nova nomina rarissime inveniuntur, verum ubique antiquissima. Opinionibus regnantibus obstare, res sane difficillima est. Si herbarii aliquot meliores conjunctis viribus nomenclaturam, ubi necesse est, emendare studerent, veritas brevi tempore evinceretur et agnosceretur, quae sine hoc diu adhuc contra immensam vim consuetudinis luctari potest. At error facilis. Genius temporis alius est hodie, quam ante saeculum; quod tunc dificillimum erat et fere impossibile, id hodie facili negotio perficitur, si veritas subest. In Prodromo Decandollii pro prima et typica specie Linnaeani generis *Monotropa* restituitur nomen antiquius genericum *Hypopithys* Dill. et jam a pluribus

acceptum videmus id, quod ante decennia aliquot proponere fere crimen fuisset.

Nomina antiquiora generica in casu concreto omnino hodiernis substitui possunt, nam interdum plane eandem plantam vel complexum nonnullarum exprimunt, aut leviter tantum differunt quoad conceptum et ambitum. Principium pro qualibet idea novum nomen fingendi, abstractum est. Si species quaedam nova generi cuidam jam noto additur, idea generis amplificatur, exinde vero necessitas non elucet nomina data mutandi. Sunt tamen, qui aliter sentiant, v. g. Wallroth species 2 Linnaeanas, *Violam tricolorem* et *V. arvensem*, in unam conjunxit et nomen tertium novum pro hac nova idea finxit. Tali jure posthac aliquis genera *Hieracium* et *Crepis* jungere posset et conjuncta novo nomine proponere. Sub ejusmodi reformationibus, etiam multo notabilioribus, nomenclatura jam data typica omnino servari potest et debet. Specialia tantum persistunt, generalia perpetuo mutantur (Fries). Ideas generum fere omnium plus minus tempore mutatas fuisse, literatura docet; vi principii idealis nomina fere omnia aboleri possunt et loco illorum alia et iterum alia nova poni possunt. Quis nostro tempore affirmare velit, genera absolute cognita esse quoad characteres, compositionem et ambitum?

Nomenclatura saepius confunditur cum auctore. Auctor est qui speciem quandam vel ge-

nus primus rite quoad characteres, differentias etc. stabilivit. Exinde autem non sequitur, nomen ab illo propositum rectum esse et accipiendum. Sed de his jam fusius in Algis Ochotensibus ab auctore actum est. Plura jam adparent meliora opera, quae non auctorem nomenclaturae, sed veros auctores plantae indagare student. Idea speciei et generis ad quaestionem de auctoribus pertinet, non ad nomenclaturam, quae disciplina sui juris est.

«Haec est nostra sententia, quam non ideo proponimus, ut cuiquam erroris ansam praebere velimus, sed ut nostro exemplo alios cohortaremur, quo diligentius de stirpibus earumque genuinis nomenclationibus aliquando cogitarent.» Tragus 1552 p. 811.

Restat ut post hanc digressionem ad alias rationes operis transeamus.

Loca natalia non tantum qualitates soli et rationem formationum geognosticarum respicere debent, sed etiam quantitatem individuorum et locos speciales, dummodo proventus rarior suadet. Regiones principales tres in Flora Petropolitana obviae, ubicumque opus est, in censum vocantur. Sed de his sub fine operis fusius agendum est. Signum * generi vel speciei antepositum, proventum spontaneum in dubium vocat. Numerus ( ) inclusus species designat Ingricas, nondum in territorio urbis repertas. Difficile nunc est, limites inter utrasque ponere.

Tempus floris sub climate boreali ad arctiores limites restringitur. Menses alibi plerumque indicantur integri, sed hoc saepe nimis vagum apud nos; necesse erat, inter initium, medium et finem cujuslibet mensis distinguere, ita ut quaelibet pars 10 diebus definita sit. *Cytherea Lapponum (Calypso borealis)* florescentiam suam intra 14 dies vel adeo prius absolvit, ut vix posthac inter centena specimina unum alterumve florens vel modo cum scapo emarcido detegi possit. Indicationes ubique stilo veteri Juliano intelliguntur, qua de re videsis adnotationem infra p. 12. Sed non solum ad tempus florendi attendendum est, verum magis saepe valet tempus maturationis fructuum, fere in omnibus Floris, etiam arctius circumscriptis, omissum, licet nihilominus fixum. Quaedam plantae perennes, inprimis bulbosae et tuberosae ut v. g. *Gagea*, *Capnites*, *Ficaria*, *Moschatellina*, — tempore aestivo evanescunt. Omnes plantae annuae hic vix dimidium annum vivunt, interdum 3 tantum menses. Duratio vitae apud auctores varios varie vel falso indicata. Plantae vere aestivales (sic dictae annuae) in statu silvestri non raro e seminibus delapsis autumno enascuntur et proximo anno florent, tamen toto coelo differunt a genuinis biennibus, quod cultura earum statim patefit; in distinctione harum adeo Koch non raro lapsus est.

Ad dicta phaenomena biologica pertinet determinatio exactior phasis (somnus et vigiliae)

florum, tantum in quibusdam familiis, generibus vel speciebus obvenientis, post Linnaeum neglecta, tempore solstitii pro rei natura sat regularis, sed forte diversa quoad durationem in terris australioribus.

Magni sane momenti pro Flora quacumque speciali est cognitio plena totius literaturae localis. Haec quidem pro Flora Ingrica non tam antiqua, quam potius numerosa et dispersa. Ex anno 1725 Symbolae ad Floram Petropolitanam idiomatis 7 diversis conscriptae et in lucem editae fuerunt. Scripta nonnulla v. g. Deschisauxii, Siegesbeckii et Adamsii summopere rara evaserunt et auctor operis praesentis confitetur, se nondum sibi comparare potuisse: Appendicem (36 pp.) ad Siegesbeckii Primitias Florae Petropolitanae, Rigae 1737 editam, neque unquam vidisse pag. 118—189 (vel ultra) Enumerationis stirpium agri Mosquensis et Petropolitani, auctore Adams. Innotuerunt contra auctori pedetentim manuscripta numero 20 ad Floram Ingricam spectantia, varii voluminis et pretii, inter quae J. G. Gmelini, Ammani, Krascheninnikowi, Laxmanni, Georgii, Sobolewskii, Smjelowskii, H. Mertensi aliorumque. Fontibus his accuratissime exhaustis, examini critico subjectis, pro qualibet specie ordine chronologico dispositis, historia specialis plantarum Ingricarum egregie illustratur. Florae locales literaturam suam plene dilucidan-

tes non parum juvant auctores opera majora concinnantes, qui cum fontibus localibus non adeo familiares esse possunt, ideoque saepe falluntur. Absque praecursoribus fide dignis historia plantarum regionis vastae haud rite scribi potest. Computatio praevia docuit, $^1/_4$—$^1/_8$ partem specierum Petropoli in Flora Rossica Ledebourii adscriptarum erroneam esse.

Herbaria saeculi praeteriti, dummodo exstiterant, fere penitus deperdita sunt; paucissima specimina a Krascheninnikowio et Gmelino sen. vidit auctor sine dubio circa urbem lecta (Sobolewskii vix ulla jam exstant), plura a Kastalskio, Turczaninowio et Weinmannio examinavit, sed nulla fere Prescottii, cujus herbarium Petropolitanum nunc in Museo Oxoniensi asservatur. Tali pacto observationes propriae et spolia, quae spatio 20 annorum ex Ingria retulit ipse auctor, nec non communicationes amicorum qualibet fere plagula citatorum, fundamentum Florae Ingriae recentioris praecipue posuerunt. Cognitionem plantarum vere indigenarum metropolis ad culmen notabile pervenisse, quis est qui infitias iturus sit? Sed regiones Ingriae ab urbe remotiores certe plurima nova adhuc promittunt; ipsa Petropoli mutationes perpetuae vegetationis ad studium invitant.

Propositum auctori erat, operi huic addere mappam botanico-geographicam, onomasticon botanicum Fennicum et Rossicum nec non partem ge-

neralem geographicam, historicam et statisticam. Sed haec ante partem specialem finitam exhiberi nequeunt. Generalioribus assiduus labor specialis remuneratur, qui tunc solum dignitatem illam acquirit, quam per se meretur. Opus non absolutum vile existimatur, labor fere deperditus. Haec ratio auctoris erat, non particulas sed opus integrum et absolutum L. B. tradituri. Sed circumstantiae validiores sunt, quam intentiones singulorum. Ante iter Caucasicum igitur auctor Volumen prius jam diu impressum et paucis exemplaribus distributum, in usum publicum committere debuit et tempore urgente ne correctiones quidem necessarias et additiones numerosas subjungere potuit, quas ideo ad finem voluminis alterius remittere coactus fuit, cujus pars notabilis vel impressa vel schedulis elaborata servatur.

Regni vegetabilis subregnum I:

PHANEROGAMAE.

Organa generationis: 1) Semina i. e. gemmulae in organis ♀ plerumque centralibus (ovariis) evolutae; e vesiculis embryonalibus (fovillâ pollinis) foecundatis et in embryonem tunicis ovuli obductum excrescentibus formatae, post requiem germinatione in plantam novam continue sese evolventes. 2) Antherae i. e. organa peripherica, polline primitus quaternatim conjuncto (tetrasporis) repleta. 3) Antheridia cum spermatozois nulla! Foecundatio fit ope pollinis in stigmate germinantis et utriculum fovillâ repletum usque ad sacculum embryonalem protrudentis. — Plantae saepius hermaphroditae i. e. antheris in peripheria ovariorum et intra integumentum florale e bracteis vel perigonio simplici aut duplici (calyce et corolla). Organa vegetationis inter se distincta: radix, caulis et folia. Fasciculi vasorum in caule semper obvenientes; in classi III (Gymnospermeis) tantum cellulae elongatae porosae conformes.

Classis I: Dicotyledoneae = Phylloblastae.

Embryo cotyledonibus 2, rarissime abortu solitariis, vel (in plantis aphyllis) deficientibus. Germinatio phylloblasta: radicula centralis deorsum crescens et in radicem mutata; plumula intra cotyledones foliaceos oppositos emergens. In fructu, antheris et integumentis floralibus praevalet numerus quinarius (5 + 5); binarius (2 + 2) hebetationem indicat, ternarius recessum ad Monocotyledoneas. Folia saepissime curvinervia; opposita, alterna vel spiraliter sparsa. In lignosis: fasciculi vasorum in annulis concentricis pluribus dispositi; in herbaceis plurimis adest medulla centralis ab annulo s. d. lignoso inclusa et radii medullares; in Umbelliferis pluribus et Apetalarum familiis nonnullis fasciculi vasorum in parenchymate sparsi, singuli tamen novis ambitu accrescentibus indefiniti.

Subclassis I. Polypetalae Thalamanthae.

Petala plura disjuncta cum staminibus thalamo, nec calyci inserta. Calycis sepala libera vel rarissime basi inter se connata.

Fam. I. RANUNCULACEAE.

Charact. differ. Perianthium homomorphum, simplex, aut dimorphum: in corollam et calycem plerumque coloratum discedens, 5- rarius 3—6- vel 4-merum, (excl. *Paeonia et Helleboro)* caducum. Stamina libera ∞. Antherae extrorsae. Ovaria ∞, rarius abortu reliquorum solitaria, placenta tum unilaterali. Carpidia 1—∞ sperma, semina suturae interiori adnata. Embryo intra albumen copiosum minimus. — Herbae ♃ vel ⊙, absque succo proprio colorato. Folia exstipulata, plerumque dissecta et alterna, basi in vaginam semiamplexicaulem saepe dilatata. Flores vel solitarii, vel umbellati, vel racemosi, vel paniculati.

Affinitas. Familia proxima *Dilleniaceis*, antheris introrsis, calyce persistente et toto habitu diversis; speciatim *Paeonia* transitum offert calyce persistente, sed seminibus exarillatis et facie valde differt. *Berberideis* etiam, praecipue *Podophyllo* multum affinis. Quibusdam notis ad *Papaveraceas* et *Nymphaeaceas* accedit, aliquam mentitur affinitatem cum *Umbelliferis* propter vaginas foliorum valde evolutas, cum *Saxifrageis* et *Geraniaceis* habitualem tantum; singularis vero et haud praetervidenda adest analogia cum *Alismaceis* Monocotyledonum trimeriis et exalbuminosis. Ceterum flores similes cum petalis nectariferis apud *Tiliaceas* redeunt et in *Byttneriaceis* saepe calyx coloratus petalorum vices agit.

Ranunculaceis inter familias affines proprium est: indoles saepe ambigua integumentorum floralium; Candollius et omnes fere post eum auctores perianthium homomorphum pro calyce genuino colorato petaloideo explicant, et corollam in plurimis generibus deficientem statuunt. Ex hac ratione, habitu herbaceo et distributione praeponderante boreali-arctica, *Ranunculaceae* forsan immerito locum inter alias Polypetalarum familias supremum, a Candollio assignatum, sibi vindicarunt, propter tribum nobilissimam *Clematidearum* fruticosarum intratropicarum aliquo modo defendendum. Petala singula plerumque basi tubulosa et imo bilabiata sterilem floris compositi flosculum referre, quibusdam visum est.

Qualitates et usus. Fere omnes acres, subvenenatae. Antidotum praestat aqua cum aceto nuptum. Herba recens saepissime rubefaciens, vesicatoria. Principium acre volatile est et exsiccatione aut coctione extinguitur. Radices perennium saepe drasticae vel emeticae. Semina saepe acria, *Nigellae sativae Anisum*, *N. damascenae* fragas redolentia. *Pulsatillarum*, praecipue *pratensis* herba et radix, saporis primum debilis, deinde intense acris et mordacis; fere inodora est, trita tamen acrimoniâ volatili oculos, nares et fauces vehementer irritat; quamdiu recens, virtute acri *Aconitum* antecellit et inter efficacissima therapiae subsidia numeranda. *Anemonarum* nostratium herba vesicatoria, Cantharidibus citius agit. *Hepatica* adstringens est, acredinis expers. *Thalictri*, praecipue *flavi* radix amara, flavicans, olim tinctoria, purgans, sapore primum dulci, deinde acri-amaro. Inter *Ranunculos* acritate insignes: *sce-*

leratus primo loco, *acris*, *Lingua*, *Flammula*. *R. repens* submitis, in jusculis propinari potest. *Ficaria* juvenilis sat acris, tandem aucta in foliis muci et salium quantitate, in radicibus amyli, mitescit. *Batrachia* mansuetiora. *Caltha* subacris, floribus butyrum colore flavo tingitur. *Trollii* herba fere iners. *Aquilegia* vix acris, amariuscula potius et tonico-subadstringens, semina vero acria rubefacientia. *Delphinii Consolidae* herba, magis vero semina, diureticis et anthelminthicis inscribuntur. *Aconitum septemtrionale* venenatum, radix atrocissima, sicca tamen et cocta edulis dicitur, de qua re fusius agit Linné in Fl. Lapp. *Actaeae* s. *Christophorianae* offic. radices drasticae subvenenatae sapore acri amaro; baccae venenatae (Linné), cum alumine coctae atramentum suppeditant.

Conspectus generum indigenorum.

Tribus I. ANEMONEAE.

Perianthium homomorphum (corolla: Linné; calyx petaloideus: Dec.). Foveae nectariferae s. squamae inter perianthium et stamina nullae (cf. tamen *Pulsatillam*). Semen spurie pendulum, anatropum.

I. ANEMONE. Perianth. 4, 5, 6 — ∞ phyllum, involucro ± distante auctum. Receptaculum incrassatum, hemisphaericum vel conicum. Melius forsan in 3 genera dissolvenda; sc.:

§. 1. PULSATILLA. Involucrum e foliolis sessilibus, digitato-multipartitis, campanulato-connatum, uniflorum. Perianth. 6 phyllum. Stylus ovariorum maturantium in caudam longam barbatam elongatus. Glandulae sessiles et pedicellatae inter perianthium et stamina. Folia palmatifida aut pinnatifida.

§. 2. ANEMONE. Involucrum folia caulina terna petiolata referens, 1 — 2 florum. Perianth. 5 aut ∞

phyllum. Folia radicalia saepe nulla, aut 5 partita, aut biternata, foliolis pinnatifidis.

§. 3. HEPATICA. Involucrum calyciforme (sepala 3, rarissime 4, 5 indivisa referens), perianthio brevius eique valde approximatum, uniflorum. Perianthium 6—9 phyllum. Folia triloba.

II. THALICTRUM. Perianth. 4—5 phyllum. Involucrum nullum. Receptaculum minutum disciforme. Folia composita, 2—3—4 pinnata. Dividitur in:

§. 1. TRIPTERIUM. Carpidia stipitata, 3 quetra, non striata, angulis alatis.

§. 2. THALICTRUM (s. str.). Carpidia longitudinaliter sulcata.

Tribus II. RANUNCULACEAE (propriae).

Calyx a corolla distinctus. Petala basi squamâ aucta vel poro nectarifero instructa, inde subbilabiata.

III. MYOSURUS. Cal. 5 sepalus, sepalis basi calcaratis. Petala 5 ungue filiformi; lamina basi foveâ nectariferâ subtubulosa. Stam. saepe tantum 5. Receptac. fructif. valde elongatum.

IV. RANUNCULUS. Cal. 3 vel 5 sepalus. Petala 5, rarius 10. Genus in sequentia subgenera (aliis genera) dissolutum:

§. 1. BATRACHIUM. Carpidia immarginata, transverse striato-rugosa. Petala alba, ungue flava, foveâ nectariferâ nudâ instructa. Plantae aquaticae.

§. 2. RANUNCULUS (s. str.). Carpidia marginata, laevia aut echinata. Calyx 5 sepalus. Petala (in nostris) aurea vel flava, basi squamulâ carnosulâ aucta.

§. 3. FICARIA. A *Ranunculo* (s. str.) solum differt: Carpidiis muticis; calyce 3 sepalo, petalis 9; at sepala interdum 4—5 et petala 8—12.

Tribus III. HELLEBOREAE.

Perianth. subduplex, heteromorphum, externum calycem petaloideum, internum (in *Caltha* deficiens) pe-

tala saepius bilabiata nectarifera referens. Carpidia introrsum dehiscentia, ∞ sperma (nec indehiscentia monosperma, ut in Trib. I et II). Flores in *Delphinio et Aconito* irregulares symmetrici, in reliquis generibus et tribubus regulares concentrici.

V. CALTHA. Perianth. externum 5 sepalum, internum nullum. Capsulae 5—10.

VI. TROLLIUS. Perianth. externum 5—15 sepalum, internum e petalis 5—15 linearibus. Capsulae ∞.

VII. AQUILEGIA. Perianth. externum 5 sepalum, internum e petalis 5 basi calcaratis. Capsulae 5.

VIII. DELPHINIUM. Perianth. externum 5 sepalum, irregulare, sepalo superiori calcarato; internum irregulare e petalis 4 (interdum coalitis), superioribus duobus basi producta calcar internum formantibus. Capsulae 1, 3, 5. Dividitur in:

§. 1. CONSOLIDA. Ovarium 1. Petala 4 in 1 coalita.

§. 2. ⁜ DELPHINASTRUM. Ovar. 3 — 5. Petala 4 libera, 2 superiora calcarata, 2 inferiora medio barbata. (*D. elatum* L. in Livonia et Mosquae spont. indic.; Petrop. saepe in hortis).

IX. ACONITUM. Perianth. externum 5 sepalum, irregulare; sepalo superiori (galea s. cassis) fornicato, 2 lateralibus (alae) orbicularibus, 2 inferioribus oblongis. Perianth. internum e petalis 5, quorum 3 minima saepe in stamina transformata, 2 superiora cucculiformia stipitata, apice saccata, difformia. Capsulae 3—5.

Tribus IV. PAEONIACEAE

a prioribus antheris introrsis diversae; at hic character differentialis, a Candollio exhibitus, jam in Fl. Altaica merito refutatus.

X. CHRISTOPHORIANA. Perianth. dimorphum, regulare, duplex, utrumque 4 phyllum, exterius caducissimum. Ovarium 1, baccatum, uniloculare, ∞ spermum.

I.* PULSATILLA.

De origine et significatione nominis, Graecis atque Romanis adhuc ignoti, varia suspicati sunt; alii ex vernaculo italico (Matthiolus 1558); alii, quod scapi fructiferi leni aura huc atque illuc agitentur et pulsentur (Pena et Lobel. 1570); alii denique, quod pulset initium veris et pascuorum, unde *pulsat-illa* scil. *campana* (Mentzelius 1682 et Helwing), ex nomine germanico „*Kühschelle*“, prius *Küchenschelle*, nam icon antiquissima, ad *Pulsatillam vulgarem* nisi *pratensem* referenda, exstat in Brunfelsio 1530! sub n. „*Kuchenschell*“. Genus ab *Anemone* distinctum et bene limitatum jam apud C. Bauhinum, a Tournefortio agnitum, a Linnaeo iterum cum *Anemone* conjunctum.

1) *P. latifolia* Francus ex C. Bauh. 1620 = *P. Bauhini* Tausch = apud patres semper sub epitheto „*anemones folio*“ C. Bauh., Breyn., Helwing, Amman, Ray, Tournef.

Folia radicalia semper in lacinias tres latas et hae in alias 2—3 fidas minus profunde secta (C. Bauh). Flos maximus, suberectus, patens, plerumque coeruleus. — Varietates indagandae a) foliolo intermedio brevepetiolato, a *P. vernali* diversa foliis ternato-palmatipartitis, in planta tantum deflorata erumpentibus. b) Floribus albis aut pulchre rubentibus. c) Hybrida nisi intermedia: *P. latifolio* × *pratensis;* haec forsan c. Luga.

In collibus arenosis ad „Babia Gora“ primo vere, legit D. Rastedt (Weinm. Petr. 1837 p. 57 n. 385 s. n. *P. patens* Mill.); ipse hoc loco, scil. circa et in monticulo Babii Gon prope Peterhof, unde circiter 10 specimina reportata vidit D. Weinmann, frustra quaesivi. Extra territorium Fl. Petrop. vero, in collibus arenosis inter fluvium et oppidum Luga sat copiose! fine Julii jam seminibus delapsis. ♃.

Obs. 1. *P. patens* Miller = *Anemone patens* L. nomen duxit et partim characteres ex *Pulsatilla anemones folio .... flore dilute luteo! patente* Amman

1739; haec vero ad varietatem nisi propriam speciem, minus adhuc notam, in Europa occidentali haud visam (*P. flavescens* Zucc.?) pertinet; color flavus in floribus Ranunculacearum rarissime in aliam seriem abit.

Obs. 2. Quae in Livonia s. n. *Hackelii* indicatur *Pulsatilla*, haud genuina est; hujus enim flores constanter atro-violacei, in livonica autem, ex herb. C. A. Meyer flores *P. latifoliae* cum foliis 5—7 partito-pinnatis juncti sunt, an *A. Wolfgangiana* Bess.? Inquirenda est in Ingria.

(2) *P. vernalis* Miller = *Anemone vernalis* L. = *P. apii folio vernalis* etc. C. Bauh. 1620.

Folia radicalia pinnata, foliolis ovatis trifidis. Flos magnus, initio nutans, dein erectus, patens, albus, extus subviolaceus.

Ad limites Ingriae pr. Narwa (Boeber ex Georgi 1790 p. 70 n. 340); in montosis circa urbem Narwa m. Majo flor. (Boeber ex Sobol. 1799 p. 127 n. 356 sub *Anemone*). Statio propior, sed extra Ingriam est: Walkjärvi! in isthmo Kareliae, ubi in societate *P. pratensis* et tertiae cujusdam ut videtur ex his hybridae (R. Diatr. Petr. 1845 p. 68, 22); ceterum in Kareliae fennicae jugis arenosis sat vulgaris, v. g. ad viam publicam inter urbes Frederikshamn et Willmanstrand (F. Nylander ex R. Diatr. Petr. 1845 p. 23; W. Nylander Karel. 1850 p. 138). ♃.

Variat ex auctoribus exteris: 1) Foliis villosis et glabris, simpliciter trifidis vel ternato- vel quinato-pinnatis. 2) Flore ex toto violaceo, stramineo vel flavo. Indagandae sunt formae intermediae, sic dictae hybridae. 3) *P. vernali* × *pratensis* (haec circa Walkjärvi? conf. *P. pratensem*). 4) *P. vulgari* × *vernalis* (haec forsan c. Narvam). 5) *P. latifolio* × *vernalis*.

3) *P. vulgaris* Lobel 1581 = *Anemone Pulsatilla* L. = *Pulsatilla* Matth. 1558 = *Herba Sardoa* Dodon. 1553 c. ic.!

Folia radicalia, 2—3 plicato-pinnatifida, laciniis linearibus 2—4 fidis, attenuato-acutis. Flos erectiusculus, connivens vel patens, lilacinus vel dilute violaceus. Flores semper praecoces, folia serotina. — Variat sec. auctores exteros floribus purpureis, coeruleis, rubris, virescentibus, albis, duplicibus et plenis.

Petropoli, ad sylvarum margines, locis montosis apricis, m. Majo flores virginei paulo tantum supra terram eminent et folia tunc parum modo evoluta sunt (Libosch. et Trinius 1811 p. 3, tab. 1; — locus specialis quidem celatur, sed exemplaria Petropoli lecta fuisse, vel ex p. 5. patet, ubi differentiae ratae a *P. pratensi* exhibentur, quam Petropoli deesse definitis verbis affirmant; convenit icon, excepto colore floris atroviolaceo, a pictore minus rite expresso, descriptio enim in his contradicit; *Pulsatillae* generatim, utpote vernales, nimis adhuc neglectae, ut de proventu allato minime dubitandum sit; auctores fidi, quod praecipue *Cytherea Lapponum* testatur, diu in dubium vocata); ad ostium Narowae fluvii in pineto locis aridis copiose et Majo m. flor. (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 85 sub *Anemone Puls.* — singulare, quod Krasch. Hallerum citet, cui *Anemone .... albo flore*). — In Fennia australi, locis calcareis elevatis rarius (Prytz) v. g. pr. Salo, Hauho (Wirzén Pl. offic. Fenn. 1837 n. 173). ♃.

(4) *P. pratensis* Miller = *Anemone pratensis* L. = *Herba venti* (Tragus 1552) = *P. flore clauso* Lobel. 1581, J. Bauh. Raj. Helwing = etiam sub epitheto „*flore nigricante*“ C. Bauh. 1623, Moris. Tourn. Helw., unde = *P. nigricans* Störk 1771 et *officinarum;* neutrum ex his selegit nomen Linnaeus, novumque fecit, ita ut in officinis nomenclatura veterum sanctius servata sit, quam in libris botanicis recentiorum.

Folia radicalia triplicato-pinnatifida, laciniis linearibus. Flos atroviolaceus minor, pendulus, petalis campanulato-conniventibus, apice revolutis.

In collibus arenosis apricis inter fluvium et oppidum

Luga! cum *P. latifolia*, fine Julii m. jam dudum deflorata et imo fructibus fere orba, hinc paululum dubia et florens cum *P. vulgari* conferenda, cui propter lacinias foliorum minus anguste attenuatas dissimilis. Ceterum in isthmo Kareliae non infrequens (W. Nylander Karel. 1850 p. 138) v. g. pr. Pasuri in paroecia Walkjärvi! ubi in societate *P. vernalis* et tertiae cujusdam e divisione foliorum intermediae (R. Diatr. 1845 p. 22 conf. W. Nylander Karel. p. 138, 187). In Esthonia pr. Reval! in Livonia pr. Dorpat! (Bunge Centur. exsicc.), Uddern! (C. A. Meyer). ♃.

I**. ANEMONE.

Ἀνεμώνη Theophr. Hippocr. et Diosc., *Anemóne* Plinii = *A. coronaria, hortensis et apennina.* Nomen a vento, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, quod flos tantum vento flante aperiatur. C. Bauhinus a *Pulsatilla* generice distinxit.

§. 1. Carpidiis lanatis, receptaculo cylindrico.

(5) *A. sylvestris* (I. Clus. 1583) Rupp. Linnè = *A. tertia* Matth. 1562.

Radix fibroso - fasciculata. Folia radicalia palmatim 3—5 partita. Scapus subbiflorus. Perianthium 5 phyllum, album, 6 — 10 lin.

In collibus apricis aut in nemoribus, solo praecipue calcareo. Majo et Junio flor. ♃.

Ad limites Ingriae circa Narwa urbem (specimina recentius lecta vidi in Hb. Kühlewein); ceterum in Esthonia vulgaris usque ad Türsel (Seidlitz) et in gubern. Olonetz pr. Wytegra ipse copiosam reperi (R. Fl. Samoj. 1845 p. 18), sed in ditione Fl. Petrop. nondum observata.

§. 2. Carpidiis pubescentibus glabrisve; receptaculo hemisphaerico.

6. *A. nemorosa* (flore majore C. Bauh. 1623) Linné = *Ranunculus nemorosus albus* Tabern. 1590 = *Ranunculus candidus* Trag. 1552! = *Ranunculi 4 spe-*

cies lactea Fuchs 1542 = *Sanicula minor quorundam* Brunf. 1530.

Flores albi vel extus rosei, 10—16 lin. in diametro. Pedunculi solitarii. Perianthium sub-6 phyllum, extus glabrum; phyllis oblongis obtusis. Carpidia oblonga, apice $^1/_2$ lin. brevi incurvo. Folia involucralia longe petiolata, petiolo folium dimidium aequante vel superante.

In nemoribus, pratis sylvaticis ubique copiosissima, veris tota nuntia est; variis annis flores primi diebus Aprilis 16, 17, 22, 23, 25, imo non prius quam 6 Majo*) observati; flores ultimi adhuc 5 Junio; fruct. matur. fine Junii et initio Julii, posthac tota planta ad radicem usque emoritur. ♃.

Hist. spec. In sylvis ins. Basilii et alibi copiose m. Majo (Amman mss. 1736 n. 77 ex synn. C. et J. Bauh. et Boerh.); nihil frequentius in sylvis insulae cui a Basilio nomen est, sed nec aliis in locis hospes (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 86); in insula Kronstadt (Georgi mss. 1795); ubique ad margines sylvarum et inter frutices, atque in insulis Basileensi, lapidea et apothecaria! frequentissima est, m. Majo (Sobol. Petr. 1799 p. 128, n. 358; edit. ross. I. 1801 p. 381 n. 370); in locis umbrosis sylvaticis, fruticetis etc. flor. Aprili et Majo (Libosch. et Trin. 1811 p. 50 tab. XVII); in sylvis et dumetis frequentissime primo vere (Weinm. Pawl. 1824 p. 259); ubique (Turcz. 1825 n. 345); abundat in sylvis, dumetis, locis graminosis, primo vere (Weinm. Petr. 1837 p. 58 n. 386). — Forsan jam a Deschisaux 1725 Petropoli observata, sed p. 9 tantum vage indicata s. n. „*Ranunculus phragmites flore simplici*".

Varr. indagandae: 1) flore sulfureo, forsan proles hybrida, an sterilis?, ex *A. nemorosa* et *ranunculoide*, characteribus inter ambas fluctuans; primum circa Lipsiam inter parentes inventa = *A. ranunculoidi* × *ne-*

---

*) Stylo veteri, in totâ Ingriâ usitato, ita ut 12 dies addendi sint, ut Calendarium exterorum referat; ita etiam florendi et fructificationis tempus omnium plantarum Ingricarum intelligendum, ut v. g. pro initio Junio, exteri legant medio Junio.

morosa Kunze apud Rchb. = *A. nemorosa* γ. *flava* Peterm. = *A. intermedia* Winkler. Etiam Petropoli a D. Borszczow inter parentes per 3 annos sterilis observata fuit proles similis habitu *A. ranunculoidis*, sed floribus stramineis, petalis 6—7 et pedunculis interdum unifloris recedens. 2) Floribus lilacinis (Mosquae sec. Mart.). 3) Floribus valde minutis. 4) Floribus magnis semiplenis, 9—13 petalis.

7. *A. ranunculoides* L. = *Anemone-ranunculus fl. luteo* Dillen. = *Ranunc. sylvestris luteus* Trag. 1552 = *Ranunculi 4 species lutea* Fuchs 1542.

Flores lutei, 7—10 lin. in diametro. Pedunculi subgemini (2—4). Perianthium sub-5phyllum, extus pubescens, phyllis ovalibus leviter emarginatis. Carpidia ovata, apice longo rectiusculo, altius uncinato-reflexo. Folia involucralia breviter petiolata; petiolus folio multoties brevior.

In iisdem cum *A. nemorosa* plerumque locis habitat, sed non tam copiosa est et paulo serius floret; fructifera initio Junii m., medio Junio jam fructus delapsi et paulo post ad radicem usque emoritur. ♃.

Hist. spec. In sylva insulae Basilii circa fluv. Tschornaja (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 86); ad officinam ferrariam Astrachanensis legionis inter innumeras plantas *A. nemorosae* unicum tantum specimen inveni, flor. fine April. (Gorter 1761 p. 86, nec Krasch., ut ex Codice patet); in insula Petrowsky! vero copiosissime (Laxmann ex Gorter Append. 1764 in addendis); in monte Pulcovo! et Duderovo! etiam in sylvis insularum basileensis, lapideae, Petri!, crucis! et apothecariae! atque etiam in hortis spontanea inter *Fragariam* aliasque plantas, fl. m. Majo (Sobol. Petr. 1799 p. 128 n. 359; edit. Ross. n. 371); in sylvis et lucis cum *A. nemorosa*, fl. Aprili, Majo (Libosch. et Trin. 1818 p. 101 tab. XXXIV); crescit in iisdem locis cum *A. nemorosa* eodemque tempore floret (Weinm. Pawl. 1824 p. 259 et Petr. 1837 p. 58 n. 387); ubique (Turcz. 1825 n. 346).

Variat: 1) Floribus 6 phyllis! (hic non raro). 2) Subuniflora flore secundo rudimentario! aut ♂, sed vere uniflora certe rarissima aut vix obvia. 3) Floribus plenis, rarissime albis. 4) Foliolis foliorum involucralium integerrimis!

I***. HEPATICA.

Nomen a patribus botanicis varie usurpatum, extra nostram, Brunfelsio jam sic dictam, et mox epitheto ornatam, etiam *Hepaticam alteram s. fontanam (Marchantiam polymorpham)*, *tertiam s. stellatam (Asperulam odoratam)*, *palustrem (Chrysosplenium alternifolium)* etc. amplectens. Generici characteres Dillenio et Linnaeo debentur.

8. *H. nobilis* Trag. 1552, Volkam. 1700, Weinm., Blackw., Mönch, Reichenbach = *H. triloba* Chaix in Vill. 1786 = *H. trifolia* Lobel. Clus. 1583, = *H. aurea* Gesner 1561, Tabern. = *Anemone Hepatica* L. = *Trinitas* Matth. 1558 = *Hepatica* Brunfels 1530 p. 190 c. icone (non alibi).

Flores coerulei 8—12 lin. in diametro. Folia triloba, integerrima.

In regione elevata fere ubique in sylvis et fruticetis siccioribus, inprimis substrato calcareo, copiose v. g. Pulcova, Duderhof, Gatschina, Lapuchinka, rarius in demissa! et in isthmo Kareliae. Fine Aprilis usque ad medium Maji floret; fructifera jam Majo m. occurrit et medio Junio fruct. delapsis. ♃.

Hist. spec. In sylvis crescit et sub finem Aprilis floret (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 85 sub *Anemone)*; in m. Pulcovo! et Duderovo! ac passim in sylvis montosis fruticosis lapidosisque, fl. fine April. et init. Maji (Sobol. 1799 p. 127 n. 355; edit. Ross I 1801 p. 378 n. 367 sub *Anemone);* ubique in sylvis et fruticetis, primo vere (Weinm. 1824 p. 258 sub *H. triloba* Dec.); in montosis Duderhovii magna copia!, rarius in sylvis pr. scholam saltuariam et in ins. crucis! (Turcz. 1825 n. 347); in

sylvis siccioribus et in collibus apertis turfosis, vere (Weinm. 1837 p. 57 n. 384 sub *H. triloba* Dec.).

Varietates partim indagandae: 1) Foliorum lobis rotundato-obtusis, quae olim *H. americana* (Ker, Dec.) et secundum Ledebour in Fennia lecta est. 2) Floribus rubris (Weinm. Pawl. 1824 p. 258), roseis!, carneis, albis, cinereis, violaceis. 3) Floribus duplicatis et plenis. 4) Involucri foliolo uno alterove in folium perianthii transmutato. 5) Lobis foliorum quaternis; variat etiam: 6) Floribus praecocibus! aut coëtaneis! et 7) Foliis subtus viridibus! aut purpureis! aut variegatis! 8) *H. glabrata* Fries 1842: glaberrima, floribus candidis. Apud patres harum formarum plures nominibus propriis insignitae.

II. THALICTRUM.

Θάλικτρον Diosc. = *Thalictrum* Plin. ab omnibus fere patribus, ex tempore Gesneri et Cordi 1561 in hodierno quaesitum fuit; sunt imo, qui pro *Th. flavo* habeant. Dalechampius 1587 solus pro *Sisymbrio Sophia* vertit, quod Dodonaeus 1557, Thalius et Tabern. genuinis *Thalictris* infauste addiderant. Genus *Thalictrum* jam apud C. Bauhinum et Tournefortium depuratum exstat.

§. 1. Tripterium Dec. 1818.

9. *Th. aquilegifolium* L. = *Th. alpinum aquilegiae foliis*, florum staminibus purpurascentibus et albis Tournef. 1717 = *Th. flore incarnato* Besler 1612 (sec. Dec.) = *Thalictrum* 2, 3 (*album*) et 4 (*purpureum*) *vel montanum* 1, 2 et 3. Clusius 1583 (sec. Dec.).

Petiolus ad ramificationes inferiores plures stipellis 2 ovatis obsessus. Folia triplicato-pinnata, foliolis suborbiculato-cuneatis, incisis. Panicula subcorymbosa. Flores albidi vel pallide virentes, apice cum filamentis lilacini. — Variat filamentis albis! (cf. syn. Tourn. et Clus.).

In ripa umbrosa Newae fl. non procul a Catherinhof unicum specimen staminibus purpureis et antheris lu-

teis et pauca exemplaria ad fl. Wolchow cum *Aconito* (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 87); in sylvis umbrosis ad viam Pargolensem et pr. Murzincam (Sobol. Petr. 1799 p. 129 n. 362; ed. Ross. I, 1801 p. 385 n. 374); Petropoli (Longmire 1823 p. 194); Ulianka! Lissino! Oranienbaum! in sylvis pr. Kalamäkki! semel, inter montem Duderhof et Pulcovo! (Graewenitz, Graff, Weinm., Rupr., Zobel ex Diatr. Petr. 1845 p. 67); copiosissime tantum in sylvis frondosis locis siccioribus pr. Kauschta! et Lissino! (cf. R. Symb. 1846 p. 232), praesertim igitur in regione elevata, rarius in demissam aberrans et ex septemtrione Newae fl. tantum a Sobol. et memetipso, at parcissime et sterile observatum; in Fennia fere deest. Floret jam initio m. Junii, fruct. m. Augusto. ♃.

§. 2. Thalictrum.

10. *Th. simplex* Linné 1755 = *Th.* caule simplicissimo subnudo, *racemo simplici* laxo terminatrice Linné 1745.

Panicula ambitu oblongo-pyramidalis, rami racemosi. Flores sparsi nutantes. Pedunculi fructiferi patentissimi vel arcuati. — Plantae steriles a similibus microphyllis *Th. flavi* in pratis humidis obvenientibus dignoscuntur: habitaculo, herba laetius viridi, in sicco nequaquam nigrescente; foliorum ambitu oblongo (propter pinnas infimas abbreviatas); foliis radicalibus dissimilibus, foliolis rotundioribus valde confertis. Foliola omnia semper supra (in sicco statu) ad venulas parenchymatis impressa, inde rugosa.

In herbosis prope Nikolajewsky, m. Aug. (Weinm. Petr. 1837 p. 58 n. 390); locis elevatis apricis siccissimis v. g. Duderhof! Lapuchinka! Kauschta! non parce; rarissime in regionem demissam aberrans (v. g. pr. urbem Borszczow!). Initio Julii m. vel paulo post floret, fine Aug. fruct. ♃.

Obs. Planta Petropolitana a descriptione Linnaeana paululum differt: statura 2—3 pedali (vix pedali); petalis

non solum viridibus, sed saepe extus lilacinis, filamentis haud purpurascentibus et forsan defectu stipellarum inter ramificationem primam foliorum. Specimina regionis demissae singularia sunt caule inferne muricato-spinuloso. Aberrat in prata uliginosa, ubi vero sterilis persistit et non facile a *Th. flavi* varietate dignoscitur.

11. *Th. flavum α.* Linné 1753 sec. expositionem Kochii = *Th. pratense* (I Clus. 1583) Linder 1716, Linné 1737 = *Th. vulgare* Rudb. 1685 = ***Ruta pratensis*** Gesner 1561 = *Th. nigrum* Cordus 1561 et Thalius = ***Pigamum vulgare*** Dodon. 1553 c. ic.!

Panicula florifera densa, subcorymbosa. Flores albidi, in apice ramulorum aggregati erecti. Fructus in fasciculis densis. Radix repens. Foliola trifida, plerumque late obovato-cuneiformia; petiolus ad ramificationes inferiores saepe stipellatus, sed stipellae saepe delapsae aut omnino (etiam in juvenili planta) deficientes.

Variat in pratis udis apertis: statura foliolisque minoribus, etiam angustioribus, densioribus et firmioribus; foliola caulina saepe integerrima, radicalia latiora rotundiora. Sistit hoc: *Th. anonymon* Wallr. 1822 ex descr. et spec. origin. (solum stipellis evidentioribus recedens) = *Th. pratense majus* Ruppius 1718 = *Th. nigricans* Jacq. 1778. In eodem loco transitus in *Th. flavum* observari possunt, dum ad umbrosa et vepreta proserpit. Huic varietati praecipue conveniunt foliola coriacea, in sicco supra ad venulas parenchymatis impressa; in typica venulae supra semper prominent. In juvenili *Th. flavo* folia plerumque rotundiora, tenuiora, subinde sterilibus *Th. aquilegifolii* similibus, sed defectu stipellarum distinctissima; in seniori statu petioli partiales refracti.

In pratis humidis sylvaticis, ad ripas fluviorum umbrosas ubique frequens et copiose. Floret a medio Junio ad med. Julium; fructif. fine Julii et initio Aug. m. ♃.

Hist. spec. Cum *Th. angustifolio* i. e. circa Catherinhof! in ripis umbrosis Newae! et in insula rotunda!

(Krasch. ed. Gorter 1761 p. 87); Koirowa (Falk ex Gorter Append. 1764 in Addend.); in pratis sylvestribus humidis uti circa Sarskoje-Selo et Crasnoje-Selo, Junio (Sobol. Petrop. 1799 p. 129 n. 361 — edit. Ross. I, 1801, p. 384 n. 373); in declivibus amnium et in fruticetis humidiusculis, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 260); frequens (Turcz. 1825 n. 348); in pratis humidiusculis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837 p. 58 n. 388 — cum var. β. *angustata*, quae eadem videtur ac var. supra allata, praecipue circa Taitz! Krestowsky! etc.

Adn. Cel. Turczaninow in Fl. Baical. Dahur. (I, 1842 p. 33) Petropoli vulgatissimum dicit: *Th. commutatum* C. A. Meyer, a *Th. flavo* minus defectu stipellarum et radice fibrosa, quam potius inflorescentia maxime diversum. *Th. flavum* Petropoli certe etiam absque stipulis occurrit et radix (an junior?) interdum fibrosa est, herba interdum valde similis *Th. Morisoni* Rchb. icon., cui *Th. rufinerve* Lej. et Court. vulgo addebatur.

12. *Th. angustifolium* Linné ref. Jacq. = *Th. pratense angustifolium* C. Bauh. = *Th.* 3 *angustifolium* Camer. 1588 = *Th.* 6 *vel pratense* 2 Clusius 1583 (sec. C. Bauh.).

Radix fibrosa. Folia sine stipellis, lanceolato-linearia, integerrima nitida. Vaginae et petioli foliorum inferiorum fere semper pubescentes. Panicula florifera densa, subcorymbosa, ampla, ramosissima. Flores cum staminibus erecti. — Ex forma varia foliorum distinctae fuerunt sequentes varietates, minime constantes:

α. *cnidioides* Wallr. 1822 = *stenophyllum* Wimm. et Grab. 1829. Foliola foliorum inferiorum linearia acuminata, superiorum conformia. Forma communissima; interdum in apice caulis sterilis foliola terminalia latiora, cuneata et trifida!

β. *seselioides* Wallr. 1822 = *heterophyllum* W. et Grab. 1829. Foliola foliorum inferiorum oblonga, superiorum linearia, omnia indivisa vel terminalia trifida. Cum vel absque praecedente, rarior.

γ. *Th. laserpitiifolium* Willd. ex Koch 1833 = *lucidum* Dec. 1818 Rchb. (an etiam Linnaei?). Foliola omnia oblonga, foliorum superiorum paulo angustiora, indivisa vel terminalia trifida, omnia supra eximie lucida. Rarius cum α.

Variat porro: foliolis subtus glabris! aut pubescentibus! — vaginis et petiolis omnibus glabris! atque:

δ. *microcarpum:* Uti β, sed carpidiis duplo minoribus, $1/2$—$2/3$ lin. brevius apiculatis. In siccioribus reg. elevatae pr. Arbonje, fine Julii deflorata et fructif. — An *Th. microcarpum* C. A. Meyer, quod folia var. γ habet.

In pratis humidis reg. demissae et elevatae non raro, nec parce, at in isthmo Kareliae rarius; in Fennia tota et Scandinavia deest. Floret fine Junii et initio Julii usque ad initium Aug. et serius; fructif. jam fine Jul. ♃.

Hist spec. In ripis umbrosis Newae fluvii! circa Catharinhoff! et in insula rotunda non infrequens (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 88); pr. Koirowa legit D. Falk; etiam in praedio Com. a Czernischew, quod est ad 17 verstam viae regiae Peterhofium ducentis! (Gorter Append. 1764 in Addend.; Falk Beiträge II. 1786 p. 201 n. 639); in pratis humidis insulae apothecariae, prope fabricam pyriam atque in multis locis similibus, Junio (Sobol. Petrop. 1799 p. 129 n. 360 — in edit. Ross. I. 1801 p. 383 n. 372 haec omissa et tantum loca Kraschen. citata); in pratis et dumetis, Julio (Weinm. Pawl. 1824 p. 260); frequens (Turcz. 1825 n. 349); in pratis humidis turfosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837 p. 58 n. 389 cum var.: β. *cnidioide* Wallr.) — Auctores cit. ante Weinm. 1824 pro *Th. angustifolio* L. habuere, collectivo ex Jacquiniano et *Th. galioide* Nestler numquam heic viso, cui teste De Candolle pertinet syn.: *Thalictrum pratense angustissimo folio* C. Bauh. Pinax et Prodr. 1620 c. fig. — a Kraschen. citatum, quod tamen propter radicem ex icone fibrosam var. α. *Th. angustifolii* praesentis esse

potest. Tale specimen, autographo Krasch. adest in Herb. Acad.

III. MYOSURUS

Dillen. 1719 sive *Myosuros* Dodon. 1560, Lobel. Thal., J. Bauh., Haller = i. e. latine: cauda muris s. cauda murina Veter. ex similitudine receptaculi fructiferi.

13. *M. minimus* L. = *Myosuros cauda muris* Tabern. 1590 Lobel. Gilib. = *Cauda murina* Dodon. 1583, Dalech. = *Holosteon* Lonic. 1565 = *Myosuron* Dodon. 1553 c. ic.!

Simplex vel caespitosus, 1—6 pollic. glaber. Folia omnia radicalia, linearia integerrima. Scapi longitudine plerumque foliorum, 1 flori, erecti. Petala 1—2 linealia, flavo virescentia. Receptacula fructif. 1—2 pollicaria.

In cultis, arvis, secus vias ubique copiose. Floret initio Maji, medio Junio fruct. matur. ⊙.

Hist. spec. In pratis insulae Wasili Ostrow, Junio m. floret (Amman Mss. 1735 n. 46 ex syn. Dodon. et J. Bauh.); in hortis sponte provenit et primo vere floret (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 48); ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in agris et arvis ad fabricam pyriam Ochtensem, circa pagos Ligowo et Goreloi-Kabak atque Petropoli in hortis! (Sobol. Petr. 1799 p. 77 n. 219) et prope Krasnoje-Selo (Sobol. Petr. edit. Ross. I, 1801 p. 242 n. 230); in hortis et agris passim, copiose (Weinm. Pawl. 1824 p. 151); in oleraceis et in terra fertili, uti in horto nosocomii maritimi, ad viam Pargolensem scil. ad pontem magnum, inter segetes juxta ambos m. Duderhof! etc. (Turcz. 1825 n. 212); tam in cultis, quam in ruderatis ubique m. Majo et Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 34 n. 225).

IV*. BATRACHIUM.

Batrachion Plin. = βατράχιον τέταρτον Diosc. L. II. c. 206, quod *R. aquatili* adscribunt Sibthorp et Fraas. Tamquam *Ranunculi* sectionem restituit Can-

dollius, quam E. Meyer, Wimmer et posthac Fries in genus evexerunt.

14. *B. aquatile* (Dec.) E. Meyer 1839 = *Ranunculus aquatilis* Dodon. 1583 c. icone!, Gerard, Rajus, quorum plantam Linnaeus sub eodem nomine proposuit, folia „subpeltata" tribuens, nullamque α in Spec. plant. distinguens. Superfluus hinc *R. diversifolius* et *peltatus* Schrank 1789 = *R. heterophyllus* Wiggers (Weber) 1780 = *R. fluviatilis* Tabern. 1590. — *Ranunculus palustris* Dodon. 1553! c. ic. (sub *Hepatica*).

Folia submersa longe petiolata capillaceo-multifida, circumscriptione vaga, natantia reniformia ad medium usque fissa. Koch propter *R. circinnatum* addit: Receptaculum ovato-globosum; stylus nullus; stigma sessile ovario incumbens.

Hist. spec. In ramis minoribus! Newae fluvii frequens (Krasch. Codex n. 450; edit. Gorter 1761 p. 90 sub *R. aquatili* α teste syn. Linn. Lapp., Haller et J. Bauh.); in ins. Cronstadt! (Georgi Mss. 1795); in paludibus et aquis stagnantibus insularum apothecariae et lapideae, in ramis minoribus Newae fluvii circa insulas! m. Junio flor. (Sobol. Petr. 1799 p. 133 n. 375, ubi additur locus „ad habitacula aestiva aegrotantium nosocomii pedestris", postea in edit. Ross. I. 1801 p. 402 n. 387 omissus; teste descriptione, Sobol. tantum typicam formam vidit); in aquis stagnantibus seu lente fluentibus passim, Junio usque ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 261 s. n. *R. aquatilis* β *heterophyllus*); vulgaris (Turcz. 1825 n. 357); in ramis Newae! in lacubus et in aliis aquis stagnantibus, Julio, Aug. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 380 s. n. *R. aquatilis* α *heterophyllus* Schk. Handb. tab. 152 — locus, ut in H. Pawl., etiam p. p. reliquis varr. communis). ♃.

Specimina Petrop. folia natantia spurie tantum peltata habent, ad medium usque 5—7 partita, lobis singulis iterum minus profunde 2—3 partitis; exacte referunt *B. peltatum* Fries 1845 et Herb. norm. XII; folia vere

peltata neque in extraneis umquam vidi. Folia interdum basi non cordata, sed truncata vix varietatem faciunt: *truncatam* Koch. Petala semper magna, 4—5 lin. longa; caulis angulatus. Floret fine Junii aut initio Julii; fine Julii vel initio Augusti m. jam defloratum, imo jam fructibus delapsis.

Varietatem hujus *psilocarpam:* carpidiis cum receptaculo glaberrimis, circa Schlüsselburg legi fine Julii cum flor. et fruct. maturis. Rostrum carpidiorum breve acutum, inclinatum.

14*. *Ranunculo aquatili* praecedenti et *R. capillaceo* aut *circinnato* intermedius, observante cel. Wallroth, Koch et Fries specie distinctus est:

R. triphyllos Wallr. 1840 (fructus glaberrimos poscit) = *R. Petiveri* β Koch 1840 = *B. heterophyllum* Fries 1845!

Folia natantia usque ad basim trisecta, foliolis petiolulatis cuneatis usque ad medium bipartitis, segmentis iterum semel vel bis incisis.

In lacu montis Kyrka-Duderhof medio Junio flor. et fructifer (Borszczow!) et verosimiliter alibi in vadosis. Folia omnia cum petiolo, vagina et superiori caulis parte hirsutissima. Flores quam in *B. aquatili* duplo minores; petala 2—2½ lin. longa. Est exacte planta Friesii in herb. norm XI exhibita, sive Wallrothii et *R. Petiveri* β *major* Koch. — Cel. Fries insuper a *B. aquatili* distinguit: foliis submersis breve petiolatis, vaginis acuminato-auriculatis (nec exauriculatis), foliisque natantibus accidentalibus, nec necessariis ut in *R. aquatili*. Deficientibus foliis natantibus, *R. aquatilis* semper sterilis (nam pedunculi in alis horum praecipue evolvuntur); in *R. triphyllo* vero pedunculi (in planta Petrop. 1—3) ex alis foliorum capillaceorum egrediuntur. Sine dubio pars *R. capillacei* Auct. huc referenda est.

R. capillaceus Thuill. 1799 = *R. aquaticus capillaceus* C. Bauh. 1623, Morison, Tournef. = *R. aquatilis* γ Linné Spec. = *R. pantothrix* Brot. 1804: foliis natantibus nullis, forsan collectivus plurium specie-

rum difficilius extricandarum. Caesalpinus jam 1583 a *R. aquatili* Dodon. distinxit transitumque vidisse perhibet, alteri folia parum scissa, alteri in *capillaceam* tenuitatem fissa tribuens. Synonyma ex Fl. Petrop. sunt: Weinm. Pawl. 1824 p. 261 s. n. *R. pantothrix α capillaceus* Dec. et Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 380 s. n. *R. aquatilis β capillaceus* = locis generalioribus sub *R. aquatili* citatis. Hujus variae adsunt Petropoli formae nondum satis examinatae. E robustioribus pars ad *R. aquatilem* spectare videtur; specc. in fluviis demersa, initio Aug. m. pedunculis raris, in ramo solitariis, an fructiferis?

Pars altera vulgatior *R. capillacei* nostri in rivulis proveniens, caules minus robustos enititur et ex forma florum, rostri et vaginarum forsan ad *R. triphyllum* pertinet, sed transitus manifesti nondum obvii. Flores semper quam in *R. aquatili* minores, petala 2—2½ lin. — sed variant etiam minora 1 lin. Haec forma *micrantha* exacte esset *B. aquatile var. Petiveri* Fries Herb. norm. X. sive *B. heterophyllum var. Petiveri* Fries 1845, et pariter locis exsiccatis formam pygmaeam: *succulentam* Koch 1837 producit: foliorum laciniis crassioribus, succulentis, laete viridibus, quam cl. Fries solum ex *R. triphyllo* ortam vidit. In *macranthis* carpidia e variis locis glabra, receptaculum hirsutum, parvum, subtenue, rostrum carpidiorum crassum, brevissimum, obliquum. Initio et medio Julii floret et fruct. maturos fert; *succulenta* adhuc mense integro serius in floribus conspicitur.

Tertia *R. capillacei* forma inter praecedentem et *B. confervoides* ambigit; a priori laciniis foliorum tenuissimis et petalis vix ultra 1½ lin. differt, a *B. confervoide*: caule paulo crassiore et carpidiis apiculo brevissimo terminatis. In stagnis obvenit et medio Julio floret fructificatque. Carpidia hispida, capitulum 1½—2 lin. latum. Gatschina (Borszczow!).

Quarta olim *R. capillaceo* subsumta species sistit:

Batrachium confervoides Fries 1845 et Herb.

norm. XIII. caule filiformi, foliorum petiolatorum laciniis tenuissimis, receptaculo conico-cylindrico, carpidiis apice rotundato obtusis, stigmate deciduo prorsus muticis, obsolete rugosis. Hujus forma pusilla Petropoli adest = exacte *B. aquatile eradicatum* Fries 1842, at rostrum interdum minutum subrectum carpidia minuta glabra coronat; receptaculum hirsutum, capitula fructifera vix lineam aequant; omnium formarum minima et tenerrima est; flores nondum vidi. In parte septemtr. citra Newam fl. prope urbem.

Quinta, haud minus insignis forma robusta *brevistaminea* est et ex ambitu foliorum superiorum ad *B. circinnatum* accedit. Stamina etiam in floribus nondum explicatis, ovariorum capitulo breviora, nec longiora ut in reliquis speciebus et formis heic obviis. Receptaculum magnum globosum. Capitula fructifera et petala 2 lin. Rostrum carpidiorum breve inclinatum. Caulis eburneus, trigonus, $^{3}/_{4}$ lin. Hirsutus in caule, foliis, praecipue tamen in vaginis, receptaculo et carpidiis. In vadosis inter Zarskoe-Selo et Duderhof m. Junio cum flor. et fruct. maturis.

15. *Batrachium circinnatum* Fries 1842 et herb. norm. IX! = *R. divaricatus* Schrank 1789; Wimmer 1841 sub *Batr.* = *R. circinnatus* Sibth. 1794 = *R. aquatilis* β Linné Spec. = *R. aquaticus albus circinnatis* tenuissime divisis *foliis* Plukenett 1696 et icon 1720!

Folia omnia capillacea circumscriptione rotunda (Linné 1737); laciniae crassiores truncatae (nec sensim attenuatae), in planum orbiculare 4—9 lin. in diametro expansae, rigide-divaricatae, nec extra aquam collabentes. Schkuhr ab omni *R. capillaceo* distinguit laciniis foliorum dichotomis, nec trichotomis; rectius: in *R. circinnato* ramificationes tantum infimae 1—2 trichotomae, in *R. capillaceo* plures trichotomae, ultimae vero pauciores dichotomae. Koch addit: receptaculum depresso globosum; stylus brevis in stigma rectum terminatus.

Hist. spec. In vadosis locis ac sinubus stagnantibus Newae fl. non raro (Krasch. Index Mss. 1749 n. 351 — hic locus ita postea mutatus, ut facile dubia exoriri possint, nimirum:) in ramis minoribus Newae fl. frequens (Krasch. Codex Mss. n. 451 edit. Gorter 1761 p. 90 sub n. *R. aquatilis* β ex syn. Linn. Cliff., Haller et J. Bauh. ad speciem praesentem referend.); in iisdem sub *R. aquatili* locis cit. ex parte (Weinm. Petrop. 1837 p. 56 n. 380 s. n. *R. aquatilis* γ *caespitosus* et δ *stagnatilis*, fide synn. cit.); praecipue copiose in fossis pr. Strelna et Duderhof (Borszczow!).

Spec. Petrop. ex variis locis flores semper minores, quam *B. aquatilis* habent; petala $2^1/_2$—3 lin., rarius ad 4 lin. Carpidia initio Aug. m. matura glabra, evidentius rostrata, ac in ceteris *Batrachiis* (ex spec. Streln). Floret a fine Junii usque ad medium Septemb. m. ♃.

Adnot. Sub n. *R. aquatilis* γ Gorter 1761 p. 90 plantam Krascheninnikowii affert „frequenter in paludibus e regione Schlüsselburgi reperiundis“ observatam, ex synn. fide Codicis Mss. citatis „Royeni Lgdb. Halleri Helv. 329 et J. Bauh. 3 p. 782 c. icone bona“ ad *R. aquatilem* δ Linné Spec. referendam = *peucedanifolius* Schreb. 1771! Allione 1785 = *R. fluitans* Lamck 1778; Wimmer sub *Batr.* = *R. fluviatilis* Wiggers (Weber) 1780, Petropoli nondum detectam, in Lithuania et Mosquae indicatam. Sed ex Cod. Mss. n. 452 patefit, a Krasch. 8 Augusti m. ibi tantum sterilem observatam fuisse, unde diagnosis summopere ambigua redditur; anne *B. aquatilis* forma *capillacea?* — *R. fluitans*, in fluviis et rivulis rapidioribus obveniens, ab omnibus congeneribus differt: laciniis foliorum, etiam superiorum, longis parallelis; caule tereti, petalis 9—12 oblongo-cuneatis (nec 5 obovatis), staminibus capitulo ovariorum brevioribus et carpidiis numquam hispidis.

IV**. RANUNCULUS.

Ranúnculus Plin. 25, 13, 109, graece βατράχιον, diminutivum ex rana, quod ranarum more humidis delec-

tetur, aut quod ranae saepe sub *Ranunculis* inveniantur. Genus a patribus interpretatum, jam apud Matthiolum, Cordum et praecipue C. Bauhinum fere limitibus recentioribus constitutum, a Tournefortio et Linnaeo excultum, sed cum *Batrachio* et *Ficaria* longe et a multis hodie adhuc conjunctum.

§. 1. Folia divisa, profunde lobata vel multifida vel composita.

* Carpidia in disco rugulosa, tuberculosa vel spinulosa. Radix ⊙.

16. *R. sceleratus* L. = *Scelerata* Apulejus 1528 = *R. palustris apiifolio* C. Bauh. et plurr. = *R. palustris* Dodon. 1553, Cord. 1561 et *offic.* = *Apium aquaticum* Trag. 1552! = *R. aquaticus* Fuchs 1549 et *offic.* = ? *Apiastrum* Plin. (saltem Cord. in Matth.).

Capitula fructifera oblongo-spiciformia. Carpidia disco convexo subtiliter rugulosa, margine obtuso spongioso canaliculato. Folia inferiora palmati-partita, inciso-crenata, superiora trifida, laciniis linearibus.

In fossis ad vias, in cultis et humidis ubique copiose. Floret a fine Maji ad Septembr., fruct. matur. jam initio Junii. ⊙.

Hist. spec. Petropoli (Amman Mss. 1734 n. 31 ex syn. C. Bauh. et J. Bauh.); nihil vulgatius in humidis et uliginosis (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 89); in ins. Cronstadt! (Georgi Mss. 1795); in fossis suburbii et locis uliginosis nihil vulgatius, Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799 p. 131 n. 369; edit. ross. I. 1801, p. 391 n. 381); in locis humidis, paludosis, saepius etiam in agris cultis, flor. Majo, Jun., Jul. (Libosch et Trin. 1818 p. 65 tab. 22); in locis innundatis passim, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 263); frequens (Turcz. 1825 n. 354); in locis udis, fossis et ad margines lacuum, Jun. — Aug. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 376).

Obs. Indagandus est: 1) *R. reptabundus* Rupr. Fl. Samoj. 1845 p. 10 circa urbem Archangelsk detectus;

R. scelerato minori similis et affinis, sed reptans et rostro carpidiorum duplo longiori insignis.

2) *R. arvensis* L. (et Tabern. 1590, qui *angustifolium* et *latifolium* distinguit) = *R. arvorum* Lobel 1581! a Georgio 1790 et Sobolewskio (Fl. Petr. 1799 p. 133 n. 374) in arvis humidis et ad segetes circa Jamburg, Majo et Jun. florens, auctoritate sola Boeberi receptus, sed a nemine iterum in Ingria repertus, imo dubius Livoniae civis, Mosquae tamen indicatus; an *R. sceleratus?* Dignoscitur: carpidiis plano-compressis, rostratis, disco spinosis, capitulum globosum formantibus.

** Carpidia laevia. Radix ♃.

17. *R. acris* L. = *R. pratensis erectus acris* C. Bauh. = *R. sylvestris* Tabern. 1590! = *R. luteus* Trag. 1552.

Receptaculum glabrum. Rostrum carpidiorum breve subcurvatum. Pedunculi teretes. Folia radicalia palmato 3 partita, laciniis subrhombeis incisis, acute dentatis, caulinis conformibus, summis linearibus. Radix fibrosa.

In pratis, pascuis et nemoribus, etiam in locis cultis, ubique copiose. Floret circa med. Maji ad Octobrem usque; initio Junii fruct. maturant. ♃.

Hist. spec. Petropoli forsan primum a Deschisaux 1725 p. 9 designatus, sed false „*Ranunculus aconitifolio*" dictus. A Petropoli usque ad Twer, flor. m. Aug. et Sept. (Gmelin Mss. 1733 n. 46 ex syn. C. Bauh.); in pratis ins. Wassili Ostrow! Julio flor. (Amman Mss. 1735 n. 64 ex syn. C. B. et J. B.); in sylvis ubique vulgaris planta est; ad canales etiam non infrequens (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 90); in ins. Cronstadt (Georgi Mss. 1795); in pratis et sylvis insularum Newae fl.! fl. Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799 p. 132 n. 373; edit. Ross. 1801 p. 400 n. 385); in hortis, pratis et sylvis ubique, Majo ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 263 cum varr. β flore pleno et γ foliorum lobis inciso multifidis! = γ *multifidus* Dec. 1818 = conf. *R. polyanthemos* β *glaber*); frequens (Turcz. 1825 n. 355); in locis cultis, pratis

pascuisque frequens, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837 p. 56 n. 378).

18. *R. polyanthemos* L. 1753 et eo teste etiam Lobelii 1576. Patres a *R. acri* γ *multifido* Dec. nondum bene distinxerunt et nomine *R. polyanthemos* etiam *R. repentem* habuerunt.

Receptaculum setosum. Rostrum carpidiorum breve, latum, uncinatum. Pedunculis sulcatis et foliis multipartitis jam Linnaeus a *R. acri* separavit. Vulgo etiam cognoscitur calyce magis colorato, glandulis nigris obsesso, quibus pili crispuli insident; laciniae foliorum radicalium sublineares; flores majores et speciosiores, petala 5—6 lin.; carpidia majora, pauciora. — Variat:

β. *glaber* Wimm. et Grab. 1829. Caulis et petioli glabri; nec ut in typica Candolleana patentim hirsuti. Mirum, quod Linnaeus indumentum non memoret, nisi verbis indirectis „caulis (in *R. acri*) pilis arcte adpressis". Suspicor, var. hanc apud Candollium subsumtam esse *R. acri* γ *multifido*, pariter hic obvio.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790 p. 70 n. 354); in pratis elevatis circa Petrop. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 132 n. 372); in pratis et campis ad fabricam pyriam Ochtensem et alibi in locis elevatis (Sobol. edit. Ross. I. 1801 p. 399 n. 384); in fruticetis siccioribus! passim Jun., Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 263); in locis elevatis! inter frutices parce, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 379) v. g. in monte Duderhof! cum var. β! et *R. acri* (R. Petr. 1845 p. 67) et in campis apricis Gatschinae pariter cum var. β! (Borszczow); ad fl. Slavianka! Pargola! Toxowa!. Circa praedium Pogogowa! in limite gubernii Nowgorod leg. D. Schönjahn. Floret initio aut medio Junio usque ad med. Julii, quo jam fructibus maturis onustum et initium Septembr.*).

---

*) Sub pluvia flores non claudit, sed iis nutat, ut noctu (Linné).

19. *R. repens* L. et J. Bauh. = *R. pratensis reptante cauliculo* Lobel 1576 = *R. polyanthemos* Thal. 1588 et fl. pleno Camer. 1588 = *R. vinealis* Tabern! 1590 = *R. tertius* Matth. 1554.

Radix stolonibus repentibus. Carpidia subtiliter impresso-punctata. Pedunculi sulcati. Folia composita, radicalia ternata, foliolo intermedio saepe protracto iterum ternato, foliolis lateralibus trifidis inciso-dentatis. — Variat: plus minus hirsutus et glaberrimus; laciniis foliorum angustioribus et latioribus, majoribus vel minoribus et caulibus florif. erectis, non stoloniferis (β *erectus* Dec! 1818). Sub pluvia et noctu flores claudit, nec iis nutat (Linné); apud nos aperit flores solstitiales circiter 7^h matutina, claudit ante 8^h vespere. Flores serotini minores.

In cultis et pratis, praesertim ad fossas, locis humidis, ubique copiosissime. Floret a fine Maji vel serius ad autumnum (med. Sept.); fruct. matur. fine Junii aut initio Julii. ♃.

Hist. spec. Inter Petropolin et Twer ubique, floret m. Aug. et Sept. (Gmel. Mss. 1733 n. 45 s. n. *R. rectus*, fol. pallidioribus hirsutis J. Bauh. = *R. repens* γ Linn. Hort. Cliff); passim ad canales, in hortis etiam oleraceis frequens (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 89); in ins. Cronstadt (Georgi Mss. 1795); ad canales et fossas, in hortis oleraceis nimis frequens, unde eliminari vix potest, Jun. Jul. (Sobol. 1799 p. 132, n. 371; edit. Ross. I 1801 p. 398 n. 383); in hortis, agris, pratis copiose, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 264); frequens (Turcz. 1825 n. 356); in locis cultis, pascuis, pratis, sepibus, aestate (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 377 cum var. β minor, tenuior, caule florifero decumbente!). — Amman in Mss. 1735 n. 70 habet *Ranunculum*, in locis palustribus et uliginosis, nec non scrobibus et fossis aquarum stagnantium Jun. m. florentem, sibi nominatum: *R. palustris, supinus, glaber;* erit *R. repens* γ *glabratus* Dec. 1818, Petrop. minime absens; vulgatissimus in scriptis patrum plerumque hirsutus, inde Ammanus novum cre-

didit. Specimen originale Ammani in herb. Acad. dicta confirmat.

Adnot. *R. bulbosus* Lobel. 1570 et patr. ad Linné = *R. tuberosus* Dodon. 1583 = *R. quintus* Matth. 1554 = *Crus galli* seu *pes Corvinus* Brunf. 1530 — in pratis et locis gramineis circa Jamburg Majo et Jun. flor., auctoritate sola Boeberi a Georgio 1790 et Sobol. (Petrop. 1799 p. 132 n. 370) receptus, nullibi tamen recenter in Ingria lectus; indicatur Mosquae, in Fennia, circa Reval, certe in ins. Osilia! (C. A. Meyer). Solus est in hac sectione calyce reflexo (ut in *scelerato*); ab omnibus caule basi bulboso distinctus; pedunculi sulcati, caulis erectus, folia *R. repentis*, plerumque hirsuta. An Boeber formam *R. repentis* pro hoc sumsit?

20. *R. auricomus* Dodon. 1553 c. ic! Lobel! Thal., Linné = *R. dulcis* s. *pratensis* Trag. 1552! = *R. nemorosus* Gerard 1597 = *R. I species* Fuchs 1542 et alior.

Carpidia ventricosa, velutina. Folia radicalia reniformia incisa, caulina digitata linearia (Linné 1753). Flores primi plerumque petalis incompletis, seriores completi.

In pratis, hortis, sepibus et fruticetis umbrosis, humidioribus, ubique copiosissime. Floret ab initio vel medio Maji ad initium Aug.; fruct. matur. ab initio Junii. Interdum, favente autumno, fine Octob. m. iterum floribus apetalis invenitur. ♃.

Hist. spec. In pratis ins. Basilii! passim, sub medium Maji floret (Krasch. Index Mss. 1749 n. 9); in pratis et sylvis passim (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 89); in nemoribus et pratis passim, Majo, Jun. (Sobol. 1799 p. 131 n. 368; edit. Ross. I 1801 p. 391 n. 380); in graminosis humidiusculis passim, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 263); vulgaris (Turcz. 1825 n. 353); in graminosis vulgatissime, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 374).

Inter varietates numerosas tantum sequentes jam descriptas afferam:

β. *obesus* R. Diatr. Petr. 1845 p. 67. Similis *R. auricomo pinguiori* Rchb. 1840, sed pedunculi in vivo evidentissime angulato-sulcati; character *R. auricomo* contrarius. Obvenit in hortis oleraceis pinguibus circa urbem, fine Maji florens et fruct. fere maturis.

γ. *incisifolius* Rchb. 1840. Cum *auricomo typico* heic saepe mixtim crescit (R. Petr. 1845 p. 67) et tantum differt fol. caulinis latioribus incisis vel dentatis (nec linearibus integerrimis, ut in α Linnaeus exposcit). Varietas minime constans, tamen qua passus primus ad *R. cassubicum* notandus.

δ. *fallax* Wimm. et Grab. 1829, elatior, folia radicalia magna indivisa, caulina et vaginae radicales ut in γ. Hanc Koch 1843 ad *R. cassubicum* amandavit, non obstantibus vaginis radicalibus foliigeris, limitem inter *R. auricomum* et *cassubicum* in rostrum carpidiorum ponens, in illo a basi fere uncinatum, in hoc rectiusculum apice uncinatum. Hic character hodie unicus, nec semper evidentissimus, an sufficit ad species duas cum serie duplici formarum analogarum dispartiendas? Utique plerumque in *R. auricomo* (α, β, γ) rostrum brevius incurvatum, in (δ, ε =) *R. cassubico* carpidia majora, rostro longiori, apice valde uncinato-involuto; sed fructus interdum intermedios et ambiguos vidisse credo. — In graminosis umbrosis humidis frequentior, quam *R. cassubicus plebejus* Fries, in cujus societate saepe invenitur (R. Diatr. Petr. 1845 p. 67).

ε. *R. cassubicus* L. 1753 = *R. cassubicus, folio Thorae s. Calthae* Breyn. 1680, cui etiam ut Buxbaumio 1732: *R. rotundifolius vernus sylvaticus* (J. Bauh. = *auricomus*) *var. major*.

Folia radicalia subrotundo-cordata crenata, caulina digitato-dentata (Linné 1753). Differentiam diu celebratam inter *R. auricomum* et *cassubicum* Wimmer et Grabowsky 1829 posuerunt in vaginis exterioribus ad basin caulis; in priori α — δ folia radicalia plura et vaginae aphyllae nullae vel rarius unica; in cassubico vero vaginae radicales plurimae aphyllae, folium radicale ple-

rumque unum, rarius 2 et 3. Sed ex hoc charactere iterum necessa fuit subdivisio a) *elatior* = *cassubicus* L. expl. W. et Gr., Linnaeus et Breynius certe etiam δ *fallacem* pro *cassubico* habuissent; huc *R. aconitifolius* etc. Loesel 1703 c. icone! (vaginis aphyllis 3 cum fol. 1 radicali sed parvo) a Linnaeo non citatus, aliusque nominis; b) *plebejus* Fries 1839 = *auricomus* α et γ *incisifolius* cum vaginis rad. aphyllis pluribus; unde fere combinationes omnes inter species ambas. Differentia ceterum adest in distributione geographica haud praetervidenda; *R. auricomus*, quo magis ad septemtrionem et orientem progreditur, tanto frequentius cum *R. cassubico* (incluso δ *fallaci*) miscetur, sed alter alterum haud excludit, ut in speciebus geographicis, quare tantum varietatis titulo heic expositi.

Hist. spec. R. cassubici elatioris et *fallacis* antea haud disjuncti. Ingria (Buxbaum in Act. Acad. Petrop. T. III, 1732, p. 272 ex syn. Breynii); circa Petropolim (Boeber et Rudolph ex Georgi 1790 p. 70 n. 353); in sylvis umbrosis circa Petropolim et alibi, Jun. (Sobol. Petr. 1799 p. 131 n. 367); parce in sylvis umbrosis prope Sarskoje Selo et urbem Pawlowsk, Jun. (Sobol. Petr. edit. Ross. I 1801 p. 390 n. 379); in humentibus non rarus, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 263); frequens (Turcz. 1825 n. 352); in sylvis turfosis humidis, Majo ad Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 375); in umbrosissimis hortorum et sylvarum, solo pingui passim, v. g. Pargola (Kühlewein!), Gatschina (Borszczow!) Duderhof, Peterhof! — Floret Majo, praecocius auricomo, ad finem Maji jam defloratus! fruct. maturi a medio Junii usque ad initium Julii m. ♃.

§. 2. Folia indivisa.

21. *R. Lingua* L. = *Lingua* Plin. edit. Dalech. = *R. platyphyllos* Thal. 1588.

Caulis stricte erectus, robustus, $2^1/_2$—4 ped., basi verticillatim radiculosus stolonifer. Folia longa, lanceolata, margine integerrima vel denticulato-serrulata, in-

fima saepe late ovalia. Petala 6 — 10 lin. longa. Carpidia compressa marginata, rostro lato breviter ensiformi. — Folia subtus pilis adpressis sat densis tecta sunt, imo caulis hinc inde pubescens; formam glabrifoliam, quam auctores pro typica habent, nondum Petropoli vidi.

Hist. spec. In aquis stagnantibus ins. pharmaceuticae inv. Krasch. et circa Slavenkam: Gorter (Fl. Ingr. 1761 p. 88); in ins. Cronstadt (Georgi Mss. 1795); in aquis stagn. ins. apothec., tum inter urbem Pawlowskoy et Slavjankam et circa Murzincam in locis limosis, Jul. (Sobol. 1799 p. 130 n. 365; edit. Ross. 1801 p. 388 n. 377); in fossis et palustribus limosis inter arundines, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 262); in paludibus ad viam Peterhofianam! versus praedium principis Szczerbatof et ultra, etiam ad viam versus pagum Rjabowo ducentem etc. (Turcz. 1825 n. 350); ad ripas fluviorum et in lacubus passim, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 373); hinc inde copiose, v. g. in pratis paludosis pr. Zarskoë Selo! in fossis ad viam Peterhofianam (Borszczow!), in rivulis pr. Lissino! (Graff! Greulich!), pr. Strelna! fluv. Ischora pr. Gatschina! — Floret fine Junii et initio Julii. ♃.

22. *R. Flammula* Linné et eo teste jam Tillands, Rudbeck 1658 = *R. longifolius*, aliis *flammula* J. Bauh. 1651 = *Flammula ranunculus* Dodon. 1583 = *R. flammeus* (Franck 1638) *minor* Gerard 1597 = *R. species* XII fol. laevibus et serratis: Cordus 1561 = ? *Aegolethron* Plin.

Caulis adscendens vel declinatus debilis, basi tantum radicans, ½—1 pedalis. Folia elliptica vel anguste lanceolata, radicalia interdum ovata. Petala 2—3, rarius 4 lin. Carpidia in capitulo plurima, turgida, obsolete marginata, rostro brevissimo subrecto terminata.

Variat: β. *serrata* Dec. 1818 = *R. Flammula* β Linné = *R. palustris serratus* C. Bauh. 1623 = *Flammula ranunculos folio serrato* Dodon. 1583 = *Flammula* Dodon. 1553 c. ic.! Folia majora latiora, in-

feriora late ovata serrata, flores majores, petala 4 lin., sed per gradus insensibiles transit in typum.

In pratis humidis, ad ripas, in viciniis aquarum stagnantium etc. ubique copiosissime. Floret initio Junii et prius usque ad Octobr.; fruct. maturi jam fine Junii m. ♃.

Hist. spec. Petropoli in locis paludosis, Jul. et Aug. (Amman Mss. 1734 n. 16 ex synn. C. Bauh., J. Bauh. ad α Linné Spec. pl. referendis); locis uliginosis ins. Wassili Ostrow! copiose, m. Jun., Jul. (Amman Mss. 1735 n. 58 ex s nn. Dodon. et C. Bauh. ad *R. Flammula* β Linné Spec. pl. refer.); in uliginosis frequens est (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 87); in uliginosis insularum Newae fl.! et passim frequens Jun. Jul. (Sobol. 1799 p. 130 n. 364; edit. Ross. 1801 p. 387 n. 376); in locis udis et pratis humidis vulgaris, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 262 cum var. β fol. sublanceolatis serratis = β *serrata* Dec. — γ fol. fere omnibus ovatis petiolatis = γ *ovata* Dec. 1818. — δ fol. radic. ovato-lanceolatis, rigidis, caulinis linearibus = δ *arenaria* Dec. 1818); in pratis et pascuis humidis, turfosis, Jun. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837 p. 55 n. 371).

23. *R. reptans* L. et eo teste: = *R. longifolius minimus reptans* Burserius Act. Suec. 1724 = *R. minimus* Tillands 1683 = *R. palustris*, angustioribus foliis, *minimus* Bromelius 1694.

Caulis prostratus repens et ad quemlibet nodum radicans, filiformis, 3—5 poll. Folia linearia angustissima. Petala $1\frac{1}{2}$—2 lin. Carpidia *Flammulae*, sed pauciora, rostro paulo longiore, subuncinato. — Formae robustiores pedales, fol. quidpiam latioribus instructae sunt et non parum ad formam reptantem *R. Flammulae* accedunt.

In locis saepe innundatis, praecipue arenosis et maritimis insularum Newae fluvii et sinus Fennici incipientis, ubi *R. Flammula* deest, fere ubique copiose. Floret a fine Junii ad autumnum usque, eodemque tempore fructus maturat. ♃.

Hist. spec. Copiose ad litora Newae minoris, m. Jun. et Jul. (Amman Mss. 1734 n. 10 s. n. *R. parvus repens* gramineis foliis, ex singulis geniculis radices agens); Ingria (Buxbaum Cent. V. Append. 1740 p. 48, n. 41 cum icone rudi, s. n. *R. flammeus minimus*, Spergulae folio — syn. a Linnaeo et Ammano 1739! citatum); copiosissime in Newae ripa alibique circa Petropolin, ex ipsa subinde arena excrescens, per totam fere aestatem floret et fructum profert (Amman Ruth. 1739 p. 80 n. 106, tab. 13, fig. 1 s. n. *R. repens* gramineis foliis e singulis geniculis radices agens — syn. apud Linnaeum citatum); in ripis arenosis Newae fluvii, quae aquis saepe innundari solent, frequens (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 88 — Krasch. in Ind. Mss. 1749 n. 24 β florentem Junio, *R. Flammula* vero sub finem Maji invenisse memorat); in praedio ill. Com. a Czernischew, ad 17 stad. viae regiae Peterhofianae (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764); in ripis arenosis Newae circa ins. apothecariam, lapideam, aliisque, quae aquis saepe innundantur, frequens, Jun. Jul. (Sobol. 1799 p. 130 n. 363; edit. Ross. I 1801 p. 386 n. 375); frequens i. e. sine loco spec. (Turcz. 1825 n. 351 s. n. *R. Flammula* β *reptans*); in arenosis Newae et in aliis locis humentibus, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 56 n. 372).

IV***. FICARIA.

Brunfels 1530, Dillen., Iuss., Dec., Fries. Quasi plantatio Ficuum: e tuberibus radicis grumosae edulibus aut e bulbillorum in axilla foliorum inferiorum coacervatione solenni.

24. *F. vulgaris* Ruppius 1718! = *F. Brunfelsii* Heister 1730 = *F. verna* Huds. 1762 = *F. ranunculoides* Roth. 1788 = *Ranunculus Ficaria* L. et plur. auct. recent. = *Chelidonium minus:* Ruellius 1536, Fuchs, Trag.! Matth. et plur. usque ad Sabbati 1778 = χελιδόνιον τὸ μικρόν Theophr. et Diosc.

Radix grumosa, tuberibus obovatis. Herba glaberrima. Caulis foliosus. Folia petiolata, cordata, subangulata. Pedunculi uniflori axillares vel terminales. Petala lutea, 5—6 lin.

In humidis nemorum et sylvarum, in hortis, sepibus et pratis ubique copiosissime. Floret fine (21) Aprilis et m. Majo; bulbilli exeunte m. Majo formantur, saepe vice fructuum, mox herba aestate fervente omnino evanescit. ♃.

Hist. spec. In locis uliginosis passim, florere incipit sub initium Maji (Krasch. ed. Gorter Fl. Ingr. 1761 p. 88 s. *R. Ficaria*); in loc. ulig. umbrosis passim (Sobol. Petr. 1799 p. 130 n. 366 s. *R. Ficaria*); in sylvis m. Pulcowae!, Pargelovii et in hortis umbrosis, Majo, Jun. (Sobol. Petr. edit. Ross. 1801 p. 389 n. 378 s. n. eod.); in nemorosis, pratisque humidis copiose; primo vere (Weinm. Pawl. 1824 p. 264 s. *F. ranunculoide* Dec., Mönch. ut seqq.); in pratis sylvaticis humidis, e. g. in horto Imp. aestivo! etc. (Turcz. 1825 n. 358); in locis herbosis, succosis, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 57 n. 381).

V. CALTHA:

Vergilii forsan a Calatho, a restauratoribus scientiae botanicae praecipue in nostra *Caltha*, ab aliis vero in *Calendula* quaesita fuit. Apud C. Bauhinum utraque diversissima sub eodem titulo generico. Cum vero *Caltha* Ruellii et Fuchsii jam antea apud Brunfelsium *Calendula* audiat, et hocce nomen a Trago, Dodonaeo, Tabernaemontano, Gesnero, Caesalpino aliisque usque ad Tournefortium et Vaillantium eodem sensu receptum fuerit, jure illaeso Gesner et alii, Ruppius et Linnaeus *Caltham* eligere et generice constituere potuerunt. Dubium tamen, an vera Poëtarum *Caltha* sit; quare *Populago* apud Tabernaemontanum 1588, Rajum, Tournefortium et Scopoli dicta, et aptissime a Candollio tanquam nomen subgenericum nostrae plantae superimposita.

25. *C. palustris* Gesner 1561, Dodon., Lobel., Dalech., Camer., Gerard, C. Bauh., et plurim. usque ad Linné = *Caltha Vergilii* Tragus 1552! = *Chamaeleuce* Plin.?, Anguill. 1561, Turner.

Caulis erectus, dichotomus, $\frac{1}{2}$—1 ped. multiflorus. Folia cordata, suborbiculata, crenata, petiolis auriculatis. Petala 8—5 lin., rarius 4 lin. cum majoribus in eodem caule.

In locis humidis, ad rivulos, in pratis paludosis, ubique copiosissime. Floret fine Aprilis ad initium Junii usque et (secunda vice?) medium Augusti; fructus maturant jam fine Maji. ♃.

Hist. spec. Passim in locis uliginosis (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 91); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); in pratis a fl. Newa! innundatis et passim in paludibus et locis uliginosis, Majo — Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 134 n. 377; edit. ross. 1801 p. 404 n. 389); in fossis, pratis humidis et ad margines lacuum ubique, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 264); vulgaris (Turcz. 1825 n. 360); abundat ad margines fossarum, lacuum et pratis uliginosis, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 57 n. 383).

VI. TROLLIUS.

Nomen vernaculum ex monte Pilato, ubi: *Troll-Blume* dicitur, primum obveniens apud Gesner, Clusium et J. Bauh., optime selegere Ruppius et Linné, genusque constituere. Cum *Ranunculis*, serius cum *Helleboris* congregatus fuit, unde etiam *Helleboro-Ranunculus* dictus.

26. *T. europaeus* L. = *Ranunculus globosus* (J. Gerard 1597) sive *montanus* Camer. 1588 = *Trollius flos* Gesner 1552, Clus.

Herba glabra, erecta, radicibus fibroso-fasciculatis nigricantibus. Folia usque ad petiolum 5 partita, partitionibus rhombeis, antice serratis incisis vel trifidis. Caulis foliosus simplex vel parce ramosus. Flores citrini,

Calthâ majores. Sepalis 10—15 in globum fere conniventibus et petalis 5—10 angustissimis stamina aequantibus a reliquis speciebus *Trollii* differt.

In nemoribus, pratis sylvaticis, fere ubique copiosissime. Floret medio Maji m. et Junio ad initium Julii; fructif. jam initio Junii. ♃.

Hist. spec. Circa Duderhof! et Krasnoje-Selo, m. Junio (Amman Mss. post 1736 s. n. *Helleboro-ranunculus*); in betuletis et passim, magna copia, praesertim Schlüsselburgum versus et circa Dubki (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 91); passim in sylvis et pratis, in magna copia praecipue ad viam Sarscoseliensem et m. Pulcovum atque fabricam pyriam Ochtensem; Majo, Junio (Sobol. Petr. 1799 p. 134 n. 376; in edit. Ross. 1801 p. 403 n. 388 omissus locus ad fabr. Ochtens. — de hoc syn. cf. observ. infra); abundat in pratis et fruticetis humidiusculis, Majo ad Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 265 cum descriptione fusiori, cujus ansa ex observ. infra patet); vulgaris (Turcz. 1825 n. 359); in pratis, sylvis et fruticetis ubique; Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 57 n. 382).

***Obs.* 1.** Planta Petrop. plerumque tantum 1—2 flora; caulis interdum 8 pollic. = β *humilior* Koch. Haec forma transit in robustiorem, 2 pedalem, grandifoliam; flores quoque variant magnitudine. *T. humilis* Crantz a *var. humiliore* diversus flore subsessili, intra folium ultimum involucrato; talis heic deest.

***Obs.* 2.** *T. asiaticus* L. indicatur Petropoli a Sprengel et Weinm. in Regensb. Bot. Zeitg. 1822 I, 227, certe tantum errore (cf. R. Diatr. Petr. 1845 p. 68), forsan exorto ex De Cand. Syst. I (1818) p. 313 ubi *T. europaeus* Sobol. Fl. Petr. cum dubio ad *T. asiaticum* refertur, quia Sobolewsky sepala 8—10 indicat, nec 15 ut Candollius pro *T. europaeo* exposcit. Verus *T. asiaticus* L. habet: sepala patentia!, petala ultra 10, oblongo-linearia staminibus saepius longiora et stylos germinibus duplo breviores rectos; cis montes Uralenses nondum observatus.

VII. AQUILEGIA.

Sic dicta a Fuchsio, Trago 1532! Dodonaeo et Matthiolo 1558 (generice constituta apud C. Bauh., Tourn. et Linnaeum), non quod aquam floribus colligat, sed formata et corrupta ex = *Aquilina* Matth., Lobel. 1576, Camer. Clus.; propter flores calcaratos, ungues aquilinos referentes = *Aquileia* Lobel. 1581, Dodon. Camer. Dalech. Gerard. = *Acoleia* Hildegardis 1533 teste Sprengel et E. Meyer, ex vernaculis: *Akolei*, *Akeley*, *Aglei*, nam constat Sanctam Hildegardin saeculo XII multa nomina plantarum latina ex germanicis mutuasse.

27. *A. vulgaris* Weinm. 1737, Linné = *A. sylvestris* C. Bauh. 1623, Tourn., Garid., Necker = *A. columbina* Gerard. 1597 = antiquiora supra.

Herba glabra, $1-2^1/_2$ ped. Folia biternata; foliola triloba, crenata, crenis ovatis rotundatis. Sepala oblongo-ovata. Calcaria apice hamata. Flore est coeruleo et vix alterius quam punicei coloris in sylvestribus reperias: C. Bauh. — tamen flos albus jure et imo carneus admittitur.

In graminosis, umbrosis hortorum praecipue, non raro, nequaquam vero in locis similibus sylvarum Ingriae primaevarum, unde de proventu spontaneo dubia restant; vulgo tamen ita etiam in Germania et in Esthonia ubique obveniens jus indigenum acquisivit. Floret ante initium aut medio Junii ad initium Augusti et serius. Fructus maturi fine Julii vel ocius. ♃.

Hist. spec. In sylvis herbosis circa vicum Strelina! ubi dantur plures ejus varietates flor. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 126 n. 353, ubi varr. fl. plenis, coerul. albis, roseis, rubris) et Pargelowii (Sobol. edit. Ross. 1801 p. 375 n. 365); locis umbrosis et sylvis herbosis delectatur, pr. Strelnam!, flor. Jun. Jul. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811 p. 41 tab. XIV); in herbosis ad ductus aquarum Taitzenses rarissime, Jun. Jul.

(Weinm. Pawl. 1824 p. 256 et Petr. 1837 p. 55 n. 370); prope Strelnam! (Prescott ex Turcz. 1825 n. 344); via Peterhofiana, Pulcova, Gatschina, Kempelowa etc.

VIII. DELPHINIUM.

Δελφίνιον Diosc. = *D. peregrinum* et *tenuissimum;* a similitudine floris clausi cum Delphino. Gesner, Dodonaeus et Clusius nomen contra „*Consolidam regalem*“ multo magis a contemporaneis celebratam feliciter defenderunt; Tournefortius, Rivinus et Linnaeus genus *Delphinium* sine opera et labore constituerunt. *Consolida*, nomen ex miris in conservanda oculorum acie effectibus perhibitis ducens, De Candolle loco subgeneris posuit, cui sequens adnumeranda species:

28. *D. Consolida* L. = *D. segetum* Tourn. Lamck. = *D. vulgare* Clus. 1601 = *D. sylvestre* Gesner 1561 = *Consolida regia* Fuchs, Trag., Lonic., Thal. = *Consolida regalis* Brunf., Gesner, Matth., Camer. et Chabr.; quo titulo alii *D. Ajacis* descripserunt, serius distincta epitheto, haec „*hortensis* s. *sativa*“, illa „*sylvestris* Gerard 1597 s. *arvensis*“ Tabern. 1588, C. Bauh. — *Bucinum* Dodon. 1553!

Caulis divaricato-ramosus. Folia palmatim multifida, laciniis linearibus. Racemi pauciflori; pedicelli bracteâ longiores. Flores azurei. Capsulae glabrae.

Inter segetes, olim cum *Centaurea Cyano* introductum, passim copiose; interdum in arvis superstes. Floret Junio (Sobol.), Julio ad medium Augusti; fructus matur. cum flor. ultimis initio Sept. ⊙.

Hist. spec. In agris inter segetes (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 84); uti in Ligova et Crasnoje-Selo, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 125 n. 351; edit. Ross. 1801 p. 372 n. 363); inter segetes ubique, fl. per totam aestatem (Weinm. Pawl. 1824 p. 252 et Petr. 1837 p. 55 n. 368); in montosis Duderhofii! (Turcz. 1825 n. 342).

IX. ACONITUM.

Ἀκόνιτον Diosc. *alterum* (ἕτερον) = *Aconitum* Plin. est *A. Napellus*, ideo appellatum, quod in nudis rupibus, quas aconas nominant, nascatur. Hoc etiam κυνοκτόνον vel λυκοκτόνον vocari, Dioscorides refert, triplex distinguens: unum, quo venatores, alia duo, quibus medici utuntur. Ἀκόνιτον Theophr. = *primum* Diosc. est *Doronicum Pardalianches*, praecipue circa pagum Aconis crescens. Clusio genus melius, quam ceteris patribus circumscriptum, characteribus facillimis a Tournefortio et Linnaeo stabilitum.

29. *A. septemtrionale* Kölle 1788, Willd. Ait. Dec. = *A. Lycoctonum* Linné Fl. Suec., Gorter 1761 et teste Linné etiam Frankenius 1659 nisi 1638 = *A. Lycoctonum var.* fl. coeruleis Gunner 1766 = *A. coeruleum* Rudbeck 1720, (non Gesner 1587 C. Bauh. et alior.) = *Calceolus Lapponum* sive *Brassica rangiferorum* Schefferus 1673.

Calcar filiforme, spiraliter convolutum. Nectaria erecta. Semina argute triquetra, undique plicato-rugosa. Folia palmata, radicalia ultra medium multifida, caulina superiora 3 — 5 loba. Planta 3 — 5 pedalis.

Jam Linnaeus in Fl. Lapp. memoravit, flores ubique cinereo-coerulescentes fuisse. Wahlenberg serius in Lapponia rarissime varietatem floribus albo-lutescentibus cum typica crescentem detexit, sed in Fl. Suec. monuit, exterorum *A. Lycoctoni* flores magis luteos esse. Separandum igitur *A. Lycoctonum luteum* Fuchs, Camer., Thal., Dodon., Clus., C. Bauh., Besler et Chabr. sive *A. Lycoctonum* Loniceri, Cordi et pp. Linnaei Spec. pl.; a quo nostrum discedit: floribus coerulescentibus, bracteis non in medio pedicellorum, sed basi eorum insertis et foliorum sinubus acutioribus (De Cand.); varietas quaedam lutea nullibi in Rossia, nisi Mosquae indicatur, quum coerulea in Rossia europaea media, boreali et arctica communissima sit, et transitus ideoque haud

locum obtineant. Ceterum non celandum, plantam Ingricam a descriptione *A. septemtrionalis* apud De Candollium discrepare: floribus semper pubescenti-velutinis.

In regione elevata, in graminosis, inter frutices passim copiose; deest in regione demissa et in isthmo Kareliae, ut in Fennia tota, excepta parte boreali rupestri lacus Ladogae, ubi iterum copiosissima. Floret a medio Junii ad medium Julii; fructus fere maturi jam medio Julii. ♃.

Hist. spec. Ad fluvium Wolchow supra pagum Tschertowo, Jul. (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 84. — Sobol. Petr. 1799 p. 126 n. 352; edit. Ross. 1801 p. 373 n. 364 plantam ex loco Krasch. citans, falso floribus luteis et ochroleucis describit, uterque s. n. *A. Lycoctonum* L.; e praedio Tuchali, non longe a Tschudowo, a Da Kessler lectum in hb. D. Eichwald, idem est ac Petrop.); in fruticetis humidis et declivibus amnium sat frequens, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 255 s. n. *A. Lycoct. var. septemtrionale* Kölle); in m. Duderhof prope ecclesiam Fennorum! (Turcz. 1825 n. 343); in sylvis et fruticetis humidis passim (Weinm. Petr. 1837 p. 55 n. 368 s. n. *A. Lycoct. var. septemtr.* Kölle); copiose pr. Zarskoje Selo! et in fruticetis quercinis pr. Woronina! cum *Chaerophyllo aromatico;* circa Pawlowsk leg. D. Zobel.

X. CHRISTOPHORIANA.

Candollius *Cimicifugam* et *Macrotyn Actaeae* suae adjungens, *Actaeam* Linnaei reformatam ad species baccatas angustius restrictam, tanquam sectionem sub nomine antiquiori generico *Christophoriana* Raj. Tournef., solo patribus usitato proposuit. *Actaea* quidem tempore Bauhinorum vulgo dicta fuit, an vero *Actaea* Plinii Lib. 27 c. 7, Lobelio et ipso C. Bauhino jam dubium videbatur; ἀκτὴ Hippocr. = *Sambucus Ebulus;* ἀκτῆ, ἀκτέα Theophr. Diosc. (ideoque etiam *Actaea* Plin.) = *Sambucus nigra.*

30. *Ch. vulgaris* (Moris.) Ruppius = *Christ. spicata* Mönch = *Actaea spicata* Linné (quare hanc contra regulas terminologiae botanicae ipsius suae, *spicatam* dixerit, cum apud Dalechampium, C. et J. Bauhinos, Morisonium aliosque, epitheto *racemosae* obveniat, valde obscurum; forsan *baccata* scribere voluit, respectu *A. racemosae* L. non baccatae, cui epitheton *spicata* apud Dillenium et Plukenettium) = *Aconitum racemosum* (C. Bauh.), *actaea* quibusdam J. Bauh. = *Christophoriana:* Gesner 1561, Dodon., Lobel., Tabern., Clusius.

Radix subfibrosa, nec irregulariter tuberosa (ut in *A. brachypetala*). Folia 2—3 ternato-pinnata, foliolis ovatis oblongisve, inciso-serratis. Flores albi, racemosi; racemus ovatus. Petala longitudine staminum. Baccae subglobosae, nigrae.

In sylvis, nemoribus, praecipue montosis regionis elevatae passim copiose, rarius in isthmo Kareliae, sed in reg. demissa nondum observata. Floret medio vel fine Maji m., saltem usque ad medium Junii; fine Julii m. jam baccis maturis, medio Aug. nondum penitus delapsis. ♃.

Hist. spec. In montosis Duderhofii vulgaris! (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 82 s. n. *Actaea spicata*, ut seqq.); in m. Pulcovo! et Duderovo! atque in aliis sylvis umbrosis, montosis, Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799 p. 122 n. 344; edit. Ross. 1801 p. 361 n. 356); in sylvis montosis Pulcovae et Duderhovii, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 248); in montosis sylvosis Pulcowae et Duderhofii (Turcz. 1825 n. 336); in sylvis umbrosis passim, vere (Weinm. Petr. 1837 p. 54 n. 363); copiose circa Lissino! Zarskoje Selo!, Jermolino! Toxowa!

Fam. II. BERBERIDEAE.

Petala et stamina foliolis calycis opposita. Antherae non rima longitudinali, sed valvula elastica utrinque dehiscentes, ut in *Laurineis*, *Atherospermeis* et *Hamamelideis*, ceterum minime affinibus. — *Berberideae* mediante *Podophyllo* arctissime ad *Ranunculaceas* accedunt, inde ad *Papaveraceas* vergunt, quibus germine solitario conveniunt, fructus etiam pluralitate typica placentis parietalibus et stylo obliquo indigitata. Irritabilitatem stigmatis et filamentorum notissimam in *B. vulgari* detexit Baal, hortul. Monspeliensis (sec. Linné 1755).

⚹ *B. vulgaris* Clus. 1601, L. = *B. officinalis* Dalech. 1587 = *Berberis* Brunf. 1536 et plur. patr. = *Crespinus* Matth. 1558 = *Oxyacantha:* Hermolaus 1530, Ruell., Fuchs, Trag. (non Theoph. et Diosc.) = *Oxyacantha Galeni* (non Diosc.) Cord. 1561 Tabern. = *Amyrberis:* Arabum. (*Berberis cretica* L. erat *Spina appendix* Plin. = κολυτέα Theophr.)

Spinae tripartitae. Folia fasciculata obovata ciliato-serrata. Racemi ∞ flori penduli. Petala flava integra vel leviter emarginata. — Frutex in australioribus arboreus per saeculum vivens. Liber substantia flavo-tingente, purgante scatet; principium extractivum peculiare *Berberidinum* recondit, *Rhabarbarino* simile. Baccae immaturae amaro-adstringentes; bene maturae acidae et succum officinalem largiuntur; rarius dulcescunt. Folia juniora acido-adstringentia, in gingivarum laxitate ad masticandum commendantur.

Nullibi in Ingria sponte crescit, sed in hortis frequenter occurrit et hinc inde e cultura superstes est, v. g. in sylvis montosis Duderhofii (R. Diatr. Petr. p. 27). Spontanea dicitur Mosquae et in Esthonia. Floret Majo m.; fruct. Aug. ♄.

Fam. III. NYMPHAEACEAE.

Charact. differ. Cal. 4—5, rarissime 6 sepalus. Cor. regularis; petala ∞, sensim in stamina abeuntia. Stam. ∞, hypogyna et perigyna. Antherae adnatae introrsae! Torus carnosus, urceolaris, ovaria includens (in *Ranunculaceis* tantum in *Paeonia Moutan* magis evolutus est). Ovarium ∞ loculare, carpellis ∞ ovulatis, toro maturo destructo liberis; ovula parietibus loculorum affixa. Embryo dicotyledoneus, extra albumen ad basim seminis situs, semiemersus et sacculo amniotico inclusus. — Herbae aquaticae, rhizomate repente crasso, e petiolis delapsis cicatricoso, radicibus in *N. lutea* nigricantibus, in *N. alba* albidis. Folia et flores emersi natant.

Affin. et vires. Nymphaeaceae tori fabrica et seminum structura distinctissimae, inter familias indigenas affinitatem quandam cum *Papaveraceis* et *Ranunculaceis* agnoscunt, cum *Hydrocharideis* Monocotyledonum tantum analogiam. Agmen in ordine familiarum naturali rectius forsan, quam *Ranunculaceae* ducunt *Nymphaeaceae* cum *Nelumboneis*, antiquissimis temporibus sacrae et adoratae. *Leuconymphaea* inter indigenas omnes flore amplissimo, pulcherrimum aquarum decus exhibente, insignis. Rhizoma inodorum, mucosum, amarum, subadstringens; junius amylo, muco et saccharo scatens, cibo praeparando idoneum. Folia muco plena vulneraria creduntur. Flores odore modico subnarcotico praediti inter antiaphrodisiaca numerabantur. *Nuphar* florum odore peculiari subalcoholico insigne. Folia mammis imposita lac reprimere perhibent. Semina utriusque generis albumine amylaceo plena, esculenta.

Conspectus generum.

XI. **NYMPHAEA.** Cal. 4 sepalus. Petala ∞, fovea nectarifera destituta. Radii stigmatis in radios totidem tori excurrentes. Ovarium (mediante sc. toro) petalis staminibusque obsessum semiinferum. — Flores albi (in spec. exoticis rosei, rubri, coerulei, numquam lutei).

Obs. Saepissime indicia adsunt sepali 5ti, nam petalum infimum in facie externa plus minus colore viridi suffusum.

XII. **NUPHAR.** Cal. 5 sepal. Petala ∞, sepalis multo minora, fovea nectarifera dorsali. Radii stigmatis in peltam tori integerrimam vel leviter sinuatam (aut subnullam) excurrentes. Ovarium liberum superum. — Flores lutei.

XI. NYMPHAEA.

Nymphaea Plinii (ex parte) = νυμφαία Diosc. (non Theoph.) = σίδη Theophr. = *Nymphaeam albam* vel speciem proximam sistit. Sic dicta ex metonymia nymphae i. e. aquae; vel ex metaphora propter flores omnium speciosissimos. Genus apud Tournefortium et praecipue Linnaeum male limitatum, *Nuphar* et *Nelumbium* adhuc includens. Multo melius Boerhaave 1710 distinxerat *Leuconymphaeam* (*N. albam* vulgo) et *Nymphaeam* (*N. luteam*). Salisbury, Boerhaavium sequens 1806 pro *Leuconymphaea: Castalia*'m substituit; ast Necker 1790, Smith 1806, Richard, Aiton et omnes fere herbarii posteriores nomenclaturam Boerhaavii pervertentes, *Nymphaeam* pro σίδη posuerunt.

31. *N. alba* Fl. Petrop. omnis exactius est *N. biradiata* Sommerauer 1833, secundum expositionem fontis primarii et penitiorem Schlechtendalii in Syll. bot. Berol. 1832 p. 558, ex quo ultima nostra dubia sublevata sunt, nam probe ibi distinctum est inter radios stigmatis — et appendices postea sursum curvatos, non ad stigma, sed potius ad torum pertinentes; ex neglecta distinctione

horum amborum organorum, descriptiones *Nymphaearum* recentissimarum*) fere omnes obscurae.

De *N. biradiata* Suecica cel. Fries 1845 monet: „Stigma innumeris modis ludit, in minoribus radii pauci, 5—8, in maximis 20 et ultra. Nobilissima et rara est forma stigmate toto! sanguineo, radiis nunc tricuspidatis! nunc integris" (haec est Petropolitana! nec alia ex Ingria hucusque innotuit). „Vulgatissima in stigmate luteo habet maculam discoideam sanguineam, in singulos radios (stigmatis sc.) dentibus tribus excurrentem" (haec est *N. biradiata* Reichenb. Icon. Fl. Germ. coloribus pictae, an etiam Kochii? minime vero Sommeraueri) „sed per gradus haud sensibiles haec macula expallescit et sensim abit in stigma luteum" (haec est *N. alba* Sommerauer! Rchb.! Koch! Engl. Bot! Hayne! Schkuhr! — an Linnaei? valde dubium — sed est etiam certe antiquissima *N. alba* Matthioli 1554!).

Nymphaea candida Fuchs 1542 et *Nenuphar foemina* s. *album* s. *Nymphaea alba:* Brunfelsi ad *N. albam* germanicam vulgo, nec ad speciem certam recen-

*) Comparationis gratia additur conspectus ordine chronologico. 1) *N. candida* Presl 1822, Rchb. t. 70. Germen tantum 1/3 parte a basi staminibus obsessum, superne nudum; fructus ovato-conicus (in *N. alba* globosus); stigm. 8. Bohemia. 2) *N. pauciradiata* Bunge 1830. Flores 2½''; stigm. 8—9; nervi fol. subtus canaliculati. Fl. Altaïca. 3) *N. biradiata* Somm. 1833. Styria. 4) *N. intermedia* Weicker ex Reichb. 1842. Stigm. 9—12 rad. flavum aut puniceostriatum. Saxonia. 5) *N. Basniniana* Turcz. 1842. Flores, quam in *N. alba*? majores; folia magis elliptica (nec perfecte rotunda) et stigm. 9. Fl. Baical. Dahur. 6) *N. punctata* Kar. et Kir. 1842. Flos magnit. *N. pygmaeae*; fol. subdenticulata, supra impresso-punctata. Fl. Altaïca. 7) *N. semiaperta* Klinggräff 1848. Borussia orient. Calyx petalis adpressus, semiclausus (nec horizontaliter apertus); ovarii pars 1/4 superior attenuata nuda. Semina duplo majora et radii pauciores, quam *N. albae*. Videtur *N. biradiata* auctori plane ignota. 8—12) *N.* (*alba*?) *splendens* (antherae speciose vitellinae, in *N. alba* sulfureae), *urceolata* (ex fruct.), *venusta* (Tournef. t. 137, 138?), *rotundifolia* (ex fol.), *parviflora* (Schkuhr t. 142?), flores 3—4 (nec 4—6) poll. Hentze 1848. German. media. 13) *N. neglecta* Hausleutner 1850 ex ipso simillima *N. semiapertae*, nisi eadem. Silesia. A *N. biradiata* distinxit: stigm. aurantiaco et ovario ex 1/3 parte nudo, at serius pro eadem agnovisse videtur. 14) *N. Kosteletzkyi* Palliardi ex Lehm. 1852. Ovarium (in sicco) villosum; flores 1/2 pedem et altius supra aquam emersi. Bohemia.


tiorum amandari potest. Sommerauer *N. biradiatam* suam in Syll. bot. Ratisb. XVI, p. 625 describit: foliorum lobis ± remotis, nec imbricatis; radiis 5 — 10, raro pluribus, et differentiam ab *N. alba* addit ex odore et radio stigmatis sanguineo.

In omnibus specc. Petrop. radii stigmatis intense sanguinei, qui color in floribus virgineis interdum pallidior, post foecundationem ex polline adhaerente sordidus. Stigma variat 7 — 18 radiatum; radii pauci non semper cum flore parvo conjuncti. Appendices radiorum luteae, apice croceae. Semina juniora pulcherrime roseo-sanguinea, matura sordida. Folia plantae juvenilis nondum florentis basi angulum 45—90° formant; in planta florente adultiori margines loborum basalium vel rimam longitudinalem angustam (vix 10°) exhibent, vel saepe lobus unus alterum tegit. Apud Schkuhr, Hayne et in Engl. Bot. *N. alba* (vera, radiis luteis) lobis foliorum sese non tangentibus pingitur, sed divergentibus et angulum acutum formantibus. Hic character exsiccatione plane mutatur ideoque minime ex herbariis dijudicari potest.

Varia insuper in *N. biradiata* nostra cum descriptione *N. albae* apud Candollium non conveniunt, v. g. folia subtus rubra; sepala extus non virescentia solum, sed rubro suffusa; flores plerumque tantum (ut in *N. nitida*) semiaperti, leviter odori. Petala obtusa (non acuta), in floribus minoribus quandoque acutiuscula. Nectarium (sic dictum) in centro stigmatis cylindrico-conicum (nec ovato-conicum obtusum). Ovarium inferne $^2/_3$ altitudinis suae calyce et petalis obsessum, superiori $^1/_6$ parte staminibus et $^1/_6$ spatii (in fructu fere 3 lin.) nudum remanet. Candollius in *N. alba* numerat: petala 28, nempe 4 petala in 7 seriebus disposita; stamina 84 — 96, nimirum 12 in quoque verticillo, seriebus 7 — 8; stigma 16 radiatum, appendicibus adscentibus; haec omnia aliter in *N. biradiata* Fl. Petrop.; verticilli petalorum et staminum minus regulares tetrameri et potius in ordine spirali a dextra ad sinistram dispositi. Exemplis nonnullis ex eodem stagno desumptis ordinem et varietatem ad oculos demonstare e re erit.

Diametros floris in lineis m. Paris. et radii ex centro pedunculi.	Numerus petalorum et serierum.	Numerus staminum et serierum.	Numerus radiorum stigmatis et directio appendicum.
A. $2 \times 27''' = 50!'''$	3 pet. $\times$ 7 ser. $= 23!$	8 stam. $\times$ 9 ser. $= 73!$	11; app. adscendentibus, apice inflexis.
B. $2 \times 24''' = 45!'''$	4 $\times$ 6 $= 23!$	9 $\times$ 9 $= 80!$	10; adscendentibus erectis.
C. $2 \times 17''' = 30!'''$	4 $\times 4\frac{1}{2}$ $= 18!$ (pet. acutiuscula.)	9 $\times$ 8 $= 70!$	11; erectis, apice inflexis.
D. $2 \times 16''' = 30!'''$	4 $\times$ 6 $= 22!$ (pet. obtusiuscula.)	9 $\times$ 7 $= 62!$	9; erectis, apice inflexis.

Mensura Parisiensis:



N. alba minor Besler 1613, multum citata, nostris exemplis C. et D. responderet (salvo colore stigmatis); Besler suam var. pinxit flore 3 poll. in diametro, typicam *albam* ex icone 5 pollicarem. Sed adest in lacubus isthmi Kareliae v. g. circa Pargolam et in Karelia media (Fennica) alia forsan magis constans et insignior forma parviflora = *N. alba minor* Reichb. ex icone! ut videtur etiam C. Bauh. 1623 (hic enim Beslerianam a sua minori distinxit); an etiam Tabern. ic. 1118 (fere fictitia), Lobel et Pena 1570 et Gerardi? an *Nymph. parva* Matthioli? — Haec forma propius examinanda; excellit foliis parvis, flore 18—24‴ in diametro, radiis stigm. 7.

In stagnis et lacubus, fluviis pigris et canalibus, fere ubique copiose. Floret a medio Junii m. ad initium Augusti. Flores aperit locis subumbrosis inter horam 8—9 mat.; claudit inter h. 3—4 pomerid., at minus arcte, quam horis nocturnis. Fruct. maturi autumno. ♃.

Hist. spec. In fl. „Tschornaja" dicto (a Gortero omissum: „quae in Newam apud portum penteconterum! influit" ex Krasch. Ind. mss. 1749) copiosissime crescit et per totam Ingriam locis convenientibus (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 83 sub *N. alba*, ut omnes auctores seqq.); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in aquis stagnantibus cum *Nymph. lutea;* floret Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 124 n. 348; edit. Ross. I 1801 p. 368 n. 360); in lacubus fluviisque lente fluentibus non rara, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 247); vulgaris (Turcz. 1825 n. 337); in fossis profundioribus, lacubus; Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 54 n. 365 enumerantur 3 formae: a. *vulgaris;* b. *minor;* c. *approximata*).

XII. NUPHAR.

Vox antiquissima νοῦφαρ Diosc. aliis videtur aegyptia, composita a νοῦ (Nil) et φάρ, quasi φάρμακον Nili; — aliis contracta ex *Nenuphar* s. *Nenufar* et hoc ex persico *Nilufar* i. e. coeruleo splendens. Dioscorides *N. luteum* hoc nomine intellexit; restauratum est genus

Nuphar a Smith 1806, Aiton, De Candolle. Idem est genus *Nymphaea* (Theophr.) Boerhaave 1710 et Salisb. 1806. *Nuphar* gen. foem. a Smith usque ad De Candolle, neutrius apud omnes recentiores.

32. *N. luteum* Smith = *Nymphaea lutea* Fuchs 1542, Dodon. 1553! Matth. 1586! et pl. patr. usque ad Linné et 1820 = *Nenuphar mas* s. *luteum* Brunfels 1530 = *Nymphaea capite luteo:* Plin. = νυμφαία ἄλλη sive νοῦφαρ Diosc. = νυμφαία Theophr.

Radii stigmatis ante marginem peltae, centro profunde umbilicatae, desinentes, 10—20. Antherae oblongo-lineares. Petala unguiculato-cuneata. Folia ovalia, ad $^1/_3$ partem cordato-incisa, lobis approximatis. Petioli subtrigoni. In planta Petrop. sepala 12—14 lin. longa; radii stigm. 11—16.

Locis *Leuconymphaeae* similibus cum vel absque ea, frequens et copiosum est. Floret paullo serius, fine Junii; medio Augusti m. flores ultimi hinc inde conspiciuntur et interdum fructus maturi. ♃.

Hist. spec. Non procul ab Ischora Newae in stagno m. Augusto; florentem non vidi (Gmelin Mss. 1733 n. 68 ex syn. J. Bauh.); in fl. Tschornaja! dicto (quae in Newam apud portum penteconterum influit: Krasch. Mss. 1749, a Gort. omiss.) copiosissime! provenit et per totam Ingriam locis convenientibus (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 83 sub *Nymphaea lutea*); in ins. Kronstadt! (Georgi Mss. 1795 sub *Nymph. lut.*); in stagnis paludosis et fluviis lente currentibus copiose provenit, in ins. apothecaria atque lapidea et Catherinhoffii occurrit passim; flor. Jun., Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 124 n. 347; in edit. Ross. 1801 p. 367 n. 359 excluditur locus Catherinhof. — sub *Nymph. lut.*); crescit et floret cum *Nymphaea alba*, Julio (Weinm. Pawl. 1824 p. 247 sub n. *Nenuphar luteum* Link); vulgare (Turcz. 1825 n. 338 s. l.); in aquis profundioribus ubique, Julio (Weinm. Petr. 1837 p. 55 n. 366).

Adnot. *Nuphar intermedium* Ledeb. ex Bunge 1830, in Livonia c. Dorpat a Ledeb. indicatum, etiam Petropoli adest, sed observationibus continuatis jus speciei evincendum. Pelta stigmatica centro leviter tantum impressa, radiis 11—14 et petiolis depresso-planiusculis diversum a simillimo *N. luteo*, cui cel. Ledebour radios 15—20 tribuit. Ex observ. Andersoni (in Fries 1845) inter *N. luteum* et *pumilum* medium; a priori similiori praeter notas indicatas adhuc dignoscitur: floribus duplo minoribus, foliis multo minoribus et radiis stigmatis interdum usque ad marginem peltae lobatum excurrentibus; differentiam in numero radiorum silet. Petropoli legi in eodem loco fructus *N. lutei* genuini et *N. intermedii* peltâ centro umbilico orbiculari $1^1/_2$—2 lin. in diametro, plano vel medio levissime foveolato et radiis stigmatis numquam ante marginem evanescentibus; sed radii etiam 16 aderant, in *luteo* contra non raro 14. Anne in fructibus quibusdam *N. lutei* canalis vel fovea profunda in centro peltae, formatione textûs cellularis sub strato corticali (toro) ± oppletur; an tantum in quibusdam individuis?

33. *N. pumilum* Dec. 1821 (in auctore errabant Koch et Ledeb., nam Smith post De Candollium 1829 *N. pumilum* nominavit) = *Nuphar minima* Smith 1811 = *Nymphaea pumila* Hoffm. 1800 = *Nymphaea lutea* β *minima* Willd. 1799 = *Nymph. lutea* β *pumila* Timm in Magaz. Naturk. Meklbg. II, 256 = an? *Nymphaea altera lutea minor* Dalech. 1587.

Radii stigmatis ad marginem peltae, inde acute dentatae, excurrentes, 8—10, demum in pelta hemisphaerica reflexi. Antherae subquadratae, latitudine sua sub $1^1/_2$ longiores (nec sub 4 plo longiores, ut in simillimo *N. Spenneriano* Gaud., Koch; ab aliis auctoribus non vel varietate tantum separato). Folia subovalia, profunde cordata, lobis plerumque divergentibus. Petioli depresso planiusculi. Dimidio minus, quam *N. luteum*, flos magis *Calthae;* folia tenuiora, stigma magis spongiosum, sub

anthesi semper viridulum, demum fuscescens, numquam luteum ut constanter in *N. luteo.* Semina duplo minora.

In fossis insulae Christophsky, Jul. et Aug; Dr. Schreiber (Weinm. Petrop. 1837 p. 55 n. 367); in stagno circa monasterium Alexander Newski! copiose; initio Augusti m. cum floribus et fruct. maturis vidi, medio Septembri fructus non amplius, nisi rarissime adsunt. Forsan quoque circa Pargolam crescit, unde specc. juniora nondum florentia retulit D. Kühlewein.

Fam. IV. PAPAVERACEAE.

Character. Calyx 2 sepalus. Corolla regularis, 4 petala, rarius nulla. Stamina 4 vel ∞, libera. Ovarium uniloculare, ex 2 — ∞ carpellis imperfectis connatum, placentis intervalvularibus. Embryo minimus, rectus, ad basin albuminis, radicula ad hilum sita. — Herbae lactescentes, succo albo vel croceo, rarius aqueo. Folia alterna, exstipulata, plerumque irregulariter lobata vel laciniata. Flores vel solitarii vel umbellati vel paniculati.

Affin. et usus. Papaveraceae ex embryone et carpidiis connatis (in *Platystemone* imo discretis) *Ranunculaceis* ex una parte, ex altera *Nymphaeaceis* et *Cruciferis* affines sunt. Ex *Papavere somnifero*, sauciatis superficie fructibus, succus lacteus effluit (unde ῥοίας), ex quo inspissato Opium (ὀπός, aliis νηπενθὲς) celebratissimum venenum narcoticum et medicamentum maximae dignitatis, in Oriente paratur, medicis Graecis et Romanis jam notum. Virtus narcotica plantis in Europa cultis subnulla. Semina oleosa sunt et mitia, alba frequentissimi usus cum cibis; oleum pingue expressum recens subnarcoti-

cum. — *Chelidonium majus* nauseosum, acri-amarum, succo croceo acri scatet, ejusque extracto et infuso radicis pariter acri ars medica utitur. Succus cuti applicatus rubefaciens; adversus maculas corneae et verrucas corrodendas adhibetur. Decoctum plantae ad purificanda equorum ulcera vermibus infestata; infusum radicis olim ad gossypium luteo tingendum. Herba et radix sicca fere iners.

Genera.

XIII. PAPAVER. Stigmata 4—20, in pelta ovarii radiantia. Capsula obovata, infra peltam stigmaticam foraminibus multis (i. e. apicibus carpidiorum) dehiscens. — Spec. Petrop. omnes ad sectionem capsulâ glabrâ pertinent.

XIV. CHELIDONIUM. Stigma bilobum. Capsula siliquaeformis, 2 valvis, 1 locularis. Semina crista callosa instructa.

XIII. PAPAVER.

Latinis, Plinio et patribus; Tournefortio genus melius limitatum. Vocem derivant a papa sive pappando. Graecis μήκων (μάκων), fueritne ab insula quadam μήκωνα, ubi a Cerere repertum fabulâ traditur, vel a τὸ μηκονεῖν, incertum.

⁜ *P. dubium* L. = *Argemone* capitulo longiore glabro Moris. 1680. Medium inter *P. Argemone* et *Rhoeas;* capsulis clavatis et pilis pedunculo adpressis cum illo convenit et ab hoc differt (Linné). A *P. Argemone* diversum: capsula glabra, breviori. Stigma 4—6 radiatum, pelta stellata. Flores parvi. Folia bipinnata, laciniis linearibus remote dentatis.

Dubiis sane maximis specimina pygmaea, in Diatr. Petr. 1845 p. 66 huc relata, premuntur, et ex iterato examine nunc potius pro extrema forma *P. somniferi* efferati habere, propensus sum, licet filamenta subulata, pili pedunculo subadpressi et stigma 4 radiatum, minime

cum hoc conveniant. *P. dubium* genuinum ceterum jam adest in arvis Esthoniae med. pr. Finn (Bunge Cent. exs.!). ⊙.

34. *P. Rhoeas* Ruellius 1536, Dodon. 1553! Lobel, Gerard, Moris., Linné = *P. erraticum* (s. *rubrum* Brunfels 1536) Matth., Cord., Dodon. et plur. = *P. erraticum* seu *Rhoeas* Plin. = μήκων ῥοίας Theoph. Diosc.

Capsula globosa. Flos magnus (petala in nostris $1^1/_2$ poll.). Stigma sub 10 radiatum, lobulis peltae imbricatim tectis. Caulis patentim hispidus. Folia pinnata et bipinnata, laciniae oblongo-lanceolatae, inciso-dentatae.

Petropoli in ruderatis hinc inde parce vel copiose (Kühlew.! in Hb. Acad., Kubarkin!; ipse tantum 1 Exempl.). An revera spontaneum? sed vidi etiam e gubern. Nowgorod et c. Dorpat indicatur. Floret a medio Julio ad med. Septembr. ⊙.

⚹ 35. *P. somniferum* L. = *P. spontaneum sylvestre* et *hortense*, semine alias nigro, alias albo Lobel 1581 = *Papaver* Brunf. 1536 = *P. album* et *nigrum* Plin. et alii usque ad Crantz. = μήκων ἄγρια (*nigrum*) et μ. ἥμερος (*album*) Diosc. = μήκων Iliad. Odyss. Theoph.

Filamenta superne dilatata (nec subulata, ut in prioribus). Capsula subglobosa. Folia oblonga inaequaliter dentata, superiora integra basi cordatâ amplexicaulia; inferiora sinuata, basi attenuata. — Apud veteres distinctum fuit inter: *P. nigrum* s. *sylvestre* (Dalech., Gerard, Raj.): seminibus nigris, petalis purpurascentibus vel roseis basi atroviolaceis — et *P. album* s. *sativum* (Matth. 1554, Dalech.): seminibus petalisque albis. Species ambas conjunxit Linnaeus et omnes fere post eum botanici, excepto Crantz et J. F. Gmelin 1806.

Planta sine patria, ex antiquissimis Graecorum et Romanorum temporibus hortensis, nunc in Europa quasi indigena.

Hist. spec. Spontaneum in hortis oleraceis, tum prae-

cipue in hortis ruralibus et ad segetes prope Goreloy Cabac et Ribaczja, et in pluribus aliis locis, floret Julio (Sobol. Petr. 1799 p. 123, n. 346, ex quo tantum *varietas* adfuisset *effluens:* capsulis globosis glabris minoribus, poris dehiscentibus majoribus, floribus albis, semine nigro); via Peterhofiana et Antelewa (Prescott ex Turcz. 1825 n. 340); in fimetosis et agris oleraceis circa hortos rusticorum (R. Diatr. Petr. 1845 p. 27), nec non in ruderatis ubique fere, sed tantum *P. nigrum*, vel efferatum, vel superstes et sponte sua quovis anno disseminatum. Floret ad finem Augusti m. usque. ⊙.

XIV. CHELIDONIUM.

χελιδόνιον Diosc. = *Chelidonia* Plin., E. Macer, Brunf., Dorst., Anguill., J. Bauh. = *Chelidonium* Fuchs, Trag., Matth. et plurim. — diu cum *Ficaria* inquinatum, primum a C. Bauhino segregatum, a Linnaeo iterum cum *Glaucio* inspurcatum. Nomen sec. Diosc. ex χελιδών, i. e. hirundo avis, quod hirundines eâ oculis pullorum excoecatorum medentur — aliis quod hirundinum adventu floreat et discessu evanescat (*Ficaria?*), quare Gaza apud Theophr. *Hirundinaria* vertit.

36. *Ch. majus* Fuchs 1542, Trag.! Matth. et plur. ad Linn. = *Hirundinaria major* Lobel 1576 = *Chelidonia* (Brunf.) *major* Plin. = χελιδόνιον μέγα Diosc.

Herba tenera lactescens. Radix verticalis fusca. Caulis ramosus. Folia pinnatisecta, segmentis suborbiculatis vel ellipticis. Pedunculi axillares apice flores umbellatos pedicellatos gerentes. Petala flava, $3-4'''$ in aliis 6 lin.

In umbrosis cultorum et ruderatorum locorum fere ubique copiose. Floret ab initio Maji vel Junii ad frigora autumnalia leviora usque; fruct. maturi ex initio Julii. ♃; interdum primo disseminationis anno caules floriferos et fructus enititur.

Hist spec. Ad Staraja Ladoga in ruderatis copiose provenit, sed et alibi in Ingria minime hospes est (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 83); in ruderatis et cultis

Petropoli! et in sylvis humidis Strelinae! ad Staraja Ladoga alibique copiose provenit; Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799 p. 123 n. 345) et ad sepes insularum! Newae fluv. (id. in edit. Ross. 1801 p. 362 n. 357); ad sepes et in ruderatis frequens, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 246); vulgare (Turcz. 1825 p. 341); in dumetis, sepibus, ruderatis, Majo ad Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 54 n. 362 cum var. β flore pleno).

Adn. Circa Mosquam indicatur: *Ch. laciniatum* Miller = *Ch. majus* β Linné = *Ch. majus laciniato flore* et *foliis quernis* Moris. = *Ch. majus folio laciniato* Clus. 1601. Insigne foliorum lobis angustis non rotundatis, sed semper acute laciniatis, corollis saturatius luteis saepissime semiplenis, petalis margine plerumque argute inciso-serratis, siliquis gracilioribus (Gmelin). Folia quidem pinnata, ut in vulgari, sed foliola palmata (Linné). Cultura non mutari fertur.

Fam. V. FUMARIACEAE.

Familiam sistunt *Papaveraceis* ex calyce 2 sepalo deciduo, petalis 4 cruciatis, fructu et semine, admodum affinem et forsan haud satis distinctam: corollâ irregulari et staminibus 6 diadelphis, in phalanges aequales oppositas connatis; anthera cujusvis phalangis intermedia bilocularis, laterales uniloculares ita, ut in toto flore loculi antherarum 8 adsint. — Herbae succo aqueo, numquam lactescente praeditae, tenerae, nunc ☉, nunc ♃ sed quolibet anno ad radicem fibrosam vel tuberosam usque emortuae. Folia glabra, simplicia quidem, sed petiolo ramoso saepe decomposita. Flores in racemis terminalibus aut oppositifoliis; pedicelli basi bractea, medio interdum bracteolis 2 aucti.

Affin. Ad *Cruciferas Fumariaceae* accedunt petalis 4 cruciatis, staminibus 6 et fructu; at calyx, petala et semina differunt, situs staminum alius; dissepimentum in fructu adhuc deest. *Balsamineae* ex habitu et flore affines, sed ex placenta centrali fructus et seminibus exalbuminosis longe diversae. Flores *Polygalacearum* et *Violacearum* corollas *Fumariacearum* aemulant, sed typo quinario constructi sunt.

Qualitates et usus. *Corydalium* bulbus odoris subaromatici, saporis intense amari, modice adstringens et acris, virtute emenagoga et anthelminthica gaudet, in officinis „*rad. Aristolochiae cavae* et *fabaceae*" nomine, tanquam succedaneum genuinae servabatur. *Fumariae officinalis* herba intense amara est, salibus dives, tonico-solvens, membranas et vasa modice stimulans; acidum *Fumariae* recondit, acido *Aconiti* isomerum.

Genera.

XV. CORYDALIS. Petala 4, unicum basi calcaratum. Siliqua bivalvis compressa, ∞ sperma.

§. 1. CAPNITES = BULBOCAPNOS. Radix tuberosa. Strophiolum seminum monocotyledoneorum digitiforme. Caulis simplex. Folia caulina pauca, alterna.

§. 2. CAPNOIDES = CORYDALIS (Matth.). Radix fibrosa. Semina cotyled. 2; strophiolum concavum. Caulis ramosus. Folia caulina plurima, alterna. — Specc. extraneae.

XVI. FUMARIA. Petalum 1, basi calcaratum. Nucula 1 sperma.

XV. CORYDALIS.

Corydalús Latinis, Graecis κορυδαλός, κορυδαλλίς erat species Alaudae avis. Flores cum pedicellis omnino effigie avis (Lobel). Nomen primo obvenit apud Matthiolum 1554 et Camerarium pro *C. lutea* Dec. An haec etiam fuerit Κορυδάλιον s. *Corydalis* Galeni et Anguillarae (hic 1561 *Corydalion*! scribit), ut Lobelius 1576 commemorat, vix eruendum. *Corydalis* Dodon. 1583 sec. Linnaeum est *Fumaria vesicaria* L., ex quo typum generis *Cystocapnos* fecerat Boerhaave. *Corydalis* hodierna est *Capnoides* apud Boerh. et Tournef. Recte igitur Candollius nomen selegit, genus hodiernis limitibus constituens. *Corydalis* Knautius 1716 et Dillen. 1719 est *Cystocapnos* Boerh. Huc etiam *Pistolochia* Fuchs (non Plin.). Linnaeus, ut plerique patres *Corydalin* a *Fumaria* sive καπνός non distinxit. Nostra species pertinet ad sect. II Candollii: *Capnites* Thal. 1588, quam Bernhardi s. n. *Bulbocapnos* ad generis dignitatem rursus evexit, *Corydaleos* nomen ad sect. III *Capnoides* Dec. jure et sensu patrum transferens.

37. *C.* s. *Capnites solida* Smith 1825, Gaud. 1828, Fries = *Fumaria solida* Linné Mss. et Ehrh. 1791 = *Fum. bulbosa* γ *solida* L. 1753 (pro α in Fl. Suec. — at synn. Linnaei omnia delere suadet cel. Fries) = *C. bulbosa* Dec. 1805 = *Fum. bulbosa, radice non cava major* C. Bauh. 1623! excl. synn. Nomen triviale *bulbosa* junius est et ambiguum, saepe *C. cavae* adscriptum, Bauhino jam collectivum; *Halleri* et *digitata* non prius, quam a. 1787 et 1807 introductum; hinc cel. Fries sequutus sum, licet sub epitheto *solida* Fuchs et Tragus *C. fabaceam* intellexerint.

Pedicelli capsulam aequantes. Racemus erectus. Bracteae digitato-partitae (aut integrae primo anno: Linné — solo macro: Fries, ex observ. *C. laxae*). Caulis inferne petiolo aphyllo squamaeformi vestitus. Radix tuberosa, solida.

In fruticetis umbrosis et sylvis frondosis, praecipue montosis reg. elevatae hinc inde copiose, rarius in demissa. Planta continentis incola, Petropoli fere limitem boreali-occidentalem tangit, nam in Fennia media et bor. deest et nihilominus ad urbem Archangelsk procedit (cf. Symb. p. 142 et 10). Floret a fine Aprilis ad finem Maji, quo tempore etiam fructus maturi; posthac herba ad bulbum usque emoritur. ♃.

Hist. spec. In valle circa praedium Com. Strogonow Mandere, aliisque vallibus subumbrosis, subhumidis ad ripas minorum ramorum Newae! cum *Chrysosplenio alternifolio* rarius (Laxmann ex Gort. Append. 1764 sub *Fumaria bulbosa* L., nimis obiter); in sylvis montosis umbrosis, uti in m. Pulcovo! et Duderovo! et circa pagum Colodeci et urbem Gatczinam (Sobol. Petr. 1799 p. 165, n. 455 additis locis ex Gorter, omissis in edit. Ross. II 1802 p. 77 n. 468, utraque s. n. *F. bulbosa* L., descriptione et synonymia falsa, ad *C. cavam* referenda); copiosissime in pratis sylvaticis et in sylvis humidiusculis, primo vere (Weinm. Pawl. 1824 p. 328 s. n. *C. bulbosa* Dec.); in ins. Gutujew, Catherinhofii; copiose in montibus Pulcovo! et Duderhof! alibique (Turcz. 1825 n. 430 sub *C. bulbosa* Dec.); in pratis, sylvis, fruticetis ubique, primo vere (Weinm. Petr. 1837 p. 70 n. 464 s. n. *Coryd. bulbosa* Dec.).

Adnot. *Corydalis tuberosa* Dec.1805 = *C.* s. *Capnites cava* Whlbg. (Ehrh. C. Bauh. Dodon. et Lobel. 1576) Petropoli indicata fuit apud De Cand. 1821, tantum auctoritate Sobolewskii, sed hic plantam suam falsissime illustravit, vide supra. Genuina *C. cava* non propius, quam in Curonia et Mosquae indicata, differt: radice cava, caule non squamato, sed diphyllo, bracteis semper integris, pedicello capsulâ triplo breviore. — Multo similior *C. fabacea* Pers. et Koch est, insignis bracteis et pedicellis ut in *C. cava*, racemo vero curvato fructifero nutante; haec in Curonia et Esthon. occid. indicatur. — *C. laxa* Fries, cum *C. solida* in Suecia orient. et bor. antea confusa, differt racemo cernuo, pe-

dicellis duplo brevioribus, capsulam dimidiam aequantibus, stylo haud geniculato-deflexo et petalis. — *C. pumila* Host, Koch, dignoscitur statura pumila, pedicellis brevibus capsulâ triplo brevioribus et floribus pallidis variegatis (Fries).

XVI. FUMARIA.

Nomen a Ruellio et Fuchsio ex graeco καπνός Diosc., quod herbae succus oculos fumi instar irritet. Planta Dioscoridis est *F. officinalis* (*F. parviflora* solo auctore Sibthorp, sed flores purpureos meminit Diosc.). Genus limitibus hodiernis primus distinxit Boerhaave.

38. *F. officinalis* L., saltem Fl. Suec. = *F. officinarum* et *Dioscoridis* C. Bauh., Tournef., Vaill. = *F. vulgaris* Clus., Raj., J. Bauh. = *F. purpurea* Gerard 1597 = *Capnos*, Romanis *Fumaria* Ruell. 1536!, Cord., Lobel. = *Fumaria* Fuchs 1542, Trag. et plur. = *Fumus terrae* Brunf. 1530 = *Capnos altera* Plin. = καπνός Diosc.

Nuculae maturae tuberculato-rugulosae, apice truncatae vel retusae. Sepala corollâ triplo breviora, pedicello latiora. Foliorum laciniae oblongo-lineares. Flores 2—3 lin. rosei, apice atropurpurei.

In cultis et ruderibus vulgaris; introducta, utpote Gesneri aevo in Europa media adhuc rarissima (Dec.). Floret et fructificat a medio vel fine Junii usque ad frigus autumnale primum; an etiam bis anno? e seminibus Junio m. delapsis. ⊙.

Hist. spec. Ad viam regiam a Strelna Petropolin versus ducentem, passim (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 111); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); inter segetes Pargelovii, Ossinovae Rosczae, Crasnoselii et ad viam Peterhofianam, circa Strelnam et passim (Sobol. Petr. 1799 p. 165 n. 456; edit. Ross. II 1802 p. 79 n. 469); in ruderatis, agris, hortis passim, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 328); in oleraceis et in arvis (Turcz. 1825 n. 431); in cultis et ruderatis, per totam aestatem (Weinm. Petr. 1837 p. 70 n. 463).

Fam. VI. CRUCIFERAE.

Char. essent. Cal. 4 sepalus. Cor. 4 petala. Stam. 6, tetradynama: 4 longiora sepalis exterioribus s. placentariis, 2 breviora remotiora sepalis interioribus s. valvaribus opposita; rarissime in nonnullis speciebus una alterave series staminum non evoluta. Accedunt saepe glandulae 2—8 ad basin staminum. Ovarium 2-, rarius 1 loculare, 2—∞ ovulatum; placentae intervalvulares 2, quaelibet ex dimidia parte dissepimento verticali pellucido (saepe imperfecto vel evanescente) segregata. Semina exalbuminosa; embryo curvatus, radicula ad cotyledones reflexa et hilum spectans. — Herbae ⊙ vel ♃, saepe ♂, rarius in exteris terris suffrutices humiles. Folia alterna (in *Lunaria* opposita), exstipulata, saepe pilis ramosis vel stellatis tecta. Flores in corymbis vel racemis terminalibus, plerumque pedicellis ebracteatis fulti.

Affinitas. Familia summe naturalis, distinctissima et facillime definienda; *Papaveraceis* et *Fumariaceis* proxime affinis, sed seminibus exalbuminosis, definito staminum numero etc. diversa.

Qualit. et usus. Cruciferae generatim antiscorbuticae, stimulantes, principio acri volatili, aethereo-oleoso et inde sapore mordaci donatae. Annuarum herba, perennium radix vehementior est. Maxime excellunt semina *Sinapeos nigrae* et radices *Armoraciae*, quae intus suscepta ventriculum vehementer excitant, extus cuti applicata rubefaciunt et vesicantium loco sunt. *Erysimi officinalis* L. herba trita rubefaciens, ab ovibus et capris tantum depascitur. Minus acres sunt herba *Cochleariae*, radices *Raphani*. Valde debiles, vel cultura

mitigatae, aucta sacchari et muci proportione, pro condimento inserviunt vel edules sunt: v. g. *Lepidium sativum*, *Nasturtia*, inprimis *aquaticum*, *Cardamine pratensis* et *amara*, radices *Raphani sativi* et *Brassicarum*, his inest vis eminenter antiscorbutica. Raphania morbus seminibus *Raphanistri* innocuis olim ex errore adscriptus. Olera generatim principii azotici plus quam aliae plantae continent, inde alimentum magis ceteris nutritivum praebent v. g. *Brassicae*. In cultis praecipue, solo e rejectamentis animalium pingui laete crescunt, putrescentes gas ammoniacale graviter evolvunt. Semina oleo pingui scatent; inter oleifera excellunt: semina *Camelinae sativae*, *Brassicae campestris*, *Raphani sativi chinensis*. *Isatis* sola radice coeruleo-tinctoria insignis. Herba acris et salsa *Cakiles* alvum et renes incitat. Semina *Thlaspeos arvensis* saporis acri alliacei quondam usitata. *Lepidium ruderale* odoris valde nauseosi cimicibus et pulicibus inimicum dicitur. Radix *Dentariae bulbiferae* acris, antidysenterica. Propter florum odorem et amoenitatem vulgo coluntur: *Hesperis matronalis*, *Matthiolae* et aliae.

Systema. *Cruciferae* Adans. 1763, Juss. Dec. = *Tetradynamae* Linné, Smelowski, R. Brown = *Cruciformes* Tournef., Boerh., Crantz = *Tetrapetalae uniformes* Ray 1686, vario modo ordinatae fuerunt. Rajus in siliquosas et siliculosas divisit, ut posthac Linnaeus. Characteres generici diu latuerunt; mireris penuriam et ambiguitatem illorum in Systemate Linnaei, qui imo glandulas minutissimas tori respexit,

at nimium fecit, quod Crantzius refutavit, vir in *Cruciferis* semper nominandus. Tandem characteres evidentissimos e cotyledonibus seminum detexit Gärtner, depinxit Schkuhr et pro systemate generum introduxit R. Brown 1812. Candollius in ordinandis generibus hoc charactere usus est tanquam primario, forma fructus secundario; si hic, antecessoribus cell. Koch, E. Meyer et Fries inversa ratione prosequitur, excuset forsan methodus naturalis, in quo summum jus summa saepe injuria. Sigla Candolleana aptissima pro situ radiculae (○) respectu cotyledonum (=) sub sectione transversa seminis praemittenda et explicanda sunt.

Cotyledones accumbentes ○= planae, dissepimento =||= vel in *Thlaspideis* contrariae; radicula lateralis adscendens rimae cotyledonum accumbens; semina compressa.

„ incumbentes planae ○ || dissepimento contrariae, in *Lepidineis* =||= ; radicula dorsalis.

„ „ conduplicatae ○≫ medio longitudinaliter plicatae vel circa radiculam convolutae.

„ „ spirales ○ || || circinnatim involutae, lineares.

„ „ biplicatae ○ || || || i. e. lineares medio replicatae vel bis plicatae.

Tribus:

e fructibus:	e cotyledonibus: ○ = *Pleurorhizae.*	○ ‖ *Notorhizae.*	≫ *Orthoplocae.*	○ ‖ ‖ *Spirolobae.*	○ ‖ ‖ ‖ *Diplecolobae.*
SILIQUOSAE. Septum lineare; valvae elongatae, longitudinaliter dehiscentes.	ARABIDEAE. *Dentaria, Cardamine, Arabis, Turritis, Barbarea, Nasturtium etc.*	SISYMBRIEAE *Sisymbrium, Erysimum, Hesperis etc.*	BRASSICEAE. *Brassica, Sinapis, Diplotaxis, Erucastrum.*	0	HELIOPHILEAE.
SILICULOSAE LATISEPTAE. Septum ovale; valvae breves, planae aut convexae, longitudinaliter dehisc.	ALYSSINEAE. *Armoracia, Cochlearia, Draba, Alyssum, Berteroa, Lunaria etc.*	CAMELINEAE. *Camelina.*	VELLEAE.	0	*Subularia.*
SILICULOSAE ANGUSTISEPTAE. Septum angustissimum; siliculae a latere compressae, plerumque emarginatae; valvae breves dorso carinatae aut alatae, longitud. dehisc.	THLASPIDEAE. *Thlaspi, Iberis etc.*	LEPIDINEAE. *Capsella, Lepidium.*	PSYCHINEAE.	0	BRACHYCARPEAE.
SILICULOSAE NUCAMENTACEAE. Valvae indistinctae, non aut vix dehiscentes.	EUCLIDIEAE.	ISATIDEAE. *Neslia, Isatis etc.*	ZILLEAE.	BUNIADEAE. *Erucago, Laelia.*	SENEBIEREAE. *Senebiera.*
LOMENTACEAE. Fructus transverse in articulos 1—∞ spermos secedens.	CAKILINEAE. *Cakile*	ANCHONIEAE.	RAPHANAEE. *Raphanus, Crambe.*	ERUCARIEAE.	0

Conspectus generum.

Tribus I. ARABIDEAE, s. Siliquosae pleurorhizae ○=.

XVII. **ARABIS.** Cal. clausus. Siliq. lineares compressae; valvae planae vel paulo convexae, nervo longitudinali aut evidentissimo, aut obsoleto et ejus loco reticulum venarum longitudinalium prominentium. Semina uniserialia. — Flores albi, rarius rosei etc., numquam lutei.

§. 1. ALOMATIUM. Semina immarginata.

§. 2. LOMASPORA. Semina alâ membranaceâ cincta.

XVIII. **TURRITIS.** Semina in quoque loculo biseriata (inde solum a proxima *Arabide* differt). Valvulae nervo longitudinali valido. Semina (in typo) angulato-truncata, quadrangularia, aptera. — Flores albido-ochroleuci.

XIX. **BARBAREA.** Cal. clausus. Siliquae compresso-tetragonae propter nervum medium valvularum prominulum. Sem. uniserialia. — Fl. lutei. Differentialis character *Barbareae* et *Nasturtii*, observante Fries, nullus; calyx in *N. palustri* magis erectus, quam in *Barbareis* quibusdam; semina in *N. sylvestri* etiam uniserialia; in *B. praecoce* aliisque siliquae omnino teretes et ecarinatae; semina forsan meliorem dabunt: *B. vulgaris* et *strictae* subrufa, dense punctulato-scrobiculata, inde quasi lepidota.

(XX.) **DENTARIA.** R. Brown cum *Cardamine* conjunxit, Candollius separavit: funiculo umbilicali seminum alato-dilatato; at Koch plures *Cardaminum* species tali funiculo praeditas esse docuit, *Dentariam* distinguens: cotyledonibus seminum petiolatis, non planis, sed convolutivis i. e. margine utrinque longitudinaliter introrsum complicatis. — Fl. numquam lutei. *D. bulbifera* L. in Livonia circa Heiligensee et in Esthonia prope Türsel copiose crescens (conf. Wied. et Weber Fl. prov. balt.), in Ingria occid. sine dubio aderit.

XXI. CARDAMINE. Cal. clausus vel subpatens. Siliquae lineares vel lineari-lanceolatae, compressae: valvis planis (a *Nasturtio* diff.), enerviis hinc facile maturitate tortilibus (ab *Arabide* diff.). Semina uniserialia; funiculo umbilicali (in nostris specc.) tenui. — Fl. albi vel rosei.

XXII. NASTURTIUM. Calyx patens. Siliquae teretiusculae, saepe abbreviatae, enerves. Semina inaequaliter biseriata. Inter *Nasturtia* subsiliculosa et *Armoracia* limites generici subnulli.

※ §. 1. CARDAMINUM. Petala alba.

§. 2. BRACHYLOBOS. Petala lutea.

Tribus II. SISYMBRIEAE, s. Siliquosae notorhizae ○ ||.

XXIII. SISYMBRIUM. Calyx basi aequalis, patens vel clausus. Siliquae teretiusculae vel subangulato-hexagonae; valvulae convexae, saepissime nervis 3 longitudinalibus. Sem. 1 serialia. — Fl. flavi vel albi.

§. 1. VELARUM. Siliq. subuliformes, basi latiores, in pedicello brevissimo incrassato, rachi adpressae. — Fl. flavi.

§. 2. IRIO. Glandula minuta utrinque ad basin filamentorum breviorum. Siliq. subcylindricae. Stylus brevis. — Fl. flavi v. ochroleuci.

§. 3. SOPHIA. Siliq. stylus et glandulae ut in *Irione*, vel glandulae in 1 semiannularem coalitae. Septum binerve! — Fl. flavi.

※ §. 4. KIBERA. Racemi bracteati, pedicellis axillaribus solitariis v. pluribus. — Fl. albi v. flavi. *S. supinum* L. in Livonia inter Dorpat et Wolmar! (R. Diatr. Petr. p. 21).

(§. 5.) ALLIARIA. Semina longitudinaliter striata. Gland. hypogynae. — Fl. albi.

§. 6. ARABIDOPSIS. Cal. laxus. Sem. non striata. Gland. hyp. variae. Siliquae lineares! — Fl. albi; habitus *Arabidis*.

XXIV. ERYSIMUM. Cal. clausus basi subaequalis. Siliquae subtetragonae propter valvulas nervo unico longitudinali prominulo permeatas. Sem. 1 serialia. — Fl. aurei v. flavi.

⁂ HESPERIS. Cal. basi bisaccatus! Stigma bilamellatum, lamellis erecto-accumbentibus. — Fl. albi v. purpurascentes. *H. matronalis* L. Petropoli non raro ex hortis aufuga (R. Diatr. Petr. p. 27).

Tribus III. BRASSICEAE, s. Siliquosae orthoplocae ≫.

⁂ XXV. DIPLOTAXIS Dec. 1821. Semina in quoque loculo biserialia (unde nomen); reliqua ut in *Erucastro.* Cal. magis patens, quam in *Brassica*, minus quam in *Sinapi.* Fl. flavi, ut in gener. seqq. — *D. tenuifolia* Dec. = *Sisymb. tenuifolia* L. = *Eruca tenuifolia perennis* fl. luteo J. Bauh. hucusque tantum ad ostia Newae fl. in ruderatis e saburra navium adportata, a. 1848—50, sed nondum alibi, observata est a D. Kühlewein.

⁂ XXVI. ERUCASTRUM. Dec. ref. Schimp. et Spenn. 1829. Valvulae uninerviae. Semina uniserialia, ovalia vel oblonga. A *Brassica* insuper distinguit Candollius: rostro siliquae intus monospermo (in Brassica rostrum nullum v. aspermum). — *E. Pollichii* Sch. et Sp. = *Sis. Erucastrum* Pollich 1776, Vill. (non Gouan) in ruderatis urbis Kronstadt copiose, sed unico tantum loco (R. Diatr. Petr. 1845 p. 73), postea per plures annos subsecivos ibi observatum, 1852 periit destructione; 1848 etiam ad ostium Newae, adportatum per naves, vigebat (Kühlew. in litt.); ulteriora expectandum.

XXVII. BRASSICA. Valvulae 1nerviae: nervis lateralibus nullis vel obsoletis et in reticulum venarum solutis. Sem. subglobosa, uniserialia.

XXVIII. SINAPIS. Valvulae nervis 3—5 rectis validis; cetera ut in *Brassica.* — *Sinapis* calyce patente, unguibus vero corollae erectis et stylo longitudine ger-

minis a *Brassica* differt (Linné); Candollius pariter calyce non erecto distinguit, sed in *B. Napo* et *Rapa* florente calyx patens ut in *Sinapi.*

Tribus IV. ALYSSINEAE, s. Siliculosae latiseptae pleurorhizae ○=.

XXIX. ARMORACIA. Valv. enerves, cetera ut in *Cochlearia;* a *Nasturtio* genere vix bene differt.

§. 1. RORIPA. Fl. flavi.

⁂ §. 2. ARMORACIA. Fl. albi.

⁂ COCHLEARIA. Valv. ventricosae, nervo longitudinali perspicuo, ± prominulo. Sem. in quolibet loculo 2 serialia (ut in reliq. gen. Alyssin.), immarginata. Calyx patens. — Fl. albi. Species non prius, quam in insulis sinus Fennici accedunt.

XXX. DRABA. Valvae disco planae. Sem. immarginata. Cal. erectus. — Fl. flavi v. albi. *Erophila (vulgaris)* tantum petalis bipartitis a *Draba* differt, cujus petala interdum subemarginata sunt.

⁂ ALYSSUM. Silic. 2 sperma, nec ∞ sperma, ut in reliquis *Alyssineis.*

⁂ XXXI. PSILONEMA ab *Alysso* differt: staminibus nulla membranula appendiculatis. — Fl. flavi. *P. calycinum* C. A. Meyer = *Alyss. cal.* R. Br. = *Alyss. minimum* Clus. 1601, Petropoli 1848 uno loco sat copiose adparuit, sed postea non amplius visum, suspectis adnumerandum. Spontaneum circa Upsaliam, in Livonia olim indicatum.

XXXII. BERTEROA. Valv. planae vel convexiusculae. Sem. marginata, in quolibet loculo 6 — ∞. Filamenta omnia basi intus callosa, 2 minora basi dentata, longiora alata. Petala limbo bifido (in *Farsetia* integra vel subemarginata). — Fl. albi.

XXXIII. LUNARIA. Siliculae plano-compressae, basi in stipitem longum! attenuatae. Funiculi seminum elongati, dissepimento adnati (ut in *Alysso* et *Psilon.*).

Semina alato-marginata, plura abortiva. Cal. clausus, basi bisaccatus. — Fl. lilacini.

Tribus V. CAMELINEAE s. Siliculosae latiseptae notorhizae ○ ||.

XXXIV. CAMELINA. Silicula turgida, obovata v. subglobosa. Valv. ventricosae cum parte styli secedentes Semina ∞, biserialia. — Fl. lutei v. ochroleuci.

Tribus VI. SUBULARIEAE s. Siliculosae (latiseptae?) diplecolobae ○ || || ||.

XXXV. SUBULARIA. Cotyledonibus quam maxime differt a *Draba* et *Cochlearia*, quibus ex habitu vel siliculis paulo similis. Semina in quolibet loculo 4. Silicula ovalis, valde turgida; valvulae ad nervum medium in carinam plicatae (neque enerviae sunt, ut Koch ait, neque 3 nerviae, ut Ledeb. indicat). — In statu maturissimo silicularum valvulae dissepimento non parallelae sunt, ut in *Draba*, sed potius contrariae ut in *Thlaspi;* hoc jam Linnaeus monuit; at siliculae vix a latere compressae cum Linnaeo et Kochio nominandae, nam latitudo dissepimenti et siliculae transversae eadem, ita ut inter angustiseptas et latiseptas ambiguum genus sit; in herbariis utique compressione character siliculae obscurus fit et fallax, ut in speciminibus nondum plene maturis.

Tribus VII. THLASPIDEAE s. Siliculosae angustiseptae pleurorhizae ○=.

XXXVI. THLASPI. Silicula ovalis vel obovata, ad stylum ± emarginata, dorso alata. Loculi 2—∞ spermi. — Fl. (in nostris) albi.

Tribus VIII. LEPIDINEAE s. Siliculosae angustiseptae notorhizae ○ ||.

XXXVII. CAPSELLA. Loculi ∞ spermi. Siliculae superiores cuneato-triangulares (vel ovales), leviter emarginatae, apterae. — Fl. albi.

XXXVIII. LEPIDIUM. Loculi monospermi! Siliculae oblongae, subrotundae vel ovatae, apice plerumque emarginatae. — Fl. albi, interdum abortu diandri.

Tribus IX. ISATIDEAE s. Siliculosae nucamentaceae notorhizae ○ ||.

XXXIX. NESLIA. Silicula subglobosa, indehiscens, 1 locularis, monosperma, rarius loculo secundo incompleto disperma. — Fl. lutei.

Tribus X. BUNIADEAE s. Siliculosae nucamentaceae spirolobae ○ || ||.

XL. LAELIA. Silicula indehiscens aptera, oblique ovata, bilocularis, loculo altero saepe abortivo. — Fl. lutei. Genus cum *Buniade* (melius *Erucagine*) plerumque jungitur; in hac calyx patens (nec erectus), silicula tetragona, cristato-alata, 4 locularis: loculis per paria superimpositis, monospermis. In *Laelia* rarius silicula duplex superimposita ceteris normalibus intermixta invenitur.

Tribus XI. SENEBIEREAE s. Siliculosae nucamentaceae diplecolobae ○ || || ||.

⁜ XLI. SENEBIERA. Siliculae didymae. Valv. ventricosae indehiscentes v. saltem clausae, loculis monospermis. — Fl. albi, minimi. *S. Coronopus* Poir. (= *Coronopus Ruellii* 1536 Dodon. 1553! Dalech. et patr. Allion.) et *S. didyma* Pers. (= *Lepidium did.* L. = *Coronopus did.* Smith) cum navibus in rudera ad ostium Newae adportatae, sedem fixerunt et ex 1848 fere quotannis autumno inveniebantur. Simili modo *S. didyma* ex America in Europam transvecta, ubi prius ignota, spontanea facta et in Floras recepta est.

Tribus XII. CAKILINEAE s. Lomentaceae pleurorhizae ○=.

XLII. CAKILE. Silicula anceps, biarticulata; arti-

culi indehiscentes 1 loculares, monospermi. — Fl. purpurascentes, rarius albi.

Tribus XIII. RAPHANEAE s. Lomentaceae orthoplocae ⫸.

XLIII. **RAPHANUS.** Siliqua evalvis, linearis, teres vel moniliformis, inseparabilis vel in articulos transverse secedens, ∞ sperma. Cal. erectus, basi bisaccatus. — A multis ut genera propria distinguntur:

§. 1. **RAPHANISTRUM.** Siliqua teres, multiarticulata, moniliformiter constricta, articulis maturis solubilibus, semen arcte includentibus. Fl. lutei, albi v. rarius purpurascentes.

⁜ §. 2. **RAPHANUS.** Siliqua fungoso suberosa, subteres, inseparabilis (tamen contra naturam ad nucamentaceas transponeretur), septis transversis intercepta, semina laxe includentibus. — Fl. purpureo-violacei, venis saturatioribus picti.

XVII. ARĂBIS.

Nomen a planta ex Arabia proveniente, primum in Codicibus Dioscoridis recentioribus memoratum perhibent. Designatio nominis apud patres sat vaga: a) Lacuna 1552, Matthiolus, Lobelius et alii *Lepidium Draba* sic — b) Gesner 1561, Dodonaeus et Dalechamp = *Iberin umbellatam* — c) Camerarius 1586 *Sisymbrium strictissimum* — d) tandem Lobelius 1576! et Dalechampius *Arabidem alpinam* sic appellabant, usque dum Linnaeus 1737 genus restauravit, *A. alpinam* ut primam in scriptis suis et typicam speciem ponens.

§. 1. **ARABIS** genuina s. **ALOMATIUM** Dec. 1821 ex α privativo et λῶμα margo.

39. *A. hirsuta* Scop. 1772, Koch = *Turritis hirsuta* L., saltem Jacq. et alior. = *Turritis hirsuta mon-*

tana Ruppius 1718 = *Erysimo similis hirsuta* etc. C. Bauh. in edit. Matth. 1598 et in Prodr. 1620 c. fig. haud simili, ex synn. citatis tamen a Linnaeo huc relata est.

Semina impunctata, non vel angustissime alata. Folia oblonga denticulata, pube ramosâ adspersa, radicalia in petiolum angustata, caulina basi truncato-auriculata vel cordata sessilia, auriculis patulis. Caulis pilis longis simplicibus patentibus hirsutus. Siliquae erectae, 14—16 lin. longae, $^1/_2$ lin. latae. Pedicelli longitudine calycis.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790 p. 72 n. 415 s. n. *Turritis hirs.* L.); in pascuis montosis, sylvosis Crasnoselii et passim circa Petropolim (Sobol. Petr. 1799 p. 159 n. 439 s. n. *Turr. hirs.* L.); in campis sylvosis, umbrosis, in lucis circa Crasnoje Selo et in aliis locis similibus (Sobol. Petr. ed. Ross. II 1802 p. 63 n. 452 s. n. *Turr. hirs.* L.); ad ripam rivuli Ligowka prope Goreloy Kabak etc. (Turcz. 1825 n. 418); in collibus graminosis, arenosis siccis, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 67 n. 446); rara (R. Diatr. Petr. 1845 p. 72), v. g. ad sepes pr. Gatschinam parce, initio Julii m. floribus ultimis vel deflorata et fruct. semimaturis (Borszczow!); ceterum 2 specc. c. florib. in Herb. Petrop. Acad. vidi, ante 1839 lecta. ♂ ♃.

Adnot. Planta ex locis Georgii et Sobol. forsan pro parte vel ex toto ad *A. Gerardi* pertinet, hic tamen inserenda erat, nam *T. hirsuta* Linnaei etiam *Arabis hirsuta* Scop. est, in Suecia vulgaris, ubi *A. Gerardi* rarissima.

40. *A. Gerardi* Besser ex Koch 1833! = *Turritis Gerardi* Besser 1809! (nomen neque prioritate gaudet, neque ceteris aptius est, potius *A. Smithi* dicenda fuisset species, ejus enim sagacitate confusio Gerardi et Linnaei, a. 1800 remota est) = *Arab. planisiliqua* Pers.! 1807, Rchb. fig. 4343! (evidenter eadem ac *Smithi*, at nomen ineptum ex siliquis immaturis de-

promptum) = *Turritis nemorensis* Wolf ex Hoffm. 1804! (at numquam in nemoribus crescit).

Diu cum *A. hirsuta* confusa, dignoscitur tamen sequentibus characteribus. Semina duplo minora, sub lente reticulato-punctulata, angustissime alata. Folia caulina densiora, plura, minora, a basi ad medium cauli adpressa, basi profunde cordato-sagittata: auriculis deorsum cauli accumbentibus et postice marginibus sese tangentibus; folia radicalia (anni primi) exactius rosulata, numerosiora. Siliquae 14 vel 10 lin. longae, $^1/_4$ lin. latae, propter semina minora crebrius nodulosae, nervo multo subtiliori notatae. Caulis strictior, undique pilis ramosis adpressis tectus.

Hist. spec. In locis siccis arenosis circa Pawlowsk rarius, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 299 sub *Arab. sagittata* Dec. — huc quoque refert *Turritin hirsutum* Sobol.); in campis siccis prope Petropolim, Jun. Jul. D. Prescott (Weinm. Petrop. 1837 p. 67 n. 445 sub *Arab. sagittata* Dec. — Synonymum Weinmanni a Ledebourio in Fl. Ross. ad *A. hirsutam* refertur, sed planta ipsa in Hb. Weinmanni est *A. Gerardi!* conf. R. Diatr. Petr. 1845 p. 72); in siccis v. g. ad margines agrorum prope Oranienbaum (ipse) et Grafsky-Slavjänka (Herb. Weinm. — Rupr. Diatr. Petr. 1845 p. 72); in declivibus siccis pr. Strelna parcius (Borszczow!). Floret initio v. medio Junio; initio Aug. m. cum fruct. matur. ♂, rarius ♃ sed haud longaeva.

Obs. *Arabis sagittata* Dec. 1815, saltem Rchb. 1837! = *Turritis sagittata* Bertol. 1804 et 1819 ab *A. Gerardi*, quacum a Candollio 1821 et Kochio 1837 confusa est, differt: auriculis foliorum patulis (nec cauli adpressis), caule inferne pilis simplicibus et ramosis, patulis vel deflexis hirto; floribus majoribus, seminibus majoribus obsolete punctulatis, stylo in fructu subnullo (nec exserto) etc. Nescio, cur iterum Bertoloni 1850 cum *A. hirsuta* Scop. conjunxerit.

⁜ *Arabis arenosa* Scop. et Auct. vulgo = *Sisymbr. arenosum* L. 1753 (non Fl. Suec.) = *Eruca coe-*

rulea (C. Bauh. in edit. Matth. 1598) in *arenosis* proveniens C. Bauh. 1620. Petropoli hactenus errore tantum indicata et cum simillimo *Sisymbrio arenoso* L. Fl. Suec. (non Spec. pl.) commutata fuit. Conf. R. Diatr. Petr. p. 13, 72, 73. Adsunt vero indicia proventus genuinae stirpis in Ingria. Vidi jam e Livonia (Uddern pr. Dorpat) et Esthonia (Fokenhof) et in herb. Kastalsk. Petrop. specimina duo superne insolito hirsuta, sed in statu tantum florifero ideoque non satis certa. Etiam circa Türsel, 4 milliaria ex occidente urbis Narwa indicatur in Wiedem. et Weber Fl. (ubi tamen *Sis. arenosum* non satis distinguitur). Cognoscitur vero a *Sis. arenoso* robustiori, interdum simillimo: cotyledonibus ○= (nec ○||), et seminibus maturis, quae humefacta nullas setulas (sub microscopio validiori conspiciendas) e cellulis superficialibus erigunt, sed calva manent; accedit plerumque hispiditas corymbi totius et calycum vix umquam lutescentium major, quam in *Sisymbrio*, cujus petala alba tantum siccata subinde violacea evadunt, quum in *Arabide arenosâ* vivâ lilacina sunt vel rarius alba.

§. 2. Lomaspora Dec. 1821.

41. *Arabis pendula* L. = *Turritis latifolia hirsuta, siliquis pendulis* Amman 1739.

Siliquae in pedicellis patentibus pendulae, planae, medio non torulosae sed nervo prominulo permeatae. Pedicelli calyce triplo longiores. Petala oblongo-linearia, alba.

In sepibus prope Pawlowsk spontanea sed rarissima; specimen a. 1820 a cl. Weinmann detectum et servatum exacte convenit cum Charcoviensibus (R. Diatr. Petr. 1845 p. 72) — ♂ est in horto et secundo anno floret m. Junio.

Huc referenda est *A. Turrita* Petropolitana (Weinm. Pawl. 1824 p. 300; Turcz. 1825 n. 419; Ledeb. Fl. Ross. I p. 122), non Linnaei, quae differt: petalis oblongo-cuneatis minoribus albido-ochroleucis, pedicellis

calycem aequantibus, fructigeris erectis, siliquis secundis decurvis, medio torulosis margine incrassatis etc.

XVIII. TURRÍTIS.

Hoc nomine primum usus est Lobelius 1581! (ex germanico „Thürmkraut" Vulgo et Tabern. 1590! habitum plantae strictum alludens) pro *T. glabra*, quae Clusio 1601 *Turrita* audiebat. Rite igitur quoad genesin Dillenius 1719 genus *Turritis* constituit, vera tamen differentia ab *Arabide* usque ad R. Brown latuit. De Candollius genus Browneanum reformavit.

42. *T. glabra* L. = *Turrita vulgatior* Clus. 1601 = *Turritis* Lobel. 1581, Tabern. Gerard.

Folia radicalia (primi anni) dentata, pilis trifurcatis hispida, caulina integerrima glabra, basi cordato-sagittata amplexicaulia. Siliquae strictissimae, plerumque 2 pollic. in pedicellis 3—4 linealibus. — Variat: *ramosa* Dec. 1821 = *Turrita major*, *Plateau* Clus. 1601!

In apertis, siccioribus, declivibus et arenosis, sterilibus et ruderatis, haud rara. Floret secundo aetatis anno paullo ante medium Junii m. usque ad medium Julii; rarius flores ultimi initio Sept.; var. caule ramoso interdum ad medium Augusti; fruct. matur. m. Aug. ♂.

Hist. spec. In prato steriliori non procul a Catherinenhof! (Krasch. edit. Gorter 1761 p. 107); Koirowo (Falk ex Gorter Append. 1764); in pratis siccis montosis sylvosis Pargelovii! et circa Catherinhoffium; aliisque in locis similibus (Sobol. Petr. 1799 p. 158 n. 438) atque in Ossinova Roscza et circa Crasnoy Cabac (Sobol. Petr. ed. Ross. II 1802 p. 62 n. 451); in graminosis siccioribus, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 300); vulgaris (Turcz. 1825 n. 420); circa Pawlowsk post a. 1829 evanuit (Weinm. in Linnaea X, 1836 p. 222); in collibus et aliis locis siccis arenosis, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 67 n. 448).

XIX. BARBAREA.

Barbaréa Lobel 1576, Dodon. et patr. ad Rajum, sive *herba Sanctae Barbarae* Fuchs 1542, Trag! Lonic., longe cum *Sisymbriis* et *Erysimis* juncta fuit, donec ex charactere seminis separavit, restauravit et genus constituit R. Brown 1812. Rectius „*Barbaraea*“ scribendum esse, monet cl. E. Meyer.

43. *B. vulgaris* R. Br. Dec. = *Erysimum Barbarea* Linné α et β, excl. planta Lappon. = *Barbarea* (Lobel. Dodon.) *mas* Tabern. 1590. Primum a Fuchsio 1542 repraesentatur.

Siliquae maturae turgidae subtetragonae, pedicellis patentibus parallelae, 7—9 lin. Petala calyce duplo longiora, $2^1/_2$—$3^1/_2$ lin. Folia ima lyrata, lobo terminali maximo cordato-subrotundo; caulina inferiora pinnatifida, superiora integra sinuato dentata vel incisa. Radix subperennis, saepe multiceps, ramosa. Herba sapore acriacerbo nauseoso. Folia radicalia ex fasciculis sterilibus adventitiis plantae fructigerae hirsutissima! — Variat rarius siliquis maturis paullo longioribus 1—$1^1/_2$ pollicaribus in pedicello horizontali arcuato-incurvis = γ *arcuata* Wahlbg. Fries 1828 = *B. arcuata* Rchb. in Sturm (nec 1820). Siliquae immaturae typi semper arcuatae vel divaricato-flexuosae et graciliores sunt, quod caute in definienda *var. arcuata* respiciendum.

In graminosis, ad vias et fossas fere ubique copiose. Florendi tempus cum observationibus exterorum haud convenit, neque in *B. stricta*. Flores primi initio Maji, ultimi initio Julii; rarius fasciculi radicales adventitii caulem evolvunt medio Julio cum floribus primis. Fructus maturi ab initio Julii; medio Augusti plerumque valvulae cum seminibus jam delapsae; interdum fruct. mat. cum floribus in summitate simul adsunt. ♃ sed non longaeva.

Hist. spec. Circa loca uda non admodum rara est (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 106 sub *Erys. Barb.* L);

in quantitate ad fossas viae Sarscoseliensis! et in pratis humidis passim (Sobol. Petr. 1799 p. 157 n. 435 sub *Erys. Barb.*), etiam in ins. Basiliensi et alibi (Sobol. edit. Ross. II 1802 p. 59 n. 448 sub *E. Barb.* L.); in ruderatis et ad sepes, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 300); vulgaris (Turcz. 1825 n. 414); in omnibus locis graminosis, tam siccis, quam humidiusculis, April — Jun. (Weinm. Petr. 1837 p. 67 n. 449 cum var. β *arcuata* Rchb. — sine citato penitiori). Ceterum jam Deschisaux 1725 Petropoli vidisse videtur, sed p. 9 tantum cum dubio et sine auctore citato vocat: *Sisymbrium erucae folio glabro*, aliis *Barbarea.*

Adnot. In Diatr. Petrop. 1845 p. 71 paulo in dubium vocavi proventum *Barbareae praecocis* R. Br. 1812 et Fries, quae idem est ac = *Erysimum praecox* Smith in Brit. Fl. II, 707 (non serius in Engl. Bot. tab. 1129) = *Erys. vernum* Miller 1768 = *Sis... minus* et *praecocius* Tournef. 1700, 1719! = *Barbarea* in hortis culta folio acutiore C. Bauh. 1623 = *Barbarea foemina* Tabern. 1590. Indicatur Petropoli s. n. *B. praecox* R. Br. in Weinm. Pawl. 1824 p. 300: in graminosis humidiusculis abundans, Majo et Junio; haec testante Turcz. 1825 in praefatione esset *B. vulgaris*, quod autem vix intelligendum, cum haec ipsa jam in Enum. h. Pawl. exstet. *B. praecox* Petrop. potius *B. stricta* est, in Weinm. Petr. 1837 loco illius substituta, tunc temporis fere ignota et in Syst. Candollei adhuc sub synonymis *B. vulgaris* et *praecocis* occulta. Ex eodem tantum fonte (H. Pawl.), fide quoque synonymi ambigui: *B. arcuatae* Rchb. (W. Petr. 1837) pro stirpe Petropolitana indicatur in Ledeb. Fl. Ross. I (1842) p. 115 s. n. *B. arcuata* Rchb. 1820, nec non in Fries Summa veg. Scand. 1845 p. 30 s. n. *B. praecox* Smith Fl. Brit. (non Engl. Bot.); nec specimen Petrop. vidisse, cel. Fries, me rogante, in litteris benevole docuit. Quum tamen species *Barbareae* difficillime cognitu sint et proventus possibilis *B. praecocis* nondum abrogari queat, e re erit, notas distinctivas affinium h. l. exponere.

B. praecox genuina omnium specierum prima florens, facillime sapore gratissimo acri-aromatico acidulo *Lepidii* vel *Nasturtii* a reliquis differt, biennis et maxime praecox est, unde in hortis culinariis olim frequenter colebatur et ex hoc tempore superstes.

B. arcuata Rchb. *primaria* 1820 (Tetrad. f. 4357 — nec apud Sturm) sec. Fries forma efferata *B. praecocis* genuinae, sec. Koch differt a *B. vulgari:* statura humiliori, racemis multo laxioribus, floribus etiam superioribus conspicue dissitis, subaureis. Sapor gratus *Nasturtii* (Rchb.); addit Fries 1828: siliquas pollicares et ultra, diu filiformes, teretes et pedicello vix crassiores esse.

B. patula Fries 1842 = *B. praecox secundaria* Smith in Engl. Bot. t. 1129 et plur auct., Rchb. fig. 4358 (at patribus ignota) floribus exiguis et sapore proxima *B. strictae*, etiam biennis, at serius floret et siliquas minime stricte adpressas habet; siliquae sec. Koch longiores et crassiores, quam in ceteris speciebus, pinnae foliorum 5—8 jugae. Haec in Suecia nondum visa.

44. *B. stricta* Fries 1819, Andrz. ex Besser 1822 = *B. parviflora* Fries 1828 = *Erys. Barbarea* L. quoad plantam Lapponicam, quam 1737 a *Barbarea* proprie sic dicta i. e. *vulgari* ut varietatem separare urget et in Mss. testante Smithio characteres e foliis et sapore bene perspexit. Haec patribus incognita (Fries).

Siliquae cum pedicellis semper erecto-adpressae, strictae, 11—15 lin. Petala calyce sesquilongiora, $1^1/_2$—2 lin. Folia radicalia emarcida, ima integra cordato-subrotunda, caulina obovata, crenata, versus basin valde angustata et iterum dilatato-auriculata. Radix biennis, simplex. Herba sapore crudo, sed non acri-acerbo. — Stigma in fructu brevius et latius, quam in *B. vulgari*, apice non capitatum, pedicelli duplo breviores; exceptis his siliquae maturissimae non differunt, semimaturae vero fallaces, nam multo graciliores sunt, fere filiformes; imo varietatem distingueres siliquis latioribus, magis compressis et disse-

pimento $^3/_4$ lin. (non $^1/_2$ lin.). Variat vero *pinnatifida:* foliis basilaribus et caulinis inferioribus pinnulis brevibus ad petiolum instructis.

In pratis et ad vias, haud rara. Floret *B. vulgari* (praecocius sec. Fries, sed hic) serius, fine Maji usque ad initium Julii; fructus plene maturi medio Julio. ♂.

Hist. spec. Petropoli vulgaris (Turcz. 1825 n. 415); in ruderatis et in fossis exsiccatis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 67 n. 450).

XXI. CARDAMI'NE.

Καρδαμινη Diosc. hodie *Nasturtium aquaticum* audit. Κάρδαμον Theoph. et Diosc. = *Lepidium sativum* sec. Sibth. hodie a Neograecis ita dictum, quasi καρή-δαμον, quod caput calore suo et acrimonia tentet: vel ἀπὸ τῆς καρδίας, quod cordatos faciat, vel quod in syncope cardiaca plurimum valeat. (C. Bauh.) — *Cardamine* Lobel 1576, Caesalp. Tabern. Raj. = *C. pratensis;* fundamentum generis hodierni, primitus vix a *Nasturtio* segregati. Tournefortio et magis Linnaeo genus e „siliquis elastice dissilientibus et valvulis inde revolutis“ sat bene circumscriptum et a *Nasturtio*, tunc cum *Sisymbrio* juncto, distinctissimum.

45. *C. impatiens* Rajus, Linné = *Sium minus impatiens* J. Gerard 1597.

Petala $^3/_4$ — 1 lin. longa, alba (rarius nulla). Folia tenerrima, omnia pinnata, multijuga, caulina ad basin petioli sagittato-auriculata. Pinnae inferiores rotundatae, 3—5 fidae, superiores oblongo-lanceolatae, subincisae. — Variat: a) caule apice radicante! b) tetrandra; c) apetala, ut normaliter describitur, heic nondum visa.

In sylvis umbrosis, horti Imp. Pawlowskiensis! (Weinm. Pawl. 1824 p. 299 et Petr. 1837 p. 67 n. 444; Weinm. ex Turcz. 1825 n. 409), nec non Peterhofiani, Strelnensis et Pargolensis haud parce. Floret medio Junio ad initium Julii, serius ex gemmis axillaribus ad

frigus autumnale (med. Octobr.) usque; fruct. matur. a medio vel fine Julii. ♂.

46. *C. pratensis* (Tournef.) Rupp. Linné = *Cardamine prima* Tabern. 1590 = *Nasturtium pratense* Trag. 1552! Gesner, Rudbeck, Linder = *Nast. agreste* Fuchs 1542. Jam a Brunfelsio depicta 1530!

Petala 4—6 linealia, lilacina, purpurascentia vel alba. Stamina petalis duplo breviora, antheris luteis. Stylus sub anthesi brevissimus, stigmate crasso capitato. Folia radicalia pinnis subrotundis, caulina pinnis linearibus integerrimis. — Variat β *dentata* Rchb. = *C. dentata* Schult. 1809 et apud Besser. Folia caulina pinnis latioribus subovalibus, angulato-dentatis; caulis plerumque altior. — Citatur etiam a C. Bauh. et Linnaeo *var. grandiflora* Dec. = *Nast. pratense* folio rotundiore, flore majore C. Bauh. 1623; heic flores maximi 7 lin., an haec Bauhiniana?

In pratis humidis, ubique copiosissima; β magis in umbrosis vel inter gramina vegetiora, saepe cum *C. amara*. Floret fine Maji vel initio Junii, rarius ad Julium m.; fruct. mat. initio Aug. vel prius. ♃.

Hist. *spec.* In locis humidis nihil hac planta frequentius est, flor. medio Majo (Krasch. edit. Gort. 1761 p. 104 cum observatione; citat var. *albifloram*); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in pratis humidis ins. apothecariae et lapideae et passim frequens est (Sobol. Petr. 1799 p. 155 n. 428); ubique in pratis humidis et ad ductus aquarum, in insulis Newae! fl. et passim (Sobol. Petr. ed. Ross. II 1802 p. 53 n. 441); in pratis humidis et ad margines fossarum, Majo, Junio (Weinm. Pawl. 1824 p. 299); vulgaris (Turcz. 1825 n. 407); in pratis et ad rivulos, Majo, Jun. (Weinm. 1837 p. 66 n. 443); *C. pratensis dentata* Schult. Petrop. passim in humidis umbrosis; abnormitatem δ *stoloniferam* Dec.? fol. infimis radicantibus et proliferis leg. D. Karpinsky (R. Diatr. Petr. 1845 p. 71).

47. *C. amara* L. = *Nasturtium aquaticum majus* et *amarum* C. Bauh. 1623 = *Sisymbrium aquaticum* Matth. 1554 (sec. Sternberg, sec. alios esset *Nast. aquaticum*).

Petala 2—3, (rarius 4) lin., alba (magis erecta quam *C. pratensis:* Linné). Stamina petalis aequilonga, antheris violaceis. Stylus sub anthesi attenuatus, in stigma parvum terminatus. Folia radicalia caulinis conformia, pinnis subovalibus, sinuato-dentatis. Caulis basi radicans. — In speciminibus vulgatioribus extra aquam crescentibus, caules et margines foliorum, etiam superiorum semper pilis obsiti sunt, rarius caulis hirtus et lamina foliorum pilosa (sed nequaquam villosa ut γ *umbrosa* Dec.), quare β *hirta* Koch tanquam varietas heic vix distingui potest. Rarius obvenit foliis ternis (nec pinnatis) referens *var. trisectam* Dec. = *C. trifolia* L. Suec. Whlbg. Lapp. (non Lobel. et Linné Spec. pl.), sed saepissime simul pinna una alterave accedit. Melius a vulgari separanda *var. aquatica**: glaberrima, foliis carnosis latioribus, floribus saepe clandestinis vel abnormiter auctis sterilibus, racemis magis axillaribus, stolonibus ex axillis foliorum saepe supremis descendentibus.

Ad ductus aquarum, fontes, in umbrosis, secus rivulos et in fossis, interdum submersa. Floret a medio Maji ad autumnum (saltem initium Sept.); fruct. mat. medio Julii. ♃.

Hist. spec. Passim in locis humidis sylvarum ins. Basilii (Krasch. Index mss. 1749 n. 21); passim ad ductus aquarum et in ipsis aquis, flor. med. Maj. (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 104); in sylvis insulae apothecariae et lapideae (Sobol. Petr. 1799 p. 155 n. 429); in fossis sylvaticis, ad margines lacuum, ad ductus aquarum atque in rivulis ubique (Sobol. edit. Ross. II 1802 p. 54 n. 442); in umbrosis humidis et ad rivulos, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 298); ad rivulum Ligofka! ad m. Duderhof! et alibi (Turcz. 1825 n. 408); in paludosis ad margines lacuum et in sylvis umbrosis, Jun. Jul. (Weinm.

Petr. 1837 p. 66 n. 442 cum β *latifolia* — interdum pinnae ad $1^1/_2$ poll. augentur).

XXII. NASTURTIUM.

Plinio et Varroni sic dictum a naribus torquendis, quasi nasitortium, quod odore et seminis acrimonia sternutamenta provocet. Plinius dividit *Nasturtium:* in *hortense* s. *sativum* (= *Lepidium sativum*) et *sylvestre* (*N. aquaticum* Trag.?); illud album, hoc nigrum dicit (ex herba? vel ex seminibus?). Ex hac versione varia generis, apud patres diversissimae Cruciferarum species nomine *Nasturtii* veniunt. Fundamenta hodierni referri possent forsan ad *N.* illud *sylvestre* Plinii, certius *Nasturtium* Macri poëtae ed. 1477 et Dorsten. = *N. aquaticum* Trag. Species *Nasturtii* floribus luteis ad *Erucam* et *Raphanum* a patribus relegatae fuerunt. Generis hodierni characteres subtiliores ex embryone petitos et differentiam a *Sisymbrio*, quocum diu mixtum fuit, primus perspexit R. Brown 1812, *Nasturtii* generis restaurator. Boerhaavio 1727 erat *Sisymbrium*, *Sisymbrium* hodiernum vero *Erysimum* vocabat, et *Nasturtium* dixit *Lepidium* (*sativum*), quae nomenclatura sensim sensimque in pejus perversa fuit.

§. 1. Cardaminum Mönch 1794, Dec.

⁂ *N. aquaticum* Ruell. 1536, Trag. 1552! Dodon., Lonic., Gerard, Park., J. Bauh., Raj., Weinm. 1742 et Officinarum = *Sisymb. Nasturtium aquaticum* L. et pl. = *N. officinale* R. Br. 1812 = *Sis. aquaticum* I Tabern. 1590 = *Sis. Cardamine* (Fuchs 1542) J. Bauh. Raj. = *Nasturtium herba* Macer ed. 1477 c. icone (sec. Dec.; in edit. 1590: *Nasturcium*), an etiam Plinii? dubium = σισύμβριον ἕτερον ἢ καρδαμινη Diosc.

Specimen certum et indubium ex Ingria nondum vidi (cf. R. Diatr. Petr. 1845 p. 71); ex Livonia vidisse refert Ledeb. in Fl. Ross., Weinm. c. Dorpat, sed recentius in prov. balticis non observatum et revera dubiis maximis premitur. In Ingria indicabatur: ad rivulos passim (Gort.

Fl. Ingr. 1761 p. 109 s. *Sis. Nast. aq.* L. — deest apud Krasch.); ad rivulos et fontes circa officinam pyriam Ochtensem, ad Goreloy Kabak et alibi, fl. Junio (Sobol. Petr. 1799 p. 156 n. 430 s. *Sis. Nast.*); ad rivulum prope Duderhof (Sobol. edit Ross. II 1802 p. 55 n. 443 — hoc forsan loco 1835 crevit *Cardamine amara* var. *trisecta* Dec. (cf. Diatr. Petr. p. 71).

Potissimum cum var. aquatica *Cardamines amarae* confusa videtur. Differt autem *N. aquaticum:* siliquis horizontalibus, demum declinatis (nec erecto-patulis), 5—6 lin. (nec 12—14 lin.), subteretibus (non compressis), pedunculos subaequantibus (nec plus duplo longioribus); stylo crasso truncato $^1/_2$ lin.; floribus minoribus $1^1/_2$ lin. In statu vero sterili difficillime saepe dignoscitur, nam caulis fistulosus et auriculae ad basin petiolorum in *N. aquatico* humiliori saepe desiderantur, et foliola terna ovata vel basi cordata etiam in *C. amara* interdum obveniunt. Tamen hodie multo minus dubito, plantam in Diatr. p. 71 memoratam *N. aquatico* simillimam, floribus abortivis in viridario Peterhofiano a D. Horaninow lectam, ad var. aquaticam *Cardamines amarae* referendam esse.

§. 2. BRACHYLOBOS Allion. 1785, Dec. — *Radicula* Dill. 1719, Haller, Mönch (non Dodon. nec Imperato, utraque vero non recepta).

48. *N. palustre* Dec. 1821 = *N. terrestre* R. Br. 1812 = *Sis. terrestre* With. 1776 = *Sisymbr. palustre* Leyss. 1761 = *Radicula sylvestris* sive *palustris* J. Bauh. 1651! = *Raphanus aquaticus* C. Bauh. 1620 cum icone! — Linnaeo ipsi non satis nota species, et cum *Sis. amphibio* β *palustri* Spec. pl. ed. 2 confusa; minus recte tamen videtur Friesio, hanc var. β L. ad *N. palustre* Dec. amandare.

Petala calycem subaequantia, $^1/_2$ — $^3/_4$ lin. Siliquae oblongae turgidae 2—3 lin. Folia inferiora lyrata, superiora profunde pinnatifida, laciniis oblongis dentatis.

Radix fusiformis. — Species variabilis. Specimina annua debiliora, caule graciliori simplici, saepe adscendente, rosulis foliorum radicalium deficientibus insignia. Folia variant majora vel minora, vel tenuiora viridia, vel firmiora magis lutescentia vel obscura; laciniae nunc angustiores, nunc latissimae. Siliquae graciliores vel crassiores.

In cultis, agris, ad plateas, vias et fossas, in ruderatis, pratis, praecipue solo humido argillaceo, sed etiam in siccissimis et imo arenosis, locis apricis, innundatis vel umbrosis, ubique copiosissime. Floret a Junio m. usque ad Septembr.; fruct. mat. jam initio Julii. ♂ ⊙.

Hist. spec. In locis paludosis ubique, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 301); vulgare (Turcz. 1825 n. 411); in locis innundatis, paludosis, humidisque; aestate (Weinm. Petr. 1837 p. 66 n. 439). — Haec planta vulgatissima nequaquam recentiori tempore emersit, sed, ut jam in Diatr. Petr. 1845 p. 26 monui, cum *N. sylvestri* diu commutata fuit, et sine dubio *Sisymbrium sylvestre* (Krasch.) Gort. et Sobol. est, non Linnaei, quod ex omisso *N. palustri* et locis allegatis satis elucet, nimirum: In palustribus passim (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 105 — in Codice Mss. Krasch. 1754 loco synn. ex Linnaeo, posita sunt synn. Morisoni et Halleri, ad *N. sylvestre* revera spectantia, sed reliquae rationes majoris ponderis sunt); in humidis, palustribus et ad fossas passim (Sobol. Petr. 1799 p. 156 n. 431); in sylvis paludosis humidis, in aquae ductibus et ubique in locis humidis (Sobol. edit. Ross. II 1802 p. 56 n. 444); in pascuis humidis et ad margines lacuum et fluviorum ripas, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 66 n. 440 sub *N. sylvestri* R. Br. — sed haec spec. rarissima est, recentissimo tempore tantum visa et in ruderatis tantum obvenit, ut jam Linnaeus monuit; Petropolitana verosimiliter forma quaedam *N. palustris* erat).

Observ. *Nast. anceps* Dec. 1824 = *Sis. anceps* Whlbg. 1820! = *Sis. aquaticum* fol. in profundas lacinias divisis Vaill. 1727 (sec. Fries), ex foliis et longi-

tudine siliquae *N. palustri*, ex siliquis angustis, floribus et radice perenni vero *N. sylvestri* affine, ab utrisque siliculis pedicello duplo brevioribus (nec aequilongis) diversum est, jam in Uplandia et Fennia occid. obvium.

49. *N. sylvestre* R. Brown 1812 (non Plin., nec Thal. et C. Bauh., quod *Lepid. ruderale*) = *Sisymbr. sylvestre* L. = *Eruca sylvestre* (sic!) Fuchs 1542.

Petala calyce duplo longiora, $1^1/_2 - 2$ lin. Siliquae lineares 4 — 8 lin. longae. Folia omnia profunde pinnatifida et pinnata, pinnis oblongo-lanceolatis dentatis, foliorum superiorum sublinearibus. Radix crassa, multiceps, subrepens.

In ruderibus rarissime, sed haud parce v. g. in insula Kronstadt! (Kubarkin ex R. Symb. 1846 p. 230) et ad ostium Newae, hoc saltem loco verosimiliter cum saburra navium 1847 introductum et nunc quotannis obveniens. Floret saltem a fine Junii ad autumnum (med. Sept.) usque; fruct. mat. jam initio Julii. ♃.

Obs. Haec species in nullis Herbariis Fl. Petrop., exceptis Kastalskianis, ante 1845 exstiterat (conf. Diatr. 1845 p. 13), ut omnes auctores, qui eam Petropoli indicarunt, potius *N. palustre* ante oculos habuerint; conf. supra.

XXIII. SISYMBRIUM (rectius *Erysimum*).

Σισύμβριον Diosc. et Theoph. inde etiam patribus (Fuchsio, Dodon., Thal., Matth., Dalech., Gesnero) erat *Mentha aquatica*. Σ. alterum Dioscoridis sive *Sisymbrium* Plin. et Apuleji, nec non multorum patrum erat *Nasturtium aquaticum*. Linnaeus quoque ex mente Boerhaavii hanc plantam typum *Sisymbrii* generis sui intellectam voluit, semper in Systemate suo primo loco ponens, ejusque sectio prima *Sisymbrii*, fere ex integro respondet *Nasturtio* Brownii. Species generis *Sisymbrii* hodierni primae sub hoc nomine, multo serius, nimirum apud Vaillantium, Linnaeum in hort. Cliff. et Gmelinum in Fl. Sibir. obveniunt, apud

patres nullae. Tournefortio et Boerhaavio pridem rectius audiebat *Erysimum*, nam ἐρύσιμον Graecor. erat *Sis. polyceratium* et *officinale*, hoc *officinale* semper Linnaeo prima erat *Erysimi* species et typica, uti C. Bauhino. Genus *Sisymbrium* Linnaeanum potissimum amplectitur: *Nasturtium*, *Sisymbrium* et *Diplotaxin*. Allione ratione non habita evolutionis historicae, et Linnaeum male intelligens, infeliciter nomen *Sisymbrii* 1785 transtulit ad genus hodiernum, ita fere sibi circumscriptum, quod R. Brown 1812 et Decandolle consolidarunt, differentiam a *Nasturtio* et *Diplotaxi* ex embryone statuentes.

§. 1. Velarum Plin. Dalech.

i. e. herba velarum. *Velar* Francogallorum est *S. officinale* sec. Chastenet 1802, etiam „*herbe aux chantres*" dictum, nam velum palatinum adstringit, expectorans est et raucedinem tollit.

50. *S. officinale* Scop. 1772 = *Erysimum officinale* L. = *Erys. vulgare* C. Bauh. 1623, Tourn., Rupp., Vaill. = *Erys. Dioscoridis* (at false) Lobel. 1576, Dodon. Park. = *Verbena foemina* Trag. 1552! = *Erysimum* quod Galli *Velarum* appellant Plin. sec. Dalech. Dec. = ἐρύσιμον Hippocr. (non Diosc. et Theophr.) sec. Trag. Sprengel et Dec.

Siliquae 5—6 lin. cum pedicello 1 lin. crasso rachi adpressae. Folia runcinato-pinnatipartita, pinnis 2—3 jugis dentatis, lobo terminali maximo hastato. Caulis 1—2 ped. superne rigide ramosus, ramis patentibus vel arcuato-divaricatis. Petala lutea $1^1/_2$ lin. calyce duplo majora. — Variat β *leiocarpum* Dec. 1821; siliquis glaberrimis, nec ex toto pubescenti villosis, ut in typo.

In ruderatis, plateis, ad vias hinc inde parcius; β cum vel sine typico. Floret fine Junii ad finem Julii; fr. mat. fine Augusti m. ⊙.

Hist. spec. Circa palatia ad litus Newae! sita, inter 7 et 8 lineas, copiosissime provenit (Krasch. Index mss,

1749 n. 131); in palustribus *Sisymbrio sylvestri* comes, sed rarius eo est (Gorter Fl. Ingr. 1761 p. 106 sub *Erys. offic.* L. — evidenter menda! — in Krasch. Codice mss. 1754 legitur „praecedentis comes“ i. e. non *Nast. palustris*, sed *Sisymbrii Sophiae*); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in arvis, ad vias et in ruderatis siccis insulae Basileensis et passim (Sobol. Petr. 1799 p. 157 n. 434 et in edit. Ross. II 1802 p. 58 n. 446 sub *Erys. off.*); in ruderatis pr. Oranienbaum! legi Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 303 sub *Erys.* et Petrop. 1837 p. 67 n. 451 sub *Sis.*); ad domos v. g. in regione Petriburgensi, ins. Petri, ad pagum Lachta (Turcz. 1825 n. 413).

§. 2. Irio Dec.

ab ἐρύω (vide *Erysimum*), sic dictum Plinio; Linnaeus ad *Sis. Irio* transtulit, patres plurimi vero pro *S. officinali* habuerunt.

51. *S. Sinapistrum* Crantz 1769! nisi jam 1762 (descriptio optima!) = *S. pannonicum* Jacq. 1781—6! = *Sis. Sinapios* Retzius 1783 (ex Decand. huc; — descr. ambigua, patriam tacet).

Siliquae 3—4 pollic. cylindricae cum pedicello aeque crasso 3 lineali patenti-divaricatae. Petala pallidissime flava, 3 lin. calyce patentissimo duplo majora. Folia inferiora runcinata, plurijuga, jugis triangularibus dentatis, terminali lobo majori; superiora pinnata, pinnis linearibus integerrimis, terminali conformi. Caulis 1—3 ped., inferne cum foliis plerumque hirsutus.

In ruderatis, ad vias, in ipsa urbe, pluribus locis copiose et nunc indigena factum. Primum observatum est 1847, circa pontem St. Trinitatis! (C. A. Meyer) simulque ad viam ferream Mosquensem! (Kühlew.), in priori saltem loco fere quotannis rediit. In ruderatis Mosquae, ubi ante incendium 1812 non aderat, ab anno 1814 sensim copiosius apparuisse, refert b. Goldbach. — Floret medio vel fine Junii ad initium Augusti; fruct. mat. fine

Aug. vel initio Sept., foliis inferioribus tum omnino emarcidis vel destructis. ♂.

⚹ *S. Loeselii* L., cujus spec. tantum nonnulla Petropoli in ruderato quodam 1848 observata (Kühlw. in litt.), dignoscitur a *S. pannonico* et aliis: floribus luteis, siliquis pedicello gracili duplo longioribus, junioribus thyrso convexo brevioribus.

§. 3. Sophia Dodon. 1583

= *Descourea* Guettard 1747 dixit *S. Sophiam* in memoriam coaevi auctoris botanici: Fr. Déscurain. Characteres penitiores subgenericos extricavit C. A. Meyer.

52. *S. Sophia* L. = *Erysimum Sophia* Raj. = *Sophia chirurgorum* Lobel 1576, Dodon., Gerard. Prima icon ap. Brunf. 1536.

Folia eleganter tripinnata, pinnulis sublinearibus. Pedicelli 2—5 lin. longi, graciles. Petala calyce 1 lineali subbreviora. Siliquae 7—10 lin. longae, in pedicellis patentibus erecto-arcuatae. Herba 1—2 pedalis, ∓ incana.

In ruderibus, plateis, ad vias, ubique copiosissime. Floret fine Maji vel initio Junii ad init. Sept.; fructiferum fine Julii vel prius. ⊙.

Hist spec. Circa palatia ad ripam Nevae fl. exstructa frequens est (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 106); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); ubique in. arvis, aggeribus, ad vias et sepes (Sobol. Petr. 1799 p. 157 n. 433; edit. Ross. II 1802 p. 57 n. 445); in locis cultis et ruderatis, Jun. Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 304 et Petr. 1837 p. 68 n. 452); frequens (Turcz. 1825 n. 412).

§. 5. Alliaria.

Patribus primis sic dicta, quod folia et semina trita *Allium* redoleant. C. Bauhinus genere separavit satis naturali; ab Adansonio, Scopolio, Andrzeiowski

et Decandolle restauratum, sed characteribus tantum levioribus hucusque a *Sisymbrio* distinctum.

(⁜) *S. Alliaria* Scop. = *Erysimum Alliaria* L. = *Alliaria officinalis* Andrz. Dec. = *Alliaria Matthioli* Dalech. 1587, Rupp. = *Alliaria* Fuchs 1542, Trag.! Matth. Dod. Camer. Tabern. C. Bauh. etc.

Folia cordata, grosse repando-dentata. Siliquae patentes, 2 pollic. in pedicellis crassis 2 linealibus.

Ad limites Ingriae in Esthonia orientali circa Türsel sc. prope Sülla-mäggi in sylvis caeduis umbrosis copiose (Seidlitz in Bunge exsicc. n. 74!), ita ut circa Narvam haud desit. Fl. Majo. ♂ ♃ sed haud longaeva.

§. 6. Arabidopsis Dec. 1821.

53. *S. Thalianum* Gay 1826, Gaudin 1829 = *Arabis Thaliana* Linné et pl. auct. usque ad Fries 1845 (non obstante embryone) = *Pilosella siliquosa* J. Bauh. 1650, Chabr. Raj. = *Pilosella siliquata* Camer. ad Thalium 1588!

Petala alba, 1 lin., calyce luteolo duplo majora. Pedicelli 3—4 lin. divaricato-patentes. Siliquae incurvato-adscendentes, 4—6 lin. longae, $1/4$ lin. latae. Folia oblongo-lanceolata, indivisa, obtusiuscula, remote denticulata, pilis 2—3 furcatis tecta; radicalia in petiolum attenuata. Radix filiformis annua. Herba multicaulis, pedalis vel simplex minor, basi hispida, superne ramosa et glabra, ex toto quasi siliquis tecta, unde nomen apud patres.

In siccis, secus vias, inter segetes et locis deustis hinc inde copiose. Floret a fine Maji ad initium Julii, fine Junii fructiferum. ⊙.

Hist. spec. Petropoli in hortis oleraceis et sub initium Maji florens (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 107 sub *Arab. Thal.* L.); Koirowo (Gorter Append. 1764 sub *Arab.* L.); ad pagos circa viam Schlüsselburg. (Sobol. Petr. 1799 p. 158 n. 437 sub *Arab.* — repetitur locus ex Gorter 1764); in arenosis siccis et ad sepes prope Pawlowsk! rarius (Weinm. Pawl. 1824 p. 300 sub *Arab.* et Ledeb. Fl. Ross. I p. 184); ad viam Pargolensem, cana-

lem Ligowae et alibi (Turcz. 1825 n. 417 sub *Arab.*); sat frequens in siccis, ad vias et inter segetes (R. Diatr. Petr. 1845 p. 72). — Stationes nonnullae forsan ad sequentem speciem pertinent.

54. *S. arenosum* Linné Fl. Suec. 1755 (non Spec. 1753) et omnium Botan. Suec. ex Fries, Koch, saltem Rupr. Diatr. 1845 p. 72 = *Arabis suecica* Fries 1845 = *Arab. Thaliana* var. lyrata biennis Fries 1842 = *Sis. Thalianum* β *lyratum* Koch et Fries 1843 = *Arab. Thal.* β *urbicola* Hartm. 1838 et β *hispida* Wahlbg. 1826; utraque, testante Friesio, cum *Arab. arenosa* Scop. confusa.

Petala $1^1/_2$—2 lin. calyce duplo majora. Siliquae rectiusculae, 9—11 lin. longae, $^1/_3$—$^1/_2$ lin. latae. Folia radicalia rosulata, lyrato-pinnatifida, caulina dentata. Radix crassa, biennis. Herba $1—1^1/_2$ ped., hispidior, quam *S. Thalianum*, cui in reliquis convenit, exceptis seminibus duplo majoribus.

In cultis, hortis et agris, nec non in sterilibus arenosis, glareosis et ruderatis hinc inde, haud parce. Floret a medio Maji m. usque ad frigora autumnalia (sine damno — 3° R. fert); fruct. mat. medio Junio vel prius; ♂ est, sed non raro jam primo anno floret et fructificat. Cultura non mutatur, nisi quod folia radicalia minus incisa sint et rosulae steriles saepe aestate enecentur; an revera formam annuam enitatur, adhuc dubium videtur, haec potius sistit:

β *macrum*, humilius, unicaule, radice tenui, foliis radicalibus saepe tantum dentatis vel integerrimis, siliquis saepe brevioribus. Haec forma a simillimo *S. Thaliano* adhuc dignoscitur: floribus et seminibus majoribus, nec non siliquis latioribus. Jam initio Maji floret et typo prius fructifera, saepe autumno nascitur.

Hist. spec. Ex Diatr. Petr. 1845 p. 72: Petropoli (Prescott in hb. Meyer 1830); in horto Imp. botan.! spontaneum (C. A. Meyer); in arenosis pr. Pargolam (Hb. Graewenitz); formam macram vidi in ruderibus

lapidosis pr. Pawlowsk et in m. Duderhof. — Huc quoque spectat: *Arabis arenosa* Weinm. Petr. 1837 p. 67 n. 447 (non Scopoli): in arenosis, siccis, aridis, Majo, Jun. ⊙.

XXIV. ERYSIMUM.

Ab ἐρύω, ἐρύσω, conservo, consolido, ex efficacia herbae roborante. Sed haec referenda sunt ad ἐρύσιμον Diosc. = *Sisymbrium polyceratium* et ἐρύσιμον Hippocr. = *Sis. officinale* (sec. Spreng. et Dec.); item *Erysimum* Plinio est, at cum *Erysimo* fruge Theophrasti (*Fagopyrum*) confundit. Genus *Erysimum* apud C. Bauhinum fere *Sisymbrium* hodiernum est, ita etiam Tournefortio et Boerhaavio, quorum vestigia sine dubio Linnaeus sequi voluit, Tournefortium citans et pro specie prima *E. officinale* ponens. Sed character differentialis Linnaei „siliqua exacte tetraëdra“ in causa erat, cur reformatio, duce Gärtner et R. Brown, plane in aliam ab *Erysimo* veterum directionem inciderit. — E legibus emancipatae olim nomenclaturae *Erysimastrum* Dec. 1821 dicetur, vix enim nomen antiquum *Leucojum* restitui potest, quo plures species apud Thalium, Clusium, C. et J. Bauh., Raj., Tourn., Allion., Barrel., Boccon. obveniunt. Etiam b. Link meliora sensisse videtur, dum 1822 *Cheiriniam* loco *Erysimi* posuit, quod *E. officinali*, *Sis. supino* et *polyceratio* reliquit.

55. *E. cheiranthoides* L. = *Erysimum Galeni* et *Theophrasti* (sed false) Raj. = *Erysimum tertium* Tabern. 1590 = *Leucojum montanum* Thalius 1588 (sec. Dec.) = *Camelina Myagrum* alterum Thlaspi effigie Lobel. 1581.

Petala $1^1/_2$—2 lin., calyce duplo majora. Siliquae 6—10 lin. longae, in pedicello 3—5 lin. divaricato vel parum deflexo valde adscendentes, fere rachi parallelae, subglabrae. Stylus $^1/_4$ lin., stigmate capitato parvo. — Variat rarius β *dentatum* Koch 1835: foliis subsinuato-

dentatis (in typo repando-dentatis vel subintegerrimis). — In vegetioribus specc. siliquae ad 14 et pedicelli ad 8 lin. usque longi.

Ad vias, fossas, in plateis et ruderibus, inter segetes, vulgatissime et copiosissime. Floret a medio Majo ad initium Septembr.; fruct. mat. medio Julii m. ⊙.

Hist. spec. Ad agrorum margines et inter segetes frequenter occurrit, sub initium Maji floret (Krasch. edit. Gort. 1761 p. 107); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); Petrop. in cultis et hortis passim (Sobol. Petr. 1799 p. 157 n. 436), in ins. Basiliensi! atque in aliis locis similibus (Sobol. Petr. edit. Ross. II 1802 p. 58 n. 446); in ruderatis et ad agrorum margines, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 305 sub *Cheirinia cheir.* Link); vulgare (Turcz. 1825 n. 416); in locis siccioribus graminosis et in sepibus, aestate (Weinm. Petr. 1837 p. 68 n. 454).

56. *E. strictum* Gärtner 1800 = *Cheirinia stricta* Link 1822 = *E. hieracifolium* Linné Fl. Suec. et omnium botan. Suec.; hoc nomen vero citra rationes notissimas restitui non potest, quia *Leucojum* luteum sylvestre *hieracifolium* C. Bauh. 1620, quod Linnaeus pro suo habuit et ex quo nomen transtulit, certissime non *E. strictum* est, sed *E. keirifolium* Wallr. 1840, quod Kochius iterum ad *E. odoratum* Ehrh. duxit.

Petala 3—4 lin., calyce vix duplo majora. Siliquae 8—20 lin. longae, cum pedicello 1—3 lin. erectae et rachi fere adpressae, pube densa incanae. Stylus $1/2$—1 lin., stigmate crasso subbilobo. — Variat: *gracile*, siliquis maturissimis patentibus, floribus pallidioribus, an *E. alpinum* Fries? quod in Fennia tota indicatur, cujus vero specc. in Herb. norm. VIII (nostro) non exstant.

In graminosis siccis ad viam Teitzensem rarissime, Jun. Jul. ⊙ (Weinm. Petr. 1837 p. 68 n. 453 s. n. *Erys. hieracif.* L.); hinc inde secus vias et in ruderatis parce; copiosius in ins. Basilii! in arenosis et graminosis circa Strelna! Marthischkina! hinc solum fere in regione mari-

tima. Floret ab initio vel medio Junio usque ad initium vel medium Augusti, quo tempore fruct. mat. simul onustum. ♂.

Adnot. Amman in Mss. 1734 sub N. 22 commemoravit plantam „in ruderatis et locis incultis insulae Wassili Ostrow, Julio m.“ repertam sub nomine „*Hesperis Leucoji folio serrato*, siliqua quadrangula“ Tournef. Inst. R. H. 223 et „*Leucojum luteum serrato folio*“ C. Bauh. Pin. 202. Synonymum Tournef. ad *Cheiranthum erysimoidem* L. spectat, a Fl. Petrop. longe alienum. Ex icone J. Bauhini a Tournef. citato verosimiliter *E. strictum* ante oculos habuit Amman, quod hodie adhuc in loco citato viget.

XXVII. BRASSICA

sive „*praeseca*“ Varronis, a praesecando, *Brássica* apud Ciceronem, Catonem et Plin.; alii a vorando ἀπὸ τοῦ βράζειν, est *B. oleracea* cum formis diversis. Κράμβη Diosc. = *Crambe* Plin. pariter ad *B. oleraceam* pertinere contendunt, ut ῥάφανος, ῥάφανον (non ῥαφανίς) Theophrasti. — Βουνιὰς Diosc. = *Bunias* Plin. et Colum. a C. Bauhino pro *Brassica Napo* intelligitur. Tournefortio adhuc genera tria distincta: *Brassica*, *Napus* et *Rapa*, quae a Linnaeo in unum contracta, additis vero sectioni primae speciebus alienis, serius sub n. *Conringia* et *Moricandia* a Decandollio sejunctis, ita ut *Brassica* Decandollii sensu strictiori sc. §. 1 genus limitibus naturalibus constitutum sit, charactere tamen nullo a *Sinapi* distinctum. Hunc primo statuit Koch 1835, *Melanosinapia* Cand. ad *Brassicas* amandans.

57. *B. campestris* Linné (nec recentiorum) et Clusius 1601 cum icone optima, at falso flores describit albos = *B. campestris* perfoliata flore luteo (Loesel. 1703 (sec. Linné). Annua, radice et caule tenui, foliis caulinis uniformibus cordatis sessilibus (Linné).

In agris inter segetes (Linné), nec non in ruderibus, hinc inde copiose. Floret initio vel fine Junii, serotina initio Sept.; initio vel medio Julii deflorata cum fruct. maturis. ⊙.

Hist. spec. Inter segetes et ad sepes hortorum oleraceorum frequens est (Krasch. ed Gort. 1761 p. 107 — Sobol. Petr. 1799, p. 159, n. 440; edit. Ross. II 1802, p. 64, n. 453 locus ex Krasch. mutuatus; sed citat varietatem fl. albis, fictam ex synn. Linnaei, quam Krasch. jam refutavit); inter segetes, Junio (Weinm. Pawl. 1824, p. 306); frequens (Turcz. 1825, n. 421); in agris et inter segetes, Majo, Jun. (Weinm. 1837, p. 68, n. 455).

⚹ *B. Napus* L. Ad sepes et in agris desertis, nec non ad rudera saepe occurrit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 108); in agris circa Pargelovium et Osinova Roscza, nec non ad rudera domorum et sepes hortorum (Sobol. Petr. 1799, p. 159, n. 441) atque in ruderatis ins. Basilii et aliarum (Sobol. Petr. ed. Ross. II 1802, p. 65, n. 454); in agris, Jun. ad Aug. ⊙ (Weinm. Petr. 1837, p. 68, n. 456). Specimina haec omnia fere ad *B. campestrem* pertinuisse suspicor, quaedam forte ad *Napum* e cultura superstitem; spontanea certe nullibi in Ingria aderit. Suecicam Linnaeus tantum ex arenosis maritimis Gothlandiae habuit. *B. Napus* sec. Fries (Novit. Fl. Suec. II 210) „ad litora baltica vere spontanea videtur, praecipue in insulis arenosis, ob situm depressum, quare sub procellis innundatur, semper incultis ad Scaniam boreali-orientalem, ubi ..... cum *Artemisia maritima* fere unicum vegetabile; ceterum in Roslagiae maritimis extimis, Oelandiae agris multis locis". Talis neque in Finlandiae maritimae insulis extimis mihi obvia erat.

In distinguendis speciebus *Brassicae*, apud nos cultis, iterum ad immortalem Linnaeum redire satius duxi, nam species auctorum recentiorum quoad differentiam et limitationem mihi obscurae; vix melioris quid loco specierum Linnaeanarum positum video. Est nimirum:

„*B. Napus* L. biennis, radice caulescente fusiformi". — A sequente diversa adhuc dicitur: siliquis patentibus (nec erectiusculis), calyce semipatente (nec patentissimo), racemo florifero laxo elongato (nec denso corymboso).

„*B. Rapa* L. biennis, radice caulescente orbiculari, depressa, carnosa". — Mater *B. campestris* dicitur.

„*B. oleracea* L. biennis, radice caulescente tereti carnosa". — A prioribus adhuc differt: staminibus omnibus erectis, calyce erecto clauso.

58. *B. juncea* = *Sinapis juncea* L. 1753 et Jacq. a cel. Meyer in Ind. VII sem. hort. Petrop. optime exposita.

Rami fasciculati. Folia summa lanceolata integerrima, inferiora lacera, subtus scabra, fere rapaeformia (Linné 1748). Siliquae fere *B. campestris*, sed torulosae, brevius pedicellatae, plerumque breviores, magis erectae, rostro breviori. Ex nervis valvularibus utique sec. Kochii limitationem *Brassica*, nec *Sinapis*. — *B. juncea* potius commutari posset cum *B. integrifolia* (Willd. sub *Sinapi*), cujus tamen petala evidenter majora, folia omnia integra subtus glaberrima, nervo medio crasso. *B. pekinensis* (Lour. et omn. hort. sub *Sinapi*) pariter simillima, petala habet *B. integrifoliae*, folia *B. junceae*. Hae species tres a plerisque *Sinapium* speciebus, etiam *arvensi*, statim colore herbae laete viridi dignoscuntur.

Planta haec e China originem duxisse dicitur, et in India orientali, sc. territorio Canara, recenter lecta (Unio itin.!). Sed nunc in Europa hinc inde spontanea facta est v. g. in Gallia, Austria et sec. Besser in collibus et campis circa Cracoviam (*Sinapis campestris* Bess. 1809 = *Brassica Besseriana* Andrz. — cf. C. A. Meyer l. c.), diu forsan et multis locis praetervisa. In Ledeb. Fl. Ross. adhuc deest. Sed vidi certe spontaneam et copiosam ex convallibus montium Aidaharly, *Caragana* humili tectis, prope Karkaraly in deserto Kirghisorum, locis glareosis ab omni cultura remotissimis, in exped. Schrenk. lectam; porro e Constantinograd 1823 (M.

Bieberst.!) et ex reg. Wolgae inferioribus (Staehlin in Hb. M. Bieb.! — schedulae manu Andrzejowskii adscriptum „*Ramphospermum volgense* mihi, *Ramphospermo arvensi* proxima spec. esse videtur"). In Sibiriae baicalensis hortis oleraceis culta 1830 (Turcz.!); in hortis botan. Germaniae jam 1769 s. n. *S. laevigata* L. (Pott!). In ruderatis et secus vias circa Petropolin, ubi nusquam in oleraceis colitur, a. 1844 et 1852 a D. Kühlewein et Borszczow haud parce reperta est; specc. servata foliis radic. quidem carent, ceterum optima sunt. Floruit a Julio ad medium Sept., fruct. matur. ab initio Augusti m. ⊙.

⁜ *B. nigra* Koch = *B. sinapioides* Roth = *Sinapis nigra* L. = *Sinapi sativum* (Dodon., Gerard, Raj.) *Erucae* aut *Rapi folio* Lobel = *Synapi primum* Lacuna 1552, Matth. 1554 = *Sinapi Rapi folio* (alterum Plin., saltem) C. Bauh., Morison = *Mustarda nigra* Ruell. 1536!

Siliquae glaberrimae, cum pedicello $1-1\frac{1}{2}$ lin. rachi adpressae, 5—7 lin. longae, $\frac{1}{2}-\frac{3}{4}$ lin. latae, stylo $\frac{1}{2}$ lin. terminatae. Petala 2—3 lin. Folia omnia petiolata; inferiora et media lyrata, dentata, lobo terminali maximo crenato-inciso; suprema lanceolata integerrima dependentia. Caulis cum foliis glaberrimus.

Specimina (3) in ruderatis prope urbem, an aufuga?, sed in consortione *Sinapeos arvensis* et *Barbareae strictae* anno 1844 aderant (R. Diatr. Petr. 1845 p. 73 s. n. *Sinapis nigra*); posthac in aliis ruderatis (Kühlew. in litt.). Forsan olim spontaneis adnumeranda; indicatur enim in Fenniae austr. paroec. Pojo, gubernio Nowgorod nec non in Esthonia et Livonia, ubi interdum in agris efferata (W. et W.). Petropoli nullibi culta; medio Julio cum floribus ultimis et fruct. fere maturis. ⊙.

XXVIII. SINÁPIS (serius etiam *Sinăpis*).

σίναπι, σίνηπι Theophr. = νάπυ (σι-νάπι) Hippocr. Diosc.; quam vulgo ad *S. albam* referunt, C. Bauh.

vero ad *S. nigram*, sic dictum παρὰ τοῦ σίνεσθαι τοὺς ὄπας, oculos enim laedit; dicitur etiam νάπι, quasi immite, ob vehementem ejus acrimoniam (C. Bauh.). Plinio est *Sinapi*, cujus tres species memorat. Tournefortio et omnibus fere patribus „*Sinapi*"; Linnaeo cum Ruellio 1537 jam „*Sinapis*". Generis hodierni auctor est: b. Koch.

59. *S. arvensis* L. = *Sinapi arvense*, praecox, semine nigro, foliis integris Moris., Tournef. = *Rapistrum flore luteo* (duplex) C. Bauh. 1623 = *Rapistrum* Brunf. 1536.

Semina nigra, in quolibet loculo plerumque 5—7 (9—12 ut Decand. in nostris haud vidi). Siliquae laeves (Linné 1768); valvulae rostro prismatico ancipiti subduplo longiores. Pedicelli erecti. Folia ovata inaequaliter dentata, inferiora basi lyrato-pinnatisecta. Petala lutea, 4 — 5 lin., calyce patentissimo caduco duplo longiora.

Hist. spec. Circa Jamburg (Boeber ex Georgi 1790 p. 72 n. 418); in agris et inter segetes, circa m. Pulcovum, Pargelovii (Sobol. Petr. 1799, p. 160, n. 442; edit. Ross. II 1802, p. 66, n. 454; repetitur locus Boeberi); inter segetes, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 306 et Petr. 1837, p. 68, n. 457); vulgaris (Turcz. 1825 n. 422). Inter segetes nondum reperi; *Raphanistrum segetum* simile et saepe confusum differt: calyce magno erecto, clauso et fructibus.

β. Valvulis siliquae retrorsum hispidis: *S. orientalis* Murray 1770, Dec. et plur. auct. (an Linné 1755?). In ruderatis circa urbem rarius, sed copiose (Kühlew.! Borszczow!). Medio et fine Julii floret, at fruct. nondum plene maturis. ⊙.

Jam in Diatr. Petr. 1845 p. 74 monui, *S. arvensem* Fl. Petr., saltem ex parte potiori esse *S. Schkuhrianam* Rchb. Icon. XII, p. 20, fig. 4425 b, in ruderibus et fimetis multo frequentiorem, quam *S. arvensis* Rchb. tab. 86. Initio Julii simulcum floribus et fruct. maturis primis invenitur; dantur vero individua serotina, medio

Aug. et Sept. florentia nondum fructifera. E siccis plantis, plerumque incompletis, utrasque formas segregare sane spinulosum est, praecipue evitandi sunt status fructiferi nondum plene maturi, nam forma siliquae diu gracilis, in stadio perfectissimo valde mutatur, ut in *Barbareis*. Neque character ex foliis petitus exceptiones forsan excludit. Jam veteres duas species *S. arvensis* distinxisse, C. Bauhinus 1623 meminit, sc. foliis aliquando incisis vel sinuatis, aliquando minime. Illa est *Rapistrum arvorum* Lobel 1576, nec non Raj. 1686. Illam etiam Tournefort specie distinxit, Poiret et Decandolle iterum varietatis β titulo adjunxerunt; eadem Friesio quoque insignior visa et prorsus *S. Schkuhriana* Rchb., formis tamen ambiguis exstantibus, species nondum clare distingui poterat. A *S. arvensi* L. ex limitatione Poir. Dec. aut Rchb. et Friesii (qui analogam β *orientalem* admittunt) dignoscitur haec var. *incisa* Poir. = *S. Schkuhriana* Rchb.: foliis (non dentatis, sed) acute incisis in lobos 7—9 dentatos, siliquis longioribus et tenuioribus, erectiusculis incurvisque, rostro minus ancipiti, subtereti.

⋇ *S. alba* = *Sinapi album* Camer. 1588, Gerard, Besler (non Dalech. 1586) = *Sinapi sativum* (Dalech. 1586) *album* et *luteum* Trag. 1552 = *Sinapi herba* Macer ed. 1477 = *Sinapi gracile* Plin.

Semina vitellina, magna, in quolibet loculo 2—3. Siliqua 2 lin. lata; valv. 6—7 lin. hispidissimae; rostrum 4—6 lin. complanatum hispidulum. Pedicelli fructigeri, uti pili valvularum, divaricato-patentes. Folia omnia lyrato-pinnata; pinnis dentato-lobatis. Flores fere *S. arvensis*. — Valv. in nostra 3 nerviae, nec 5 nerv. ut Koch exposcit.

Petropoli, in ruderato quodam prope urbem, alias quidem suspecto, quo *Brassica nigra* et specimen *Xanthii Strumarii* enatum est (Kühlew. ex R. Symb. 1846 p. 229). In Esthonia, ubi non colitur, hinc inde copiosissime (W. et W. 1852); Helsingfors (W. Nyl.). Specimina fine Aug. cum flor. et fruct. maturis lecta. ⊙.

XXIX. ARMORACIA.

Armoracĭa Plinii, quasi *armorica*, ex celtico „*ar-mor*“, quod ad mare crescat, aut forte in Armorica provincia Galliae marina. Alph. Decandolle nuperrime statuit, *Armoraciam* Plin. et Roman. in *Raphano* (*maritimo?*) quaerendam esse, hodie adhuc Italis *Ramolaccio* dicto, Plinio item ῥαφανίς ἀγρία Diosc., nomine quoque Neograecis traditione servato. Excepto fere solo Tabernaemontano, cui *Armoracia* erat *Raphanistrum*, vulgus omnesque patres *Armoraciam* Plinii ad *Raphanum rusticanum* transferebant et ita nomen a Ruellio, Lacuna, Ruppio, Weinmannio, Gilibert, Gärtner aliisque adoptatum est, et *Armoracia* ad generis dignitatem sensim evecta, ab adversariis vero a Linnaeo usque ad Ledebourium cum *Cochlearia* juncta, a qua tamen valvulis enerviis recedit. E. Meyer et Koch affinitatem maximam cum *Nasturtiis* siliculosis indicarunt, ita ut genus aut charactere valde artificiali stabiliendum sit, aut habitu tantum et floribus albis limitandum. In tali rerum statu nomini tam diu recepto aliud haud substituendum, nisi novo charactere confirmatum, censeo. Forsan *Roripam* intrabit, aut, Friesio monente, *Nasturtium*.

§. 1. Roripa Scop. 1760, Besser.

60. *A. aquatica* Kostel. 1836 = *A. amphibia* E. Meyer 1839 = *Roripa amphibia* Besser 1822 = *Nasturtium aquaticum* Wallr. = *Nasturt. amphibium* R. Br. = *Sisymbr. amphibium* L. = *Rapistrum aquaticum* Tabern. 1590 (sec. Bauh. ad β) = *Raphanus palustris* Dalech. 1586 = *Raphanus sylvestris officinarum* s. *aquaticus* Lobel 1581 (ad α).

Siliculae ellipticae, pedicello 3—4 plo breviores. Stylus 1 lin. fere longus, stigmate capitato. Petala lutea, 2 lin., calyce vix duplo longiora. Caulis basi radicans. Quoad folia variat sequenti modo:

α. *palustris* Linné (excl. syn. Bauh.) „foliis infimis capillaceis, summis pinnatifidis" (L.). Licet cum hoc Linnaeus *Nasturtium palustre* junxerit, ut syn. Bauhini citatum suadet, praecipue tamen, observante Friesio, formam *Sis. amphibii* vulgarem indicare voluit. Huc potissimum spectat α *variifolium* Dec. et Koch: foliis superioribus serratis, inferioribus pectinato-pinnatifidis, infimis submersis capillaceo-multifidis.

β. *typica* = *aquatica* L.: foliis simplicibus dentatis, serratis = α *indivisum* Dec.: foliis omnibus integriusculis serratisve = *Raphanus aquaticus alter* C. Bauh. 1620 cum icone bona!

γ. *terrestris* L.: = *Sis. aquaticum*, foliis variis Vaill. 1727 = *Sis.* foliis imis integris ovatis, serratis, superioribus pinnatis Haller 1742. Monente Friesio minime ad *Nast. anceps* (Whlbg.) transferri potest, ut posthac a Koch in Synopsi factum est.

Hist. spec. In fluvio Wolchow ultra cataractas in ripis et aquis lente fluentibus admiranda copia crescit (Krasch. edit. Gorter 1761 p. 105 sub *Sis. amphibio* α, sed cum synonymis ad β *aquaticam* L. Spec. pl. edit. 1 referendis; omissa sunt ex Codice Mss. Krascheninnikowii, quod Junio m. floreat et observatio de altitudine 10 pedali!? plantae, cujus folia inferiora capillacea erant, ex quibus patet var. α *palustris* Linné Spec. pl. 1); ad pagum Sapolje in paludosis (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 105 sub *Sis. amphibio* β, ex syn. Halleri ad γ *terrestre* L. Spec. 1; *Sisymb. aquaticum*, scil. II, Tabern. pariter huc pertinere potest, quod ex icone rudi vix tuto cognoscendum; tamen minoris momenti est, nam Krasch. ipse in adnotatione dixit: utramque speciem, α et β scilicet, pro una eademque specie habeo, ill. Hallero praeeunte, habitus enim utriusque, foliis exceptis, flores, fructus, sapor et odor paene ut ovum ovo similia sunt); Newa (Falk Beitr. II, 1786 p. 216 n. 766 sub *Sis. amph.* — forsan auctoritate sola Krasch. receptum); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in ripis innundatis Newae fl.! Majo et Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 156, n. 432;

edit. Ross. II 1802, p. 57, n. 445 sub *Sis. amph.* citatae sunt varr. fol. simplicibus et pinnatis); in innundatis, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 301); ad viam Peterhofianam in fossa prope praedium D. Kümmel, etiam prope Pawlowsk leg. D. Weinmann, et anno praeterito unicum specimen in insula Petri leg. D. Prescott (Turcz. 1825, n. 410); in fossis una vice prope Zarskoe Selo legi, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 66, n. 441, sub *Nast. amph.*); in fossis exsiccatis prope urbem unicum tantum specimen var. *α palustris* L. medio Junio 1845 cum floribus primis. ♃.

§. 2. Armoracia.

⚹ *A. rusticana* Gärtn. 1800 = *A. Plinii* (negante Tabern. Dec. fil.) Lacuna 1552 = *A. Rivini* Rupp. 1718 = *A. lapathifolia* Gilib. 1793 = *Nasturt. Armoracia* Fries = *Cochlearia Armoracia* L. = *Raphanus rusticanus* (sive *vulgaris* Matth. 1558) Camer. 1586, C. Bauh. et plur. (crassa radice *Lapathi folio* Lobel 1576) = *Raphanus silvestris* Ruell. 1536, Fuchs.

Frequenter in hortis culinaribus culta, nonnullis locis superstes vel aufuga, imo fere spontanea dicitur. In Esthonia et Livonia ubique efferata, nec in Europa occid. fors vere spontanea, sed ex Rossia olim introducta, ut probabile ex nomine *хрѣнъ*, in varias linguas (Kreen, Cran de Bretagne) translato.

XXX. DRABA.

Δράβη Diosc. est *Lepidium Draba*, quod primitiva species *Drabae* patrum et generis heterogenei *Draba* C. Bauh.; Columna 1616 primus nomen *Draba* sensu neotericorum ad designandam *Drabam muralem* adhibuit; secutus est Dillenius 1719, quem auctorem generis appellavit Linnaeus, illi vero typus erat *Draba vulgaris* (*Erophila*). Tandem Linnaeus species varias false dispositas cum hac candide junxit in genus optime limitatum, ut posteritas vix aliquid reformandi habuerit.

61. *D. lutea* Gilib. 1782, 1792 = *D. lutea* β *longipes* Dec. 1821 = *D. nemorosa* L. var. *leiocarpa* Lindbl. Ledeb. (sed culturâ haud transit in *var. hebecarpam* vel typum et inverse) = *Alysson* folio Veronicae floribus *luteis* Buxbaum 1732 (ex Esthonia habuit).

Siliculae glaberrimae, elliptico-oblongae, pedicello divaricato 2—3 plo breviores. Petala lutea, emarginata. Folia oblonga, ovalia vel ovata, sessilia, dentata. Caulis foliosus.

In arenosis, declivibus siccis, ad vias, pluribus locis circa et imo in ipsa urbe copiose. Floret ab initio Maji; initio Junii cum floribus ultimis simulque fructibus maturis primis onusta; paulo post omnino evanescere videtur. ⊙.

Hist. spec. Petropoli! (Steven ex Dec. Syst. II 1821, p. 351 sub *D. lutea* β *longipes*); in collibus siccis circa Petrop. Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 293 s. n. *D. lutea* β Dec.); in muris arcis Petropolitanae, ad coemeterium Smolenskoje! ad pontem magnum in via Pargolensi! et alibi (Turcz. 1825, n. 400); a. 1826 tantum semel 18 Werst. a Pawlowsk, ceterum nullibi vidi, ex a. 1830 vero propius versus Pawlowsk! migrata, quotannis in declive sicco, graminoso (Weinm. in Linnaea X, 1836 p. 224 sub *D. lutea* β Dec.); in locis arenosis sterilibus exaridis, primo vere (Weinm. Petr. 1837 p. 65 n. 435 sub *D. lutea* Dec.)

Adnot. Draba muralis Petropoli a Longmire 1823 p. 195 sine dubio tantum errore indicata pro *D. lutea*, non prius, quam circa Reval Esthoniae occurrit. Floribus albis statim dignoscitur.

62. *D. vulgaris* Dillen. 1719 = *Erophila vulgaris* Dec. 1821 = *D. verna* L. 1753 (apud patres nomine *vernae* non obvia) = *Paronychia vulgaris* Dodon. 1583. Icon jam in Brunfelsio 1532 edit. germ.! exstat.

Siliculae ellipticae, inferiores et mediae pedicellis patentibus 2—4 plo breviores. Petala alba semibifida. Folia radicalia rosulata, lanceolata, subdentata. Caulis aphyllus.

Siliculae plerumque $2^1/_2$—3 lin. (oblongae a Kochio dicuntur), haud raro tamen $1^1/_2$—2 lin., unde eadem latitudine servata magis ovales apparent et ad illas *D. spathulatae* Lang, Hoppe accedunt.

In arvis, agris, hortis, inter segetes, etiam locis sterilibus et arenosis, ubique fere copiose. Flores e primis sunt, fine Aprili ad medium Maji aut interdum ad initium Junii; fructus maturi a fine Maji ad initium Julii; mox exsiccatur et evanescit. Noctu et ad imbres evitandos coma nutat (Linné). ⊙.

Hist. spec. Passim in locis sterilibus; floret Aprili (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 102, sub n. *Draba verna*); circa nosocomium maritimum et passim in locis sabulosis sterilibus, Aprili, Majo (Sobol. Petr. 1799, p. 153, n. 422); atque in m. Poclonnaja, Aprili, Majo (Sobol. ed. ross. II 1802, p. 47, n. 435 utraque edit. s. n. *D. verna*); in muris et in locis arenosis siccis, floret primo vere (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811, pag. 39, tab. XIII s. n. *D. verna*); in locis apricis siccissimis, Aprili, Majo (Weinm. Pawl. 1824, p. 293 sub *Erophila vulgari*); vulgaris (Turcz. 1825, n. 399 sub *Eroph.*); in locis arenosis sterilibus exaridis et in areis arenosis, primo vere (Weinm. Petr. 1837, p. 65, n. 434 sub *Eroph. vulgari*).

XXXII. BERTEROA

Candollius 1821 dixit in memoriam Jos. Bertéro, viri de re herbaria meriti.

63. *B. incana* Dec. = *Farsetia incana* R. Br. 1812 = *Alyssum incanum* L. = *Alyssum fruticosum incanum* Tournef. = *Thlaspi incanum Mechliniense* Lobel 1576! Clus. 1601, 1583.

Herba tota pilis stellatis incana. Caulis ramosus, 1—2 ped. Folia lanceolata, integerrima vel subdenticulata, inferiora in petiolum attenuata. Flores corymbosi. Siliculae erectae, ovales, 3 lin. longae, stylo 1 lin. longo terminatae, pedicellos subaequantes, in racemum longum dispositae; valvulae convexae.

In ruderatis, ad muros, locis sterilibus siccis, hinc inde copiose. Floret a fine Junii vel prius usque ad initium Septembris; fruct. maturi ab initio Augusti. ♂.

Hist. spec. Circa Novgorodium in arvis (Krasch. edit. Gorter 1761, p. 103 sub *Alysso incano* L.; ex hoc gubernio pr. Tuchali praedium lectam vidi in herb. D. Eichwald); circa urbem Gatczinam! et in monte Pulcovo! circa Sarscoje-Selo ad margines agrorum in siccis arenosis et Petropoli in horto Nobilium Cadetorum terrestrium spontanea, Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 154, n. 426 sub *Alysso*); atque in insula Basiliensi et in aliis locis (Sobol. edit. Ross. II 1802, p. 51, n. 439 sub *Alysso* — locus „in horto nobilium etc." omissus); in siccioribus prope Gatschinam!, in m. Pulcovo! Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 297); in muris arcis Petropolitanae! in montosis Pulcovae et Duderhofii (Turcz. 1825, n. 405); in locis cultis, ruderatis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 65, n. 433).

XXXIII. LUNARIA.

Ex facie siliculae cum lunâ propemodum completâ nomen explicant, quod saltem ad *L. biennem* restringi debet. Primum apud Gesnerum 1561, Lobelium et al. sub hoc nomine obvenit; C. Bauhinus genus exstruxit bene limitatum, sibi „*Viola Lunaria*" dictum, ut distingueretur a *Lunaria* antiquiori (*Botrychio*). Tandem Linnaeus auctoritate sua genus fixit.

(**64.**) *L. rediviva* L. = *Lunaria odorata* Gesner 1561, Clusius, Lamarck = *Lunaria raphanitis* sive *Bolbonac radice rediviva* Lobel 1581 (icon prima).

Caules 2—3 ped. ex collo quotannis redivivi. Folia longe petiolata, inferiora opposita, superiora alterna, cordata, sinuato-dentata, sparse villosa. Flores odorati violascentes vel albidi, in corymbis terminalibus vel axillaribus. Siliculae 2 poll. elliptico-lanceolatae. Semina reniformia, longitudine sua duplo latiora.

Ad fluv. Luga inter pagos Curovitza et Nowaja in

sylvis copiose (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 103; Sobol. Petrop. 1799, p. 155, n. 427); post Krasch. a nemine iterum in Ingria reperta; adest in Esthonia vicina pr. Türsel et circa Dorpat.

XXXIV. CAMELINA.

Sunt, qui ex χαμαί et λίνον formatam perhibeant; forte idem ac *Pseudolinum* Lonic. 1551. *Cameline!* initio dicta a Lobelio 1576 et Dodonaeo, serius *Camelina* C. et J. Bauh. Generis auctor est Crantz 1762.

65. *C. sativa* Crantz, exactius Fries 1842 = *Myagrum sativum* C. Bauh. 1623! (β Linné) et eo teste = *Myagrum Dioscoridis* Ruell. 1536 et pl. patr.

Siliculae obovatae, turgidae, tenue marginatae. Pedicelli patuli. Semina vitellina, $^3/_4$—1 lin. Flores lutei. Folia caulina media et superiora a basi sagittatâ attenuata, integerrima vel denticulata nervosa. Caulis apice ramosus.

Inter segetes annuas, Cerealia vel *Linum*, etiam in agris desertis et in ruderibus, ubique copiose. Floret a medio Junii ad medium Augusti; fruct mat. a medio vel fine Julii cum vel absque floribus. ⊙.

Hist. spec. Unicum specimen d. 11 Julii prope pagum Kalinkina ad fluvioli eundem interfluentis ripam jam defloratum inveni (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 238 ex descriptione; planta a Krasch. non determinata, cum dubio citavit syn. *Thlaspeos campestris* L.; deest in Codice ejus mss. et apud Gorter); circa Petropolin (Rudolph et Boeber ex Georgi 1790, p. 71, n. 396 sub *Myagro sativo*); inter segetes ad viam Sarscoseliensem et in regione Wiburgensi (Sobol. Petr. 1799, p. 152, n. 419; edit. Ross. II 1802, p. 45, n. 432; utraque sub *Myagro*); inter segetes et liniceta, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 297); in ruderatis et inter segetes v. g. pr. praedium Lanskoy (Turcz. 1825, n. 397); inter segetes ubique, aestate (Weinm. Petr. 1837 p. 66 n. 438).

Obs. Planta Petrop. variat: 1. Subglabra: si pili brevissimi irregulariter stellato-ramosi in caule et foliis rariores evadunt; vel hirsuta: si pilis stellatis copiosioribus pili longi admixti sunt; „aliquibus in locis olei causa seritur et latioribus foliis est; multis locis sponte provenit et hoc strigosius“ (C. Bauh.). 2. Siliculis majoribus, $4^1/_2$ lin. longis, 3 lin. latis in pedunculis arcuatis, an *C. macrocarpa* Rchb.? Ab hac varietate differt *C. foetida* (C. Bauh.) Fries: foliis caulinis mediis et superioribus deorsum angustatis et basi iterum latioribus, margine plerumque profundius dentatis, vel inferioribus sinuato-pinnatifidis, caule vage ramoso, floribus pallidioribus etc. 3. Siliculis angustioribus, pyriformibus, basi attenuatis, 4 lin. longis, $1^3/_4$ lin. superne latis. Ab hac forma dignoscitur *C. silvestris* (C. Bauh.) Fries: radice ♂, seminibus fuscis $^1/_3$ lin., siliculis minus turgidis, compresso-ancipitibus, foliis enervibus etc. 4. Siliculis (sub lente) aut lepidoto-punctatis, aut laevissimis reticulatis. In horto utraque forma ex iisdem seminibus *C. microcarpae* = *silvestris*, quoad solum varium enata est, ita ut ex indumento siliculae *C. sativa* minime in duas species dilabi possit. 5. Caule interdum basi ramoso.

XXXV. SUBULARIA.

Nomen ex forma foliorum a Rajo primum introductum, praeter nostram etiam *Isoëtem* diversissimam amplectebatur. Linnaeus 1737 monitu Dillenii, ad plantam nostram, ut prius perfecte cognitam, omni ratione transferebat, 1751 *Isoëtem* pro *Subularia lacustri* Raj. constituens, generisque hodierni auctor jure appellandus, etsi plenam generis notionem nondum habuerit.

66. *S. aquatica* L. = *Alyssum palustre folio Junci* Buxb. 1729 = *Subularia erecta Junci folio* etc. Raj. 1724 = *Graminifolia aquatica*, *Thlaspeos capitulis* etc. Pluck. 1691! (ex spec. Sherardi, qui in Hibernia detexit).

Pusilla, acaulis, glabra. Radices albae copiosae, caes-

pitosae, sat longae. Folia radicalia lineari-subulata, $1\frac{1}{2}$ poll. vel breviora. Scapus nudus pauciflorus. Pedicelli ebracteati 1—2 lin. Petala alba, fere integra, $\frac{1}{2}$ lin. Stylus subnullus. Silicula $1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin. Semina $\frac{1}{4}$ lin.

In locis periodice innundatis, praecipue arenosis Newae fluvii a Schlüsselburg usque ad ostium fere ubique copiosissime, sed alibi in Ingria nondum observata. Floret ab initio Julii vel prius ad medium Augusti saltem, sub aqua clandestine; fruct. mat. a fine Julii ad autumnum usque. ⊙.

Hist. spec. In ripis humidis et uliginosis Newae! fl. passim et copiose (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 101 cum descriptione, monet se tantum stamina 4 vidisse); et circa Ligowam in fossis et aquosis aliisque in locis similibus frequens, Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 153, n. 421; edit. Ross. II 1802 p. 46, n. 434); in locis innundatis insulae Crucis cum *Limosella*, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 293); ad viam Lachtensem, in ins. Crucis ad ripas rivuli (Turcz. 1825 n. 398); ad ripas arenosas Newae!, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837 p. 65 n. 432).

XXXVI. THLASPI (melius *Thlaspidium*)

a θλάω comprimo, propter fructus compressos; at planta Dioscoridis et Plinii est *Bursa pastoris.* Notio amborum generum hodie perversa jam primis debetur patribus; C. Bauhinus generice hoc sensu distinxit inter *Thlaspi* et *Bursam pastoris;* etiam Tournef. et Boerhaave; Linnaeus utramque iterum junxit. At non solum genere, sed imo ordine differre, hodie satis constat. *Thlaspeos* hodierni generis auctores sunt Dillenius 1719, Ventenat, Desvaux, Decandolle.

67. *Th. arvense* L. = *Th. arvense* siliquis latis C. Bauh. = *Th. majus* Tabern. 1590 = *Th. nigrum Galeni* Caesalp. 1583 (= *Th. verum* Gesner 1561 quod non est, neque = *Th. Dioscoridis* Lobel, Gerard, Raj.) = *Thlaspidium vulgare* Trag. 1552 = *Thlaspi latifolium* Fuchs 1542 = *Thlaspi* Ruell. 1536.

Semina nigra, striis arcuatis parallelis exarata, in quolibet loculo 6—7. Siliculae suborbiculatae, 6—7 lin., sinu angusto apice emarginatae, pedicello patulo fere longiores. Folia caulina oblonga dentata, basi sagittatâ sessilia.

In cultis, hortis, arvis, inter segetes, etiam in ruderatis, ubique copiosissime. Floret, an bis anno?, a medio (17) vel fine Aprilis ad frigora autumnalia, Octobr. m., sine damno — 3° R. ferens; fruct. mat. a Junio m. ⊙.

Hist. spec. Passim inter segetes (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 103); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in arvis et in hortis, cultis passim (Sobol. Petr. 1799, p. 154, n. 424; ed. Ross. II 1802, p. 49, n. 437); in locis cultis, praesertim solo argillaceo, flor. a Majo ad Aug. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811 p. 27 tab. IX); in omnibus locis cultis, per totam aestatem (Weinm. Pawl. 1824 p. 295 — in serum autumnum: id. Petr. 1837 p. 65 n. 436 triplici forma a) *angustifolium*, b) *latifolium*, c) *dentatum*); frequens (Turcz. 1825 n. 403).

⚹ *Th. perfoliatum* Weinm. 1745, Linné = *Th. arvense perfoliatum majus* C. Bauh. 1623, 1596 = *Th. oleraceum* Tabern. 1590! (optime).

Semina rufa, laevia, 4 in quolibet loculo. Siliculae obcordatae, 2—3 lin. pedicellos divaricatos haud adaequantes. Folia radicalia ovata petiolata, caulina basi cordato-sagittata, amplexicaulia, integra.

Hujus, ut in Diatr. Petr. 1845 nunciatum, indicia circa urbem adsunt; specimen tantum mutilatum, pusillum, caule simplicissimo, circiter 3 pollicare, in herb. Petrop. D. Graff, inter specimina *Th. arvensis* vidi. Cum Holmiae et Upsaliae recentiori tempore inter segetes copiose adparuerit, idem apud nos expectari potest; in Osilia certe spontaneum. Vernale est.

XXXVII. CAPSELLA (melius *Thlaspi*).

Thlaspi antiquorum esse, jam Dalechampius 1583 monuit, eodemque anno Caesalpinus *Capsellam* appel-

avit, quod nomen, antecessore Medico 1792, in generis dignitatem evexit Ventenat 1794. At diu character differentialis a *Thlaspide* tantum ex forma siliculae perstitit; a Decandollio adhuc 1824 (in Prodr.), neglecta analysi apud Schkuhr, inter Pleurorhizeas relicta est, quem errorem correxit Sendel (in Annal. scienc. nat. 1824), *Capsellam* referens ad Notorhizeas pone *Lepidium*. *Marsypocarpus* Neckero 1790—1 dicitur.

68. *C. Bursa pastoris* Medic. 1792, Mönch 1794 = *Thlaspi Bursa past.* L. = *B. p. seu Capsella* Caesalp. 1583 = *Bursa pastoris* (Dorsten et pl. patr.) *major* Brunf. 1536! = ϑλάσπι Diosc. = *Thlaspi* Plin.

Siliculae superiores triangulari-obcordatae, pedicellis patulis vel flaccidis vix duplo longiores, 2—4 lineales. Folia caulina superiora integra, oblonga, basi sagittatâ sessilia, radicalia: in typo α) runcinato-pinnatifida, laciniis ovato-triangularibus. — Variat: β) *sinuata* Koch: foliis tantum sinuato-dentatis. γ) *integrifolia* Dec. (folio non sinuato: C. Bauh.): foliis omnibus integris. δ) *coronopifolia* Dec. (eleganti folio instar *Coronopi* repentis: Camer. 1588): pinnis fol. radicalium angustis, longe productis, basi latâ dentato-incisis. ε) *apetala* Jacq., Opiz ex Dec. petalis in stamina mutatis; potius monstrositas. Inter varietates enumeratas vero limites haud reperiuntur stricti. Praeterea adest Petrop. forma: humilior, foliis minoribus, regulariter pinnatifidis, siliculis inferioribus plurimis hebetioribus subrotundis vel obovatis vix emarginatis, an var. *minor* Dec. = Tabern. ic. 199 (non bene convenit).

Secus vias, in cultis, ruderatis, circa domos, vulgatissima et copiosissima planta est. Floret a medio Aprilis vel saltem initio Maji usque ad Octobr., frigoris imo levioris (—5°R.) patiens. ⊙.

Hist. spec. Ubique inter Petropolim et Twer, flor. et sem. fert m. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733 n. 36 ex syn. C. Bauh. Pinax); cum omnibus varietatibus circa domos et sepes vulgatissima planta est (Krasch. ed.

Gort. 1761 p. 103 sub *Thlaspi* — varr. sunt: α) fol. omnibus (?) pinnatifidis; β) = integrifolia nostra; γ) = typica supra); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); in hortis oleraceis et circa domos et sepes vulgatissima planta est (Sobol. Petrop. 1799, p. 154, n. 425; edit. Ross. II 1802, p. 50, n. 438 sub *Thlaspi*); ubique in cultis et ruderatis cum varietatibus, a primo vere in serum autumnum (Weinm. Pawl. 1824, p. 295 et Petr. 1837, p. 65, n. 437); frequens (Turcz. 1825 n. 404).

XXXVIII. LEPIDIUM.

Sic dictum, quod λεπίδας seu squamas et maculas faciei deleat, vel a λεπίζω, quod cutem excoriet et hac ratione notas fronti servorum ferro inustas aboleat, de quo forsan Columella l. 10 (C. Bauh.). Λεπίδιον Dioscor. = *Lepidium* Plin. est *Lepid. latifolium* L., ex Sibthorp Neograecis quoque λεπίδι dictum, ita ut hodiernum genus etiam antiquorum ex parte sit. Diu varie usurpatum et circumscriptum, intra limites recentiores constituit R. Brown 1812.

69. *L. ruderale* L. = *Nasturtium sylvestre Osyridis folio* C. Bauh. = *Lepidium* Camer. 1586 = *Bursa pastoris minor* Brunf. 1536!

Flores plerumque diandri et apetali. Siliculae 1 lin. subrotundo-ovales, apice anguste alatae emarginatae, pedicellis $1^1/_2$ lin. patentibus breviores. Folia radicalia et interdum caulina inferiora 1—2 pinnata, superiora linearia integerrima.

In ruderibus, ad vias, circa domos et in plateis fere ubique copiosissime. Floret secundo aetatis anno a medio Maji; initio Septembr. vel prius defloratum; fruct. matur. fine Junii m. ♂.

Hist. spec. Circa palatia, quae olim ad Munnichium spectabant, cum *Bursa pastoris* copiosissime crescit, praeterea observavi nusquam (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 102); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); ad vias plateasque et ruderata ubique crescit copiosissime,

Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 153, n. 423); in ruderatis, siccis, in vicis, in arenosis et in Jemskaja, prope ductum aquarum Ligofkam, ad domos et sepes (Sobol. edit. Ross. II 1802, p. 47, n. 436); in ruderatis sat frequens, Majo, Junio (Weinm. Pawl. 1824, p. 294); frequens (Turcz. 1825, n. 402); in ruderatis et ad vias, Jun. — Aug. (Weinm. Petr. 1837. p. 64, n. 431).

⁂ *L. sativum* L. = *Nasturtium hortense* Fuchs 1542, C. Bauh. et pl. patr. = *Nasturtium* (*hortense* s. *sativum* Plin.) Brunf., Matth., Lobel aliorumq. = κάρδαμον Diosc. et Neograecorum.

Cotyledones plerumque tripartitae. Siliculae ovales $2^1/_2$ lin., alatae, rachi adpressae, pedicellis longiores. Folia inferiora irregulariter incisa, lobata, 1—2 pinnata, superiora linearia integerrima.

Frequenter colitur et circa urbem et pagos in ruderatis, circa domos aufuga non raro reperitur. ⊙.

XXXIX. NESLIA.

Genus in memoriam De Nesle, auctoris botanici coaevi dixit et constituit Desvaux 1813.

70. *N. paniculata* Desvx. = *Myagrum paniculatum* L. = *Myagro* simile siliqua rotunda C. Bauh. 1620!; — Μύαγρος Diosc. = *Myagros* Plin. forsan eadem est, nisi ex parte *Camelina.*

Similis *Camelinae sativae*, cui ex situ radiculae in semine quoque convenit, sed distinctissima siliculis indehiscentibus, globosis, 1 lin., foveolato-exsculptis et rugosis monospermis. In planta tota nil paniculati adest, sed rami caulis in racemos longissimos solvuntur.

Secus vias, in ruderatis, circa domos, in agris desertis, permultis circa urbem locis, sed fere semper parcissime. Floret Junio m.; initio Julii usque ad finem Augusti m. cum fruct. mat. et simul floribus onusta, rarius initio Aug. penitus deflorata. ⊙.

Hist. spec. Ad palatia in ripa Newae fl. exstructa passim et ad ductus aquarum Ladogensium frequens est

(Krasch. ed. Gort. 1761, p. 101, sub Myagro); in agris et arvis circa Ligovam! et in insulis apothecaria! et lapidea, ad sepes frequens est, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 152, n. 420; ed. Ross. II 1802, p. 46, n. 433 sub *Myagro*); inter segetes, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 291); vidi in herbario Kastalskiano; aestate fl. (Weinm. Petr. 1837, p. 64, n. 427).

XL. LAELIA.

Adanson 1763 genus instituit, receperunt: Persoon, Desvaux et Reichenbach.

71. *L. orientalis* Pers. 1807, Desvx 1813 = *Bunias orientalis* L. = *Crambe orientalis*, dentis leonis folio, *Erucaginis* facie Tournef. 1703 (sec. Linné et Dec. ex autopsia herb. Tournef.).

Radix crassa, interdum biceps. Caulis 2—3 pedalis, erectus, pilis nigris basi tuberculatis adspersus, superne ramosus. Folia radicalia ad $1^1/_2$ ped. longa, fasciculata, late lanceolata, sinuata vel pinnatifida; caulina integra vel basi lyrato-pinnata scabrida, vel etiam glabriuscula. Petala obovata integra, 2 lin., calyce duplo majora. Siliculae verrucoso-tuberculatae, 3 lin. vel minores, in pedicellis 2—4 plo longioribus suberectis.

In agris, cultis vel desertis, secus vias, in ruderatis, ad sepes, pluribus locis in ditione Petropolitana, sed plerumque parcius. Floret a fine Maji vel initio Junii ad medium Sept.; fruct. mat. ex initio Julii m. ♂ ♃, sed vix longaeva.

Hist. spec. Ingria, Petropoli, in insula Petrowsky (Boeber ex Georgi Pars III, Vol. V, 1800, p. 1146, n. 3 sub *Buniade*, ut seqq.); Petropoli (Longmire 1823 p. 194); ad agrorum margines satis frequens, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 291); in montosis Pulcovae! et Duderhofii! prope Ligovo! ad ripas Newae (Turcz. 1825, n. 401); abundat in agris et ruderatis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 64, n. 429). — Jam in Diatr. Petrop. 1845, p. 26, 27 opinionem meam attuli, plantam

ad canalem Ladogae m. Junio cum floribus a Krascheninnikowio repertam et in ejus Codice Mss. 1754 cum synonymis *B. Erucaginis* L. allegatam, a Gortero vero omissam, huc pertinere; sane diu in ditione nostra rarior fuisse videtur.

XLII. CAKILE.

Nomen arabicum ex Kákule s. Kakúlle, quod *Amomum granum paradisi* designat (E. Meyer). Sane absque studio et labore in dignitatem generis evecta est.

72. *C. Serapionis* (Anguill. 1561!) Lobel 1576! Camer., Chabr., Gärtner 1791, L'Herit. Diss. *Cakil.* 1788, Brot. 1804 = *C. maritima* (Tournef.) Scop. (omnes species generis in maritimis habitant) = *Bunias Cakile* L. = *Eruca maritima* Dalech. 1587, Ger., Raj. = *Chakile* Serapio arabs, ex interpret. Mutoni 1552.

Herba glabra, carnosa, ramosa. Folia pinnata, laciniis linearibus subintegerrimis. Petala 3—4 lin. roseo-violacea. Siliculae in pedicellis crassis 2 linealibus, divaricatis biarticulatae; articulo superiori ensiformi, quadrangulari, obtuso, 4—6 lin., deciduo, inferiori persistente 2—3 lin., cuneato.

In litore marino, arenoso pr. Oranienbaum: Rastedt (Turcz. 1825, n. 406, s. *C. maritima* ut seq.); in locis arenosis maritimis: D. Rastedt legit aestate (Weinm. Petrop. 1837, p. 64, n. 428); in litore insulae Kronstadt 10 specimina inveni (R. Diatr. Petr. 1845, p. 71) ibidemque adhuc 1852 perstitit. Augusto m. et initio Sept. cum floribus et fruct. maturis. ⊙.

XLIII*. RAPHANISTRUM.

Nomen et genus a *Raphano* distinctum introduxit Morison 1680! Tournefort 1694! et Rajus 1703.

73. *R. segetum* Tournef., Baumg., Rchb. = *Raphanus Raphanistrum* L. (α Hort. Cliff.) = *Lampsana flore melino* Tabern. 1590.

Flos luteus vel pallidus (Tournef.). Lomenta $1^1/_2$—2 pollicaria, in pedunculis patulis $^1/_2$ poll. erecta; articuli immaturi valde distantes nucleiformes, maturi magis approximati, truncati, nervoso-costati, 2 lin. Fructibus deficientibus a simili *Sinapi arvensi* statim dignoscitur petalis 7—8 lin. calycem erectum clausum subduplo excedentibus.

β. *R. arvense* (fl. albo: Tournef.) Rchb. = *Rapistrum* fl. albo *erucae* foliis Lobel 1581. Flos albus lineis nigris pictus (C. Bauh.). Recentiorum auctorum plures hoc pro typo agnoscunt, sed imo Linnaeo in Horto Cliff. erat β et γ; in Fl. Suec. edit. II monuit de *R. Raphanistro* suo „corollae flavae saepius apud nos ocurrunt, quam albae", quod utique in Fl. Petrop. valet.

In agris, inter segetes, in cultis et ruderatis ubique, β rarior (cf. Diatr. Petr. 1845 p. 71). Floret ab initio vel medio Junii vel serius usque ad initium Septembr.; fruct. mat. a medio Julii vel m. Augusto. ⊙.

Hist. spec. Circa Petropolim (Sobol. ex Georgi 1790, p. 72, n. 419 sub *Raph. Raphanistro*, ut seqq.); inter segetes Pargelovii (Sobol. Append. ad Fl. Ingr. Mss. 1779, n. 27), ibidem et in agris passim, Majo ad Julium (Sobol. Petr. 1799, p. 160, n. 443 varr. fl. albis et luteis) et prope Crasnoselium, Jun. Jul. (Sobol. Petr. edit. Ross. II 1802, p. 68, n. 455); inter segetes, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 307); ubique (Turcz. 1825, n. 423); in agris inter segetes, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 64, n. 430).

XLIII**. RAPHANUS.

Ῥαφανίς Diosc. (quasi radix perspicua), posterioribus ῥάφανος. Theophrastus ῥαφανίδα appellavit (conf. *Brassicam*). Genus a *Raphanistro* segregatum instituit Morison 1680 et Tournefort.

⚹ *R. sativus* Fuchs et patr. usq. ad Linné, in multis varietatibus frequenter cultus, hinc inde in fimeta et rudera transportatus, vel in agris superstes, invenitur.

Fam. VII. RESEDACEAE.

Char. essent. Cal. 4—7 partitus, persistens. Cor. irregularis; petala sepalis alterna, 4—7, rarissime 2 vel 0. Discus hypogynus inter petala et stamina carnosus, raro deficiens. Stam. plerumque indefinita, disco inserta. Ovarium sessile vel (ut in *Capparideis*) stipitatum, 1 loculare, apice apertum; rarius ovaria plura. Carpidia 3—6, placentis totidem parietalibus. Embryo arcuatus vel complicatus, exalbuminosus. — Herbae ⊙, ♂, rarius ♃ et ♄. Folia sparsa simplicia, vel integra vel trifida vel pinnatifida. Stipulae minutae. Flores racemosi vel spicati, 1 bracteati.

Affin. et vires. Resedacearum in Systemate naturali locus diu varie explicatus est; nunc plurimi cum patribus concedunt affinitatem arctam cum *Capparideis*, familiâ *Cruciferis* proximâ; etiam cum *Papaveraceis* in quibusdam conveniunt, sed defectu albuminis jam sufficienter distinctae. *Reseda*, Plinio sic dicta a virtute resedante, contra dolores morbo fracto residuos olim celebrata, herba amara et radice acri, in *R. lutea Raphanum* redolente et olim qua Radix *Resedae officinarum* servata, parum insignis.

⁂ *Reseda lutea* J. Bauh., L. = *R. vulgaris* C. Bauh. 1623, ad ostium Newae per naves adportata ex a. 1848 sedem fixit, sed jam antehac in alio rudero urbis a D. Kühlewein reperta est.

Fam. VIII. CISTINEAE.

Char. essent. Cal. sepala 5, inaequalia, aestivatione sinistrorsum torta. Cor. petala 5 aequalia, fugacissima, aestivatione dextrorsum torta. Stam. ∞, antheris introrsis. Capsula (in *Helianthemo*) 1 locularis, 3 valvis: valvis medio placentiferis, septis nullis vel incompletis; vel (in *Cisto*) 5—10 locularis et valvis totidem medio septiferis, placentis centralibus. Ovula orthotropa. Semina e funiculis longis mox decidua; embryo antitropus, intra albumen curvatus aut spiralis. — Herbae, saepius frutices. Folia simplicia, saepissime integerrima et opposita, stipulata vel exstipulata. Flores regulares solitarii terminales vel racemosi, plerumque speciosi, numquam coerulei.

Affinitas proxima *Droseraceis* et *Violarieis*, at structura praesertim seminis et embryonis longe aliena. *Cistineae* praeter alias notas, aestivatione calycis ad *Hypericineas* et petalis caducis ad *Lineas* aliquantulum accedunt.

Usus. Helianthemum Cordi ob virtutem modice adstringentem inter vulneraria in officinis olim servatum.

XLIV. HELIANTHEMUM

i. e. flos solis, ex *Helianthe* Plinii nimis aequivoca ortum et improprie forsan sic dictum, in plurimis enim flores sole fervente marcescunt et decidunt. Nomen *Helianthemum* primum apud Cordum 1561 pro vulgari specie nostra obvenit, sensim a pluribus patribus ad alias species hujus generis extensum, genericam significationem adeptum et Tournefortio jam optime a *Cisto* genere distinctum, serius a Linnaeo immerito iterum junctum.

Chamaecistus Clus. et C. Bauh. fere idem est genus cum *Helianthemo*, sed paulo recentius et pluribus extraneis plantis inquinatum.

(74.) *H. Cordi* Lobel 1576! = *H. vulgare* J. Bauh.! Gärtn. = *Cistus Helianthemum* L. = *Chamaecistus vulgaris* fl. luteo C. Bauh. 1623 et officinarum = *Hel. germanicum* Tabern. 1590! II: 1664! (stipulae jam memorantur) = *Helyanthemon Plinii* quibusdam (quod sane dubium) Clus. 1576! = *Hel. Tragi* Lobel 1576! = *Helianthemum* Cord. 1561! Lobel, Thal. = *Hyssopus campestris* Trag. 1552!

Suffrutex semipedalis vel humilior, adscendens. Folia stipulata, ovalia vel oblonga, margine subrevoluta. Racemi bracteati. Pedicelli fructiferi contorto-reflexi. Petala flava. — Si filamenta basi irritantur, inprimis tempore matutino sive aëre humido, mox ad petala se reclinant tanta vi, ut antherae pistillo supersedeant (Koelreuter 1766; Persoon 1797).

Koirowa (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764 p. 199 sub *Cisto Hel.* L.); in collibus circa Gatschinam et circa Koirowa ad margines sylvae, fl. Jun. Jul. (Sobol. Fl. Petr. 1799, p. 125, n. 350; edit. Ross. I 1801, p. 371, n. 362 sub *Cisto Hel.* L.); Ingria (Georgi 1800 P. III, Vol. V, p. 1048, n. 10 sub *Cisto Hel.* L.). — Recentiori tempore nullibi amplius in ditione Fl. Petrop. visum, at procul dubio saltem ad limites occid. Ingriae aderit, est enim planta vulgaris Esthoniae totius in pascuis et ericetis siccis, substrato calcareo (W. et W.) usque ad Türsel pr. Narwa in litore marino (Seidlitz in litt.), circa Dorpat copiosa (Maximowitsch), nec non in Fennia australi! et media: Tawastiae paroecia Janakala, ubi α. *tomentosum* Koch! (conf. Diatr. Petr. 1845, p. 67). ♄.

Fam. IX. DROSERACEAE.

Charact. Cal. 5 sepalus, aestivatione imbricatus, sepalis basi interdum connatis. Cor. regularis, 5 petala, persistens et marcescens. Stam. 5, vel (in *Drosophyllo* et *Dionaea*) 10, rarius ∞; antherae terminales extrorsae, rimis longitudinalibus vel (in *Bybli* et *Roridula*) poris dehiscentes. Ovarium 1 loculare, 3—5 valve, placentis totidem parietalibus; rarius 2—3 loculare. Styli placentarum numero, saepe partiti et in stigmata plura desinentes, rarius (in *Aldrovanda*) simplices. Embryo orthotropus, nunc in axi, nunc in basi albuminis brevissimus, semiimmersus, radicula infera vel supera. — Herbae acaules vel caulescentes, interdum suffruticosae. Folia juniora circinnatim involuta; saepissime ad basim scapi congesta, simplicia, (in *Aldrovanda* cava), pilis glanduliferis eleganter ciliata, ciliis aut (in *Dionaea*) lamina ad nervum medium tactu irritabilibus. Stipulae nullae. Flores terminales vel axillares, solitarii v. in racemis interdum furcatis circinnatim evolutis.

Affinitas proxima *Violarieis*, habitu tamen, stipularum absentia, evolutione circinnata, antheris extrorsis, embryone minuto *Droseraceae* satis distinctae sunt. *Cistineis* facie magis interdum accedunt, sed ovulis semper anatropis, embryone recto, antheris extrorsis et numero definitis differunt. Alias quoque cum *Oxalideis* comparandae ex stigmate saepe penicilliformi aliisque notis.

Vires non satis exploratae. *Rorellarum* herba acidulo-acris et amara, imo teste Rajo caustica: in cute vesicas et exulcerationes producens. Succus acris ex ciliis

stillans, tenax et viscidus, in fila deducendus, quae soli exposita siccantur et firma persistunt. Syrupus *Rorellae* a Russis contra catarrhos inveteratos laudatur (**Deschisaux** 1725, **Gorter** 1761).

XLV. RORELLA

s. ***Ros solis***, quod haec planta mirabilis etiam sole fervidissimo guttulis, quasi rore adspersa maneat et ideo semper humescat. Ex antiquissimo tempore semper nota sub nomine ***Rorella*** **Cordus** 1561! **Dodon.** 1583, **Thal.**, **Tabern.**, **Moris.**, **Besler**, **Rupp**, **Dillen.**, **Haller**, **Allione** etc. vel etiam ***Ros solis*** **Dodon.** 1553! **C. Bauh.**, **Tournef.** — vel ***Rorida*** **Lobel** 1576 vel *Salsirora* **Cord.** 1561, δροσιον Recentiorum ex **Lobel** 1576 et **C. Bauh.** **Linnaeus** haec omnia ignorans vel vituperans ex arbitrio novum nomen *Dróseram* 1737 finxit graece ex *Rorida* **Lobelii**, licet pluries repetitum fuerit, diversam esse a *Drosera* Cordi 1561 sive *Alchemilla vulgari*, cujus folia rorem diu servant.

Char. gen. Stam. 5. Styli 3—5, bifidi vel pennicillato-multipartiti. Caps. 1 locul. ∞ sperma, apice 3—5 valvis. — Fl. albi.

75. *R. longifolia* **Gilib.** 1781, 1792! **Allione** 1785! = *Drosera longifolia* **Hayne**! = *Ros solis* major *longiore folio* et arrectiore (5tus **Raji** 1688 sec.) **Morison** 1688 sect. 15, tab. 4!! = *Ros solis sylvestris longifofolius* **Parkins.** 1640 icon opt!; ideoque superflue = *D. anglica* **Huds.** 1798, **M. K.**

Folia lineari cuneata, 1—1½ pollicaria. — Planta ceteris speciebus robustior vel in foliis vel in scapo et fructificationis apparatu. Perennis videtur, Septembri mense folia numerosa post anthesin formans, sed vix omnia eodem anno evolvens. **Willisellus** apud **Rajum** 1688 solus distinxit inter: *Rorellam 4 longifoliam perennem:* foliis duplo numerosioribus, inferne subnudis et *R.* 5 *longifoliam maximam*, quae *longi-*

folia Parkinsoniana videtur, dum *longifolia* typica Williselli et Raji forsan, saltem certe *D. longifolia* Huds. 1798 *obovata* fuerit. Sub *D. anglica* Hudson intelligit *Rorellam* 4tam Raji, 5tam vero ut var. β sub *anglica* habet, quam a *longifolia* sua distinctam perhibet floribus octogynis, capsula 4 valvi (non 6 gyn. 3 valv.). Hudson iconem Parkinsoni haud bene inspexisse videtur. Ex locis specialissimis facile extricandae.

β. *obovata* = *Drosera obovata* M. K. 1826 = *D. rotundifolio* × *anglica* Schiede 1825 (sed planta hybrida non est) = *Rorella minor* II Tabern. 1590! 1664! = *Salsirora* s. *ros solis* 2: Camerar. ad Thal. 1588! Minor et tenuior quam typus; folia obovata vel obovato-cuneata, ideoque breviora et ad *R. rotundifoliam* accedentia. Partitiones stigmatis emarginatae, ut semper in *R. intermedia*; sed variant integerrimae clavatae, ut in *longifolia* typica et *rotundifolia*. Etiam Koch serius specie non agnovit et in Fl. Petrop. non raro specimina ad *R. longifoliam* transitoria reperiuntur. Forsan ex aetate ⊙ vel ♃ pendent.

In paludibus muscosis cum *D. rotundifolia* (Sobol. Petr. 1799, p. 77, n. 218; edit. Ross. I 1801, p. 241, n. 229 sub *D. longifolia* L.); in paludibus profundis prope Oranienbaum, Julio (Weinm. Pawl. 1824, p. 150 s. n. *D. longifolia* L. et Petr. 1837, p. 34, n. 224 sub *D. anglica* Huds.); in paludibus muscosis, sinistra manu viae Lachtensis (Turcz. 1825 n. 211 sub *D. anglica* Huds.); in paludosis circa urbem pr. Tschesme parce cum *R. rotundifolia;* spec. var. β! et transitoria ad α! (Borszczow!); Pargola copiose, sola typica optima! (Kühlewein!); in sphagnetis recentioribus inter Lissino et Kauschta copiose specc. inter β et α media (ipse). Forma typica adhuc fine Augusti m. florens, dum reliquae jam initio ejusdem mensis defloratae; fructus maturi α medio Septembr. Duratio ignota, ut in *rotundifolia*.

Obs. R. intermedia (Hayne 1801), quae a Linnaeo *R. longifoliae* subsumta dicitur et a Smithio cum illa commutata, folia habet similiora β *obovatae*, sed dif-

fert statura 2 poll. vel adhuc minori, et ab omnibus specc. statim dignoscitur: scapo basi arcuato vel decumbente, sursum adscendente, folia parum tantum excedente. In *R. longifolia* et *rotundifolia* scapus a basi stricte erectus folia duplo vel multum superat. Semina *R. intermediae* granulato-muricata exarillata invenit: Hayne et Reichenbach, in ceteris speciebus arillata sunt. Ex Livonia vidit Ledebour, ex Fennia occid. Fries indicat, quare etiam hic investiganda.

76. *R. rotundifolia* Gilib. 1781, 1792! Allione 1785! *Drosera rotundifolia* L. = *Rorella vulgaris* et *officinarum* Rupp 1718! = *Ros solis folio subrotundo* C. Bauh. 1623 et plur. = *Rorella minor* I Tabern. 1590! = *Rorella Cordi* Lobel 1576!! (sed planta Cordi videtur *R. intermedia*, ut certius Dodonaei 1583!). Primus novit Trag. 1552! qui iconem p. 528 sine nomine et descriptione exhibuit et Dodon. 1553 (*Ros solis*) c. ic.!

Folia orbiculata. — Th. Willisellus apud Rajum 1688 solus distinguit formam ⊙ foliis terrae adpressis et ♃ majorem foliis erectis, inferne subnudis.

In paludibus profundis inter *Sphagnum* pluribus locis sat copiose. Floret a medio Junii ad finem Julii; sed quoad localitates diversas tempus florendi limitibus adhuc angustioribus circumscriptum, nam in quibusdam capsulae jam dehiscunt fine Junii m. „Flos mense Julio evigilat hora 9, clauditur h. 12 ante meridiem; floribus dies mensis determinantur" (Linné). Duratio aliis ♃, aliis ⊙ et ♂.

Hist. spec. Forsan primum a Deschisaux 1725 circa Catharinhof observata (p. 8 obiter vocat: *Ros solis*); in locis paludosis prope monasterium Al. Newsky! copiose, fl. m. Julio (Amman Mss. 1735, n. 45 ex syn. C. et J. Bauh.); b. Ammanus circa Newense monasterium!, Krascheninnikow circa fontes Pristannoi-Rutschei in fl. Lugam fluentis (Gort. Fl. Ingr. 1761, p. 48 sub *Drosera*, ut omnes seqq.); in insula Kronstadt 1793 legi

(Georgi Mss. 1795); in paludibus sylvosis, apricis, circa coemeterium Sti Johannis, Pargelovii! ad ripas lacuum et passim in locis similibus (Sobol. Petr. 1799, p. 77, n. 217), etiam Murinae et ubivis (Sobol. edit. Ross. I 1801, p. 240, n. 228); in pratis turfosis, muscosis et in sylvis paludosis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 150); in paludibus muscosis ad portam Sti Samsonii, Pargolae!, sinistra manu viae Lachtensis (Turcz. 1825, n. 210); in sphagnosis et ad latera fossarum, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 34, n. 223).

Fam. X. VIOLARIEAE.

Charact. Cal. 5 sepalus, aestivatione imbricatus. Cor. irregularis, 5 petala; in *Alsodineis* regularis. Stam. 5, omnia fertilia; antherae introrsae, sub apice filamentorum brevissimorum adnatae, ovario adpressae, liberae, in *Hybantho* connatae. Ovar. 1 loculare, placentis 3 parietalibus. Ovula anatropa. Stylus simplex, persistens, apice incrassatus et perforatus. Capsula 3 valvis, valvis medio placentiferis. Semina plerumque ∞, hilo basali nudo vel carunculato. Embryo rectus, in axi albuminis carnosi, ejusque fere longitudinis; radicula hilum spectans. — Herbae vel frutices. Folia stipulata, integra, saepissime vernatione marginibus involuta. Flores axillares solitarii aut varii, pedicellis 2-bracteolatis.

Affinitas proxima adest cum *Droseraceis* et *Cistineis;* differunt vero *Violarieae* flore irregulari, antheris appendiculatis, stylo etc.; remotiorem cum *Passifloreis* indicat oeconomia fructus.

Vires. Principium efficax acre *Violina* est, paucis modo granis lethale, *Emetinae* affine et in rhizomatibus plurimarum perennium elaboratur. Radix *Violae Martiae* officinarum, nunc obsoleta, ex *V. odorata* suppeditata, *Ipecacuanhae* quodam modo comparanda, sapore subamaro et acri, emetica est et purgat. Flores odorati, licet *Violinâ* cum ammonio nuptâ non plene expertes, parando *Syrupo Violarum* hodie adhuc inserviunt. Nostra *V. collina* sine dubio ejusdem virtutis. Radices *V. mirabilis*, *ericetorum* et *sylvaticae* cum illa *V. odoratae* convenire, testes sunt. Herba *V. tricoloris* s. *Jaceae* officinarum, gustui mucosa est cum aliqua amaritie et acredine, recens trita odore debili amygdalarum persicarum, vasa resorbentia et secernentia mitius stimulat, dosi vero majore emesin et alvum prolicit, unde ad praesentiam *Violinae* concludere fas est, chemica licet arte in hac nondum detectae; in crusta lactea infantum princeps adhuc remedium offert, idoneis nupta etiam in impetiginibus scrofulosis et herpeticis commendatur.

XLVI. VIOLA.

Graecis ἴον, sic dicta a virgine Jo in vaccam conversa, hinc latinis *Viola*, quasi vitula. Nomen antiquissimo tempore et imo apud patres collectivum pro variis plantis florum elegantia sese commendantibus. Sine epitheto fixum apud Graecos saepe λευκοῖον designat, ut apud Plinium *Viola alba* = *Matthiolam incanam*, *V. lutea* = *Cheiranthum Cheiri;* datur etiam apud patres *V. matronalis* = *Hesperis*, *V. lunaria* = *Lunaria* etc. At ἴον s. *Viola* κατ' ἐξοχήν semper *Viola odorata* erat, sic Dioscorides. Generis auctorem Linnaeus Tournefortium dicit, sed antea jam v. g. apud Morisonium

1680 non alia adest *Viola*, ut collectivum nomen genericum, quam hodierna et in C. Bauhino 1623 genus sat bene circumscriptum sub *Viola martia*, vel in titulo generaliori: *Viola* appellatum 15 species numerat.

Char. gen. Sepala omnia basi appendiculata. Petala parum inaequalia, 2 lateralia omnium plerumque minima, inferius deorsum in calcar cavum productum. Stamina duo inferiora basim prolongatam in calcar immittentia.

§. 1. VIOLA (s. str.) = NOMIMIUM Gingins in Dec. 1824.

Stigma glabrum rostratum; rostrum ± recurvum, apice foraminulosum. Florum fertilium corolla sub calyce occultata minima, subregularis.

§. 1. A. Acaules i. e. rhizomate hypogaeo; rhizanthae. Folia post anthesin multo ampliora.

* Stigma in patellam obliquam explanatum vel apice oblique truncatum. Pedunculi fructiferi erecti. Radix articulata. *Heliona* Fries 1845.

77. *V. palustris* (etc. Morison 1680!, Raj. Bromel.) L. non Dodon. 1553 et Dalech. quae *Hottonia!*
Stigma eximie laterale et angustum in stylo truncato. Stipulae liberae. Folia omnia reniformia, glaberrima. Pedunculus saepissime infra medium bracteolatus. — Aestate stolonifera. Flores roseo-lilacini, petalo impari venis violaceis; variant 3 vel 6 lineales; interdum petala suprema hebetata et lateralia imberbia. Ludit etiam foliis minoribus et magnis, nitentibus.

In fossis et pratis humidis turfosis, apertis vel umbrosis et sylvaticis, vulgatissima et copiosa. Floret ab initio Maji ad initium Junii m.; fruct. mat. a Julii m. ad initium Sept. ♃.

Hist. spec. In pratis insulae Basilii! copiose initio Maji flor. (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 141); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); in pratis humidis sylvosis insularum: Basileensis! apothecariae! et lapideae ali-

bique copiose (Sobol. 1799, p. 206, n. 570), etiam circa fabricam pyriam Ochtensem (Sobol. edit. Ross. II 1802, p. 181, n. 587); in pratis sylvaticis turfosis humidis vulgatissime (Weinm. Pawl. 1824, p. 113), ubique (Turcz. 1825, n. 167); in pratis et sylvis humidis ubique, Aprili, Majo (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 65 cum descript. et var. majore vegetiore); in pratis et sylvis humidis uberrime, vere (Weinm. Petr. 1837, p. 27, n. 174).

78. *V. epipsila* Ledeb.! 1820, Reichenb. 1823! plene exposita in Diatr. Petr. 1845 p. 47.

Stigma et stipulae *V. palustris.* Folium infimum reniforme, subglabrum, sequentia reniformi-cordata, subtus puberula. Pedunculus semper supra medium bracteolatus, infra flores non raro pubescens (unde forsan nomen). Stoloniferam nondum vidi. Flores *V. palustri* paulo majores, variant 6—9 lineales, pro magnitudine plantae, eadem ratione calcar longitudine et crassitie ita increscit, ut lineâ integrâ promineat, in *V. palustri* plerumque tantum $1/2$ linea. Petala magis caduca sunt et 2 superiora intermediis non tam arcte accumbunt ut in *V. palustri*, hiatus saepe $1/2$ linealis restat; colore quidem variant a normali lilacino in pallidiorem et fere albidum, sed color roseus vix adeo praevalet, ac in *V. palustri.* Folia in vivo rugosiora ob venas infra magis prominulas; interdum unifolia occurrit, tunc vero infimum folium *V. palustri* simillimum abortivum videtur. In solo pinguiori, circa truncos arborum emortuos major fit, semipedalis, macrophylla et grandiflora, folia saepe flores superemineut et vernicosa sunt, haec forma sistit *V. scanicam* Fries 1842! et Herb. norm.! Haec manifeste in minorem s. *epipsilam* Ledeb. transit; an vero tota species sui juris sit, nondum mihi sat evictum videtur, in locis enim, ubi cum *V. palustri* promiscue crescit, specimina intercurrunt, quae sane transitoria mihi visa sunt.

In graminosis humidis et umbrosis fere ubique (R. Diatr. Petr. 1845, p. 47), praecipue in regione demissa copiose, sed neque in elevata deest v. g. Duderhof, Lis-

sino. *V. pallida* in Longmire Catal. pl. Petrop. 1823, p. 193, huc pertinere videtur, in herbario enim Petrop. Kastalskiano sub hoc nomine *V. epipsilam* vidi. Floret ab initio Maji usque ad init. Junii, rarius jam fine Maji deflorata; fr. matur. a Junio m. ♃.

79. *V. uliginosa* Besser Prim. Fl. Gal. I 1809, p. 169; an etiam Schrader 1810, quae = *V. palustris* folio *Trachelii* glabro Rupp edit. Haller 1745. Besseri et Schraderi eandem esse, testatur cel. Reichenbach 1823!

Stigma subapicale, amplum in stylo quidpiam gibberoso. Stipulae ultra medium petiolo adnatae. Folia primordialia reniformia, sequentia cordata obtusa, glaberrima, serotina magis attenuata utrinque ad nervos et supra versus margines pubescentia. Pedunculi supra medium bracteolati. Radix minus manifeste articulata, potius sobolifera, quam stolonifera. — In Diatr. Petr. 1845 p. 48 jam monui, nostram *V. uliginosam* a typica germanica (Schraderi), ut icone apud Reichenb. et descriptione apud Mert. et Koch explicatur, diversam esse: floribus non pallide, sed saturate violaceis, colore fere *V. odoratae* apud Rchb. Iconogr. XIII, petala lateralia et infimum tantum intus versus basin pallidiora et venis violaceis picta; specimina tamen vidi e gubern. Tschernigow (Nowgorod Sewersk), a Mertensii filio lecta, quibus adscripsit „flore albo", hinc forsan diversis regionibus color variabilis, quod minime in nostra. Restituendum igitur pro Petropolitana planta commendavi: *V. ingricam* M. Bieb. 1809 in sched.! ined. Etiam sub nom. *V. fennicae* Liboschitz in herbariis deprehendi, et eodem nomine sub auctoritate Stephani in Catalogo Turczaninowii 1825 impresso enumeratur; an revera in Stephani Icon. pl. Mosq. 1795 occurrat, dubito (opus hoc valde rarum et imo botanicis Mosquensibus ignotum), in herbario ejus enim dicitur nostra planta: *V. hirta* var. glabra. Interim fide cl. Reichenbach, nostram sub n. *V. uliginosae* Besser restitui, quippe quod l. c. a Bessero ipso flori-

bus violaceo-purpurascentibus! describatur. Magnitudo florum in dictis specc. Mertensianis variat a 7 ad 12 lineas; Petropoli vix pollicem dimidium excedunt et colorem dictum servant, donec aetate marcescunt, maculis albescentibus in conspectum venientibus. Pedunculi in vivo angulosi sunt et uno latere evidenter plani vel interdum canaliculati; petioli tantum in herbariis compresso-alati evadunt, et in hoc statu fere semper pagina inferior foliorum punctis densissimis nigricantibus referta, oculo armato conspiciendis, sane characteristicis. Variat pedunculis folia vix superantibus et statura. — A *V. mirabili* juniori acauli, interdum petiolis glabris variante, differt nostra: rhizomate tenui, sepalis latioribus et brevioribus, obtusiusculis, floribus inodoris, stigmate.

Petropoli 1809 (M. Bieberstein in herb. Acad. s. n. *V. ingrica* sibi ined.); ad latera fossarum prope Catharinenhoff (Weinm. Pawl. 1824, p. 113 s. n. *V. uliginosa* Schrad.); ubique, sc. etiam in ins. Petri (Turcz. 1825, n. 168 sub *V. fennica* Steph.); in sylvaticis et pratis paludosis prope Catharinenhoff et in insula Gelagin, Aprili, Majo (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 65 cum descr. sub *V. ulig.* Schrad.); in sylvis umbrosis humidis atque in pratis turfosis, vere (Weinm. Petrop. 1837, p. 27, n. 175, s. *V. ulig.* Schrad.); in graminosis humidis praesertim ad fossas, in regione demissa Fl. Petrop. fere ubique copiose. Floret ab initio Maji ad initium Junii; fruct. maturi initio Julii. ♃.

** Stigma ut in V. caulescentibus §. 1 B. Pedunculi fructiferi in terram prostrati = Vernales: Fries 1845.

80. *V. umbrosa* Fries 1828 = *V. hirta* β *umbrosa* Wahlenb. 1826 = *V. palustris* var? *umbrosa* Laestad. 1824.

Capsula glabra, lanceolata acuminata (ex Fries). Stolones nulli. Sepala acuminata, appendicibus parce ciliata. Folia exacte cordata, sinu basali profunde exciso, margine dentato-serrata, infra glaberrima, supra versus margines

minute et sparse puberula. Petioli cum pedunculis subglabri. Bracteae infra medium petioli lineares, integerrimae, 3 lin. longae, oppositae. Calcar amplum scrotiforme, fere longitudine sepalorum. Petala imberbia. Radix tenuis, fibrosa.

Rarissima et tenuissima nec non gracillima *Violarum* Ingricarum, cujus tantum unicum specimen cum floribus in herb. Petrop. b. Kastalsky vidi; in loco apparenter alio a Weinmannio nostro detecta sc. circa Pawlowsk, viâ ferreâ structâ evanuit et postea a nemine amplius reperta est. Indicata: in terra turfosa subhumida sylvarum umbrosarum, Aprili, Majo (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 66 cum descript. sub n. *V. borealis* sibi); in sylvis umbrosis, turfosis humidiusculis perrara, vere (Weinm. Petr. 1837, p. 27, n. 176 eodem nomine). ♃ (W., dubitante Ledeb.).

Descr. specc. Petrop. apud Weinm. Acaulis; radice fibrosa; foliis cordatis, acutiusculis, crenatis, pilosiusculis; scapo foliis longiore; sepalis lanceolatis, acutis, basi fimbriatis; stipulis lanceolatis, fimbriato-ciliatis, denticulatis; stigmate sursum incrassato, truncato, marginato. Tota planta gracilis, laete viridis, parce pilosiuscula, 3—4 uncialis. Petala obovata emarginata, pallide lilacina. Bracteae supra medium pedunculi oppositae, lanceolatae, integerrimae. — Addit Ledebour (Fl. Ross. I 1842, p. 248) ex specc. Weinm. Petrop.: Petioli ciliati vel glabri; calcar rectum incrassatum rotundatum sepala excedens; petala imberbia; stipulae exteriores ovatae, liberae, interiores lanceolatae ad medium usque petiolo adnatae, integerrimae aut glanduloso-dentatae: glandulis stipitatis; radix obscure articulata. — Specimen nostrum supra descriptum $2^1/_2$ pollicare, scapos gerit florentes foliis breviores, folia vix pollicaria, longe petiolata; stigma, quantum ex sicco cognoscitur, magis cum observatione Friesii congruit, quare species e sectione *Heliona* exclusa et huc translata est. *V. hirta umbricola* Rchb., ex septemtrione lacus Ladogae jam nota, radice pariter tenui, facile differt hirsutie et fructibus; certe

non est typica *V. hirta* Linnaei, qui radicem crassiusculam erectam eminentem, cicatricibus nodosam exposcit.

81. *V. collina* Besser 1816!, 1819.

Capsula globosa, dense hirta. Stolones nulli, rarius breves ex rhizomate diviso orti florentes. Rhizoma crassum cicatricosum. Indumentum foliorum, calycis, petiolorum et pedunculorum hirtum vel hirsutum. Flores odorati! pallide coerulei. Stipulae longiores quam *V. hirtae* simillimae, longius et crebrius fimbriatae, cum fimbriis subglanduliferis ciliatae. Reliqui characteres e petalis non emarginatis et subimberbibus fallaces sunt. Specimen originale Besseri ad M. Bieberstein missum omnino convenit cum planta Petropolitana, sed cicatrices vix spatium 2 linearum, in radice ceterum crassa occupant, ut in Iconogr. Reichenb. Ceterum in eodem loco radicem multo tenuiorem *var. umbricolae* in rhizoma valde cicatricosum abeuntem vidi, ut hoc ex aetate verosimiliter pendeat. Nostra interdum graminosa subaprica petit.

V. hirta Auct. Fl. Germ. praeter stipulas, tantum floribus inodoris!, plerumque dilute violaceis a *V. collina* differt. Planta Petropolitana hucusque pro *V. hirta* L. apud auctores omnes enumeratur et ipse in Diatr. 1845 p. 49 pro *V. hirta rhizode* Fries Mant. III et Herb. norm. = *V. hirta* genuina Linnaei sec. Fries declaravi; stipulis omnino iisdem in planta Suecica visis, cum germanica licet non bene convenientibus, dubia omnia reprimere debui. Interim vero plantam in vivo prima vice florentem fine Aprilis circa Duderhof offendens, statim persuasum habui, non esse *V. hirtam* L. saltem omnium Auct. Fl. Germ., plantam mihi saepe in Germania obviam et bene cognitam, cujus flores semper inodori, dum nostrae semper suaveolentes! Nescio, an liceat, dubia de planta Linnaeana circa Upsaliam crescente, ideoque etiam Fl. Suec. movere; excusent observationes Arrhenii et Friesii in Novit. Mant. II p. 51 „non igitur liquet quo differet *V. collina* a *hirta*“. *V. hirta* L. Spec. pl. I (1753) etiam pro *hirta* Fl. Germ. interpretari debet, ex-

orta enim est ex *V. martia hirsuta inodora* Moris. 1680, qui plantam novam putavit, in quo erravit, nam ipsissima ocurrit qua: *V. martia canina* Besler 1613! = *V. sylvestrior* Gesner 1561! = *V. canina* Trag. 1552! (etiam *sylvestris* dicta), Tabern. 1590! 1664!! et verosimiliter etiam Lonicer 1551 (item *silvestris inodora*) = nec non fig. 2 inferiores sine nomine sub *Viola* apud Brunfels 1530. Hoc loco monendum, nomen *V. caninae* primum a Morisonio 1680 et L. aliter intellectum fuisse, antea *V. canina* patribus semper *V. hirta inodora* fuit.

Hist. spec. In montosis Duderhovii! (Krasch. edit. Gorter 1761 p. 140 sub n. *V. hirta* L., ut omnes seqq.; ex descriptione videndum, in statu fructifero inventam fuisse; — in Codice mss. Krasch. n. 374 synonymon Linnaei i. e. *V. hirta* cum dubio allegatur, Gmelini contra sive *V. Patrinii* Dec. sec. Ledeb. indubie; Gorter de utroque non dubitavit; omissa etiam sunt verba Krasch.: sub initium Augusti jam fructum maturum ferentem legi); in montosis et umbrosis Duderhovii! fl. Majo (Sobol. Petr. 1799, p. 206, n. 569); Ingria (Georgi 1800, p. 800, n. 4); prope Manachtina (Sobol. Petr. edit. Ross. II 1802, p. 180, n. 586); copiose in m. Duderhof et Pulcova (Weinm. Pawl. 1824, p. 113, sed deest in ejus Petr. 1837); in m. Duderhof (Turcz. 1825, n. 169); in graminosis m. Duderhof non raram inveni (R. Diatr. Petr. 1845, n. 49 sub *V. hirta* L. Mant. sec. Fries Mant. III, 118 et Herb. norm.! forma *rhizodes!*) et in circulo Gatschinensi circa Pilowo annis 1840 et 1841 (Simaschko! ex R. Symb. 1846, p. 230); etiam in umbrosis montosis pr. Jermolino! et in viridario Gatschinae copiose (Borszczow!). Floret a fine Aprilis saltem ad medium Maji; fruct. mat. ab initio Junii ad finem Augusti. ♃.

⁂ *V. odorata* Trag. 1552! (in textu), Renealm 1611! Linné = saepe etiam qua *Martia* Trag., Lobel, Tabern., Thal., Renealm, Besler, C. Bauh.! quod jam Martio m. floreat = *V. officinarum* Rupp 1718

= *V. muraria* Latinis teste Dioscorides, etiam Fuchsio aliisque = *V. purpurea* (Theophr.) Plinio, Fuchs 1542! et plur. patr., jam Lonicero 1551 duplex: *silvestris* et *sativa*, quoad proventum spontaneum vel hortensem = *V. nigra* (Theophr.) Plin., Virgil., Brunfels 1530 fig. superior opt.! Dodon! Cordus 1561 et plur.

Capsula ut in *V. hirta* v. *collina*. Stolones elongati. Flores odorati, saturate violacei. Folia stolonum aestivalium reniformi-cordata.

In ditione saltem Fl. Petrop. a nemine recentiorum reperta, at cum ex Livonia Ledebour viderit et in Esthonia ubique adesse dicatur (W. et W. 1852), proventus possibilis in limite occidentali Ingriae denegari non potest. Indicata fuit: in montosis Duderhovii cum *V. hirta* (Krasch. edit. Gorter 1761 p. 141 — forsan var. *V. collinae* stolone brevi habuit aut typum florentem, quem fructiferum pro *V. hirta* determinavit); in montosis et umbrosis Duderhofii et in ejus viciniis, fl. Majo (Sobol. Petr. 1799, p. 206, n. 571), scilicet pr. Krasnoe Selo (Sobol. edit. Ross. II 1802, p. 181, n. 588); Ingria (Georgi 1800, p. 801, n. 6); Petropoli (Longmire 1823, p. 192 — huc etiam referenda videtur ejus *V. officinarum*); ibid. (Fries Summa 1845 p. 35). ♃.

§. 1. B. Caulescentes i. e. caule saltem post florescentiam emergente (*V. mirabilis* transitum facit ad acaules). Stigma in rostellum deflexum attenuatum. Pedunculi fructiferi erecti. Flores vernales corollati cum foliis longepetiolatis et stipulis majoribus; flores aestivales apetali cum foliis brevepetiolatis et stipulis minutis.

* Flores odorati. Planta vernalis (rarissime aestivalis) omnino acaulis.

82. *V. mirabilis* L. = *V. montana latifolia*, flores e radice, semina in cacumine ferens Dillen. 1719! et

1732 cum icone opt.! — Omittendum est syn. Ruppii 1718: *V. alpina apetalos* etc. primum ex Hallero 1745 confirmatum.

Flores radicales odorati, dilute purpureo-lilacini, steriles, aestivales in caule demum evoluto apetali fructiferi. Folia omnia late reniformia, supra versus margines pubescentia, in disco glaberrima. Petioli unifariam pilosi, variant etiam heic glaberrimi. Variat porro floribus albis! Non raro pedunculi radicales fructiferi!, dum caulis cum fructibus evolvitur vel rarissime in planta omnino acauli!

In sylvis montosis, inter fruticeta, regionis elevatae pluribus locis copiose, rarius in isthmo Kareliae: Kalamäkki! et in demissa tantum ex Krasch. Floret a fine Aprilis ad finem Maji; fruct. maturi ab initio vel medio Junio. ♃.

Hist. spec. Circa ostium Strelnae fl. in sylva ut et in montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 142); in sylvis montosis umbrosissimis, uti: in montibus Pulcovo! et Duderovo! atque ad pagum Colodeci et circa ostium fl. Strelna (Sobol. Petrop. 1799, p. 207, n. 573; edit. Ross. II, 1802, p. 184, n. 590); frequens in sylvis umbrosis montosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 113); in horto m. Pulcovae et in montosis Duderhofii (Turcz. 1825, n. 170); in sylvis umbrosis turfosis et in nemoribus siccioribus passim, Majo, Junio (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 66 c. descr.; ejusd. Petrop. 1837, p. 27, n. 177); in tota regione Gatschinensi frequens, Tsarskoje Selo! Jermolino! Pilowo! Lissino! cum varr. omnibus supra indicatis.

** Sylvestres. Flores inodori, coerulei; folia abbreviata, basi cordata; stipulae (exc. *V. montana*) mediocres, ciliatae, membranaceae.

83. *V. rupestris* Schmidt 1791!! = *V. arenaria* Presl 1819, pl. auct. et herb. norm. Suec.!, non Decand.

Capsula matura (dum clausa est) acuta. Folia cordato-reniformia, obtusa, superiora breviter acuminata. Sepala oblongo-lanceolata acuta. Flores e coeruleo-violascentes, calcar aqueum. — Foliis parvis firmis, plerisque obtusatis rotundatis, nec non pubescentia densa foliorum et petiolorum a simili *V. flavicorni* pumila differt. Ceteris speciebus humilior.

V. rupestris genuina forsan a nemine recentiorum rite intellecta est. Errant, qui *V. arenariam* Dec. anteponant, vel modo pro synonymo habeant. *V. arenaria* Dec. 1806! fusius 1815 et optime descripta (IV, 806) ad specimen Schleicheri, a me quoque comparatum, serius non solum dicta est: *V. Allionii* Pio 1815, teste ipso Decandolle et descriptione Allionii 1789 sub n. 1645 (planta sine nomine proposita e monte Cenis), sed etiam: *V. albiflora* Hoppe et *V. rupestris* Rchb. (non Schmidt), sec. iconem fig. 4499 et herb. Fl. Germ. exsicc.!; species subalpina australior, foliis majoribus, etiam oculo armato subglabris et floribus magnis 6—8 lin. subalbidis diversa a nostra Ingrica. Casu quodam singulari vel forsan simplici schedularum in herbario commutatione, nomina ambarum specierum in operibus cel. Reichenbach inverse posita sunt. Locum classicum apud Schmidt citatum (St. Procop) ex initiis studiorum meorum saepius et *Violae* istius causa lustravi, at ibi tantum *V. Allionii* Rchb., nec *V. rupestrem* Rchb. distinguere potui. Optima etiam est expositio Schmidtii 1794 et jam 1791; omnium *Violarum* minima, fere acaulis describitur et floribus coeruleis parvis in icone pingitur, glabritiem vero oculis nativis, uti tunc temporis mos erat, intellectam puto; sub lente semper brevissime pubescit. Quod stationem attinet, monendum est, in l. c. non solum in rupium fissuris, sed etiam in pascuis siccis apricis adjacentibus *V. rupestrem* adesse, quam imo in sylvis siccis auctor indicat; nomen igitur saepe ineptum; tamen vix mutare audeo, potius ex diversitate locorum formam arenariam, campestrem etc. distinguere mallem.

Circa Ruskialam, in sept. lacus Ladogae, in rupibus

calcareis aliam affinem legi *Violam*, at jam defloratam; haec foliis fere magnitudine *V. odoratae* ab *V. rupestri* differt et hic indaganda est. Forsan *V. purpurascens* Schmidt 1794 (a floribus sic dicta, non ex foliis), sed locus non convenit.

In collibus arenosis siccis Pawlowsk inter et Zarskoe Selo parce, Aprili, Majo (Weinm. in Linnaea X 1836, p. 67 c. descr.); in coll. aren. sicc. rara, vere (Weinm. Petr. 1837, n. 179); in arenosis Pargolae et in graminosis apricis siccis inter montes Duderhof. copiose (Borszczow!); copiose quoque pr. Toxowa! — In arenosis inter fluv. et oppidum Luga adest forma foliis majoribus magis acutis, quam defloratam tantum vidi. Floret initio v. medio Majo, fr. maturi a fine Junii. ♃.

84. *V. flavicornis* Smith sensu latiori s. *V. vulgaris* = *V. canina* Recentiorum; non Decand. et Smith et plurimorum, qui *V. sylvaticam* sive *V. caninam* Herb. Linnaeani intellexerunt = *V. canina* L. Spec. pl. quoad verba: folia oblongo-cordata, excl. synn., non Mant. II etc.; recte monet Fries, collectivam esse pro hac et *V. sylvatica*, nec non *V. arenaria*, Linnaeum igitur vix citandum esse; orta est haec Linnaeana a *V. canina* Morison 1680!, manifeste haec iterum errore gravi jam a Johnsonio in Gerardi edit. emaculatâ correcto 1633; Morisonius enim credidit, hanc esse *V. caninam* patrum, sed haec unanime erat *V. hirta inodora*, conf. supra spec. 81 nostram. Hoc nomen igitur aut pro *V. hirta* substituendum, aut penitus, ut confusionum fontem perpetuum, delendum existimo, pari modo ac cum *V. sylvestri* jam factum est.

Capsula matura (dum clausa est) truncato-obtusa, apiculata. Folia cordato-oblonga, acutiuscula. Sepala ovato-lanceolata, attenuato-acuta. Flores saturatius violacei, calcare albo in luteolum vergente. Herba subglabra. — Haec species dividi potest in sequentes varietates, saepenumero distinctu faciles:

α. sabulosa Rchb. 1823 = *V. canina minor* Dillen.

in Raj. 1724, tab. 24 fig. 1 ex qua orta est: *V. ericetorum* Roth! 1827 (non Schrad. 1816) et *flavicornis* Smith 1828! (calcar luteum esse, jam Dillenius monuit). Minor, depressa, foliis parvis. Praecipue in arenosis provenit. In Ingria minus frequens, ac sequentes formae, v. g. Kalamäkki optime! Schlüsselburg!; floret initio Junii; fruct. mat. fine Julii, nisi prius.

β. *ericetorum* Rchb. 1823 = *V. ericetorum* Schrad. ex Hayne 1816! Media inter α et γ, adscendens, foliis majoribus. Praecipue in ericetis, pascuis sterilibus, locis apricis, at arenosa non fugit. In Ingria pluribus locis sat copiosa; floret medio Majo; initio Junii jam deflorata et cum fruct. matur. usque ad Septembr.

γ. *lucorum* Rchb. 1823. Caulis erectus, semipedalis v. major; folia majora, remotiora; stipulae parvae, angustae. In lucis, at in Ingria saepe in pratis apertis et ibi sine limitibus in sequentem abiens. Frequens et copiosa est. Floret a fine Maji ad medium Junii; fruct. mat. primi medio Junio.

δ. *V. montana* L. Suec., Fries, Rchb. Herb. norm. Suec.!! Elata, grandiflora, stipulis majoribus; foliis longioribus, saepe angustioribus. In graminosis humidioribus vel subumbrosis Ingriae ubique copiose. Floret initio Maji ad init. rarius ad medium Junii; fruct. maturi primi initio Junii m.

V. canina Auct. Fl. Petrop., ut ex locis allegatis aliisque concludendum, extra varias formas supra enumeratas saepe *V. sylvaticam*, α. *sabulosam* vero vix includit. Indicata fuit: In pratis insulae Basilii cum *V. palustri*, quâ paulo serius floret (Krasch. Codex mss. n. 376 — in editione Gorteriana 1761 p. 141 verba Krascheninnikowii „cum priori" ita perversa sunt, ut crederes, repertam fuisse cum *V. odorata* in m. Duderhof); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); ubique in sylvis humidis, praesertim circa fabricam pyriam Ochtensem et Murinam (Sobol. Petr. 1799, p. 206, n. 572) etiam in m. Poclonnaja et ad viam Sarscoselicnsem (Sobol. edit. Ross. II 1802, p. 183, n. 589); in fruticetis et aliis locis

herbosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 113, primus *V. montanam* sejungit); ubique (Turcz. 1825, n. 171); in sylvis, fruticetis et in locis graminosis ubique (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 66 sub n. *V. canina* a. *vulgaris*, cum descr. et citat. Gorter et Sobol.); in sylvis umbrosis ad viam publicam Pawlowsk inter et Gatschinam, Majo et Jun. (Weinm. ibid. sub *V. canina* b. *umbrosa;* haec est forma fructifera *V. montanae!* cf. Diatr. 1845 p. 50); in sylv., frutic., loc. gram. Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 27, n. 178 a. *vulgaris*, b. *umbrosa* — ut supra 1836). ♃.

V. montana L. indicata fuit: Petropoli (Longmire 1823 p. 193 sub *V. canina* var. *montana*); in herbosis siccioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 113; hanc pro *V. canina* declarat cl. Turcz. 1825 in praefamine); in fruticetis graminosis, siccioribus parce (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 67 cum descr.; est *canina* geniculata, s. forma *V. ericetorum* et *montanae* proxima; cf. Diatr. 1845 p. 50; in Fl. Ross. I, 1842, p. 252 a Ledebourio cum dubio ad *V. Ruppii* All. citatur, quae nunc pro *V. caninae* modificatione habetur); in graminosis passim, Majo, Jun. (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 68 sub *V. montana* b. *stricta;* haec in Fl. Ross. I, 1842, p. 252 ad *V. stagninam* Kit. citatur, quae circa Petrop. deest; est potius *V. montanae* forma, exactius *V. lancifolia* Besser 1809! non Thore; conf. Diatr. 1845 p. 50); ibidem (Weinm. Petr. 1837, p. 27, n. 180, ut 1836).

85. *V. sylvatica* Fries 1817! Herb. norm. Suec.! = *V. coerulea martia inodora sylvatica*, in cacumine semen ferens J. Bauh. 1651 sec. icon., sed ex loco plane *V. canina* Linnaei collectiva videtur = *V. inodora* Renealm 1611? Manifeste nomen *V. sylvestris* Recent. delendum, cf. Fries et supra n. 81, nam *V. sylvestris* patrum potissimum *V. hirta inodora* fuit, excepta *V. sylvestri inodora* Dodon. 1583, quae aut *V. sylvatica*, aut *V. arenaria*.

Capsula (dum clausa est) acuminata. Folia distincte cordato-reniformia, breviter acuminata, inferiora obtusa.

Sepala lanceolata acuminata. Flores cum calcare violacei. — A *V. rupestris* formis macrophyllis interdum similibus dignoscitur praecipue glabritie omnium partium, statura et foliis majoribus. — Variat β *V. Riviniana* Rchb. 1823 = *V. inodora major* Rivin. 1699: floribus majoribus dilutius coeruleis, calcare saepe decolore albido; — γ *frustranea* Laestad. 1814 = *V. canina* β *trachelii-folia* Wallr. 1822 sec. spec. orig.! = *V. apetala* Schmidt 1791 c. icone! Pedalis, geniculato-flexuosa, foliis amplis cordatis, tenuissimis, inferioribus longepetiolatis, floribus apetalis et sterilibus.

In nemorosis non rara (R. Diatr. Petr. 1845 p. 50); floret medio Majo usque ad initium Junii. ♃.

*** Persicifoliae. Flores inodori, lilacino-lactei vel albi; folia longiora basi ovata; stipulae majores, magis foliaceae, haud ciliatae.

Ex hac sectione nullam adhuc indubiam speciem Ingricam vidi. Indicatam quidem invenimus ex Fl. Petrop. *V. stagninam* Kit. = *lacteam* Sm.; e Dorpat specc. fida vidisse, refert Ledebour in Fl. Ross. I, 1842, p. 252. Ibidem quoque cum dubio *V. Ruppii* (diagnosi Kochiana) citatur, et revera specimina *V. montanae* haud desunt ad fig. 4505 apud Rchb. Quae eo magis respicienda sunt, cum e Petropoli iterum ut *V. stricta* Hornem. in Fries Summa 1845, p. 34 indigitetur. In Diatr. Petr. 1845 p. 50 observationem attuli, *V. montanam* quandoque heic obvenire foliis (superioribus praecipue) basi minus profunde cordatis, imo truncatis, simulque parum longioribus et acutioribus (*V. lancifolia* Besser 1809 et 1819 sec. spec. origin. in herb. M. Bieberst. anno 1815 accepta), quo statu facile pro *V. stricta* Hornem. haberi possit, sed flores in vivo ejusdem coloris, ac specierum e sectione *sylvestrium* esse, *V. montanam* saepe etiam floribus pallidioribus ludere, ut rhizomate pl. min. laxe diramificato. Talia specimina inter normalia *V. montanae* crescunt et consulto seligi debent. Ceterum

V. montana revera quasi transitum facit ad *persicifolias*, praecipue ad *V. strictam* Auct. et imo quaeritur, an revera specie differat. *V. Ruppii* Rchb. f. 4505 elatior et humilior, teste Fries, sicuti *V. lancifolia* Besser, teste Koch, est = *V. stricta* Horn. tab. 1812. A *V. montana* distinxit suam: capsula subturbinata acuta: Rchb. — a *V. canina* b. Koch suam *V. strictam* recentissimam: habitu robustiori, petiolis alatis, stipulis caulinis mediis et superioribus magnis, foliaceis, intermediis petiolum dimidium, superioribus integrum aequantibus, calcare brevi viridi, nec albido-luteolo, capsulae marginibus applanatis superficie aequalibus, nec prominulis. Sed contra haec jam nunc observandum, stipulas in *V. montana* (ab ipso Koch ad *caninam* ducta) ne levissime quidem differre et petiolum (forsan tantum in herbariis) distinctissime alatum, cum pluribus exalatis in eodem individuo simul adesse. Capsulam in vivo nondum comparavi. In *Violis* igitur observationes nondum clausae sunt.

§. 2. JACEA Brunfels, Camer., Dec., non Tournef., Vaill. = MELANIUM Dec. 1824 non R. Br. = GRAMMEIONIUM Rchb. 1828 = MNEMION Spach 1836 = GRAMIONA Fries 1845.

Stigma globoso-urceolatum pilosum, apice aperturâ magnâ inferne labello munitâ. Flores etiam fertiles regulares.

86. *V. tricolor* Dodon. 1583! Gerard, Renealm 1611 opt.! Raj., (Linnaei collectiva est) = *Jacea tricolor* J. Bauh. = *V. Trinitatis I:* Tabern. 1590! = *Flos Trinitatis* s. *Heptachrum* Gesner 1561 (haec est forma hortensis) = *V. flammea* Dodon. 1553! = *Herba Sanctae Trinitatis*, quibusdam *Jacea* Brunfels 1536! (ed. germ. 1532 c. ic.), Trag. et plur.

Flos calyce plerumque major, tricolor, ex violaceo et coeruleo, albo et flavo varius; color violaceus praesertim petalis supremis 2, luteus petalo impari convenit.

In cultis, ad margines agrorum, hortorum oleraceorum, copiose. Fl. medio Majo; a Junio ad finem Sept. m. flores cum fr. matur. ⊙, rarius ♃ sed non longaeva.

Hist. spec. In agris cultis circa Catherinenhof copiose (Krasch. ed. Gort. 1761 p. 142); in insula Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in arvis et agris, cultis, ad margines sylvarum circa Catherinhoffium, in m. Poclonnaja et passim copiose (Sobol. Petr. 1799, p. 207, n. 574) etiam circa Strelnam et Ossinovae Roszczae (Sobol. edit. Ross. II, 1802, p. 185, n. 591); Petropoli (Longmire 1823, p. 193); in pratis et ad margines agrorum (Weinm. Pawl. 1824 p. 114); ubique (Turcz. 1825, n. 172); in agris, arvis, hortis et nemoribus frequens, Aprili ad Octobr. (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 68 et Petrop. 1837, p. 27, n. 181).

β. *V. arvensis* Gesner 1561! Murray et pl. = *V. bicolor* Rivin. in Rupp = *V. bicolor arvensis* C. Bauh. 1623.

Flos calycem aequans vel vix attingens, bicolor vel unicolor. „Hactenus trium colorum non observavimus, sed candido et luteo, coeruleo et luteo, coeruleo et candido: aliquando tamen vel totus luteus vel totus albus occurrit“ (C. Bauh.). In arvis, agris, inter segetes, praecipue solo arenoso, ubique copiose; floret a medio Majo ad init. Septbr., fruct. mat. a Junio m. ⊙, rarius 2—3 ennis.

Hist spec. In arvis inter Petrop. et Twer, flor. m. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 83 ex syn. C. Bauh. „flore candido et luteo“); in arvis circa Murinam (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 142, nec Krasch.); in arvis et ad vias Pargelovii, Osinovae Roszczae, Murinae, in m. Poclonnaja et passim in pratis siccis incultis (Sobol. Petrop. 1799, p. 207, n. 575), etiam in m. Pulcova (Sobol. edit. Ross. II, 1802, p. 185, n. 592); Petropoli (Longmire 1823, p. 193 sub n. *V. tricolor* var. *bicolor* et *arvensis*); in arvis et hortis (Weinm. Pawl. 1824 p. 114); ubique (Turcz. 1825 sub n. 172); cum *V. tricolori* (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 68 et Petrop. 1837, p. 27 sub n. 181).

γ. *V. bannatica* Kitaibel apud R. S. 1819. Folia magna, lata, basi cordata; corolla var. α, in specimine Petropolitano (D. Kühlewein!) calyce major, ut in Rchb. Icon., at colore diversa.

δ. *V. Kitaibeliana* Roem. et Schult. 1819. Pusilla 2—3 pollicaris, corolla unicolor β *arvensis*. Petropoli (a D. Horaninow!) lecta, diversa videtur: caule semper unifloro et stipulis linearibus subsimplicibus petiolum vix superantibus; proxima ex iconibus apud Rchb. est fig. *a* tab. 21, sed stipulis differt. Pro *V. trimestri* Dec. e descriptione haberem, sed haec forma australis videtur floribus variegatis et est *V. saxicola* R. S. (cf. R. Diatr. 1845, p. 50).

ε. *V. syrtica* Flörke!! ex Rchb. 1832. Folia longa et angusta, corolla tota violascens, suaveolens, calyce major. In arenosis maritimis prope Strelna (D. Borszczow!); a medio et fine Julii usque ad init. Aug. vel serius cum flor. et fr. matur. Jam prius nota, sed vix descripta, ut cognosci possit. Est *V. tricolor syrtica* Flörke! = var. *maritima* Schweigger! Chl. Boruss. p. 80 et = *V. maritima* Sprengel!; singularum in Mert. et Koch 1826 memoratarum specimina authentica in herb. Mertens. examinavi. Est etiam *V. littoralis* Sprengel ex Rchb.; non vero var. *maritima* Lejeune 1828; potius *V. intermedia* Lejeune 1824 cadit sec. spec. orig. in Hb. Mert., sed corolla alia describitur 1828. Fig. 4515 (*V. declinatae* W. K.) apud Reichb. ita cum nostris specc. convenit, ut citari possit; sed specimina fida differentiam specificam ab omni *V. tricolore* docuerunt: stipularum laciniis paucis, linearibus, obtusis, apice fere latioribus.

Fam. XI. POLYGALEAE.

Charact. Cal. sepala 5, aestivatione imbricata, 2 interiora lateralia (alae) majora, saepe petaloidea. Cor. irre-

gularis; petala 3—5 inaequalia, cum tubo stamineo ± connata, sepalis alterna; petalum inferius maximum, plerumque carinaeforme, genitalia includens, reliqua squamulaeformia. Stamina inferne monadelpha, apice saepe in phalanges 2 oppositas aequales divisa, (hinc Linnaeo diadelpha); antherae 8, (in *Soulamea* et interdum *Muraltia* 7, 6, in *Krameria* et *Salomonia* 4 vel pauciores), uniloculares (primitus 4 loc.), apice poro dehiscentes (in sola *Soulamea* 2 loculares, longitudinaliter ut in *Muraltia* dehiscentes). Stylus simplex, stigma bilabiatum. Ovarium 2 loculare, dissepimento valvulis contrario; loculis 1 spermis, margine dehiscentibus (in *Securidaca* et *Soulamea* indehiscentibus, samaraeformibus; in *Monnina* et *Krameria* drupa carnosa v. sicca). Semina inversa; albumen parcum v. nullum; embryo orthotropus, axilis, albuminis longitudine; radicula brevis supera, hilo proxima. — Herbae v. frutices, succo interdum lacteo. Folia sparsa, simplicia, saepissime integerrima, exstipulata. Flores irregulares, axillares, solitarii, spicati v. racemosi, rarius paniculati, pedicellis basi saepissime articulatis, tribracteatis.

Affinitas proxima nondum stabilita. Floribus irregularibus et stigmate ad *Violarieas* accedunt, antheris et fructibus, habitu et stipularum defectu multum abludunt. Aliqua adest similitudo cum *Fumariaceis* in bracteis, inflorescentia, floribus ipsis, nec non staminibus pseudodiadelphis et seminibus carunculatis, at dispositio partium alia et fructus nec non fabrica seminis quam maxime diversa. Magis forsan, ut jam patribus videbatur, accedunt ad *Leguminosas* in flore et staminibus connatis, at fructu et semine iterum diversissimae sunt.

Qualitates. *Polygaleae* substantia amara et plerumque principio peculiari extractivo acri (*Polygalina* s. *Senegina*) insignes sunt. Nostratium virtus quam exoticarum multo inferior. Radix *P. vulgaris* subaromatico-amariuscula et quidpiam acris. *P. uliginosae* herba intense amara, praecipue in siccioribus locis natae, in uliginosis sapor magis aquosus et fatuus. Utraque, pro re nata, *P. Senegae* exoticae succedanea. *P. amara* offic. Ross. est *P. uliginosa.*

XLVII. POLYGALA

Plinii, sive πολύγαλον Diosc. lactis abundantiam facere creditur, unde nomen. Conjecturâ Tragi 1552 ad hodiernum venit genus, concedente jam Dodoneo 1553 (1583 negante eodem), Lonicero, Lobelio, Thalio et Camerario, Tabernaemontano et partim Clusio et Gerardio. Planta Dioscoridis, nescio an recte, hodie pro *Polygala venulosa* interpretatur. Matthiolus et partim Clusius, Dalechampius atque Gerard pro *Coronilla juncea* et *valentina* (*Polygala legumen* C. Bauh.) habuerunt, Cordus pro *Astragalo glycyphyllo;* Gesner pro *Ornithopodio perpusillo. Polygala*, genus hodiernum jam C. Bauhino et Morisonio bene limitatum et a *Polygala legumine* longe remotum, characteribus facillimis mox definitum.

Char. gen. Cal. persistens; sepala 2 interiora maxima, alaeformia. Petala caduca. Capsula compressa, margine dehiscens. Semina saepissime pilosa, hili arillo carunculato 3—4 lobo ecomoso.

87. *P. vulgaris* Vaill. 1727 n. 1! Schkuhr, Rchb., Fries; est quoque potissimum *P. vulgaris* C. Bauh. 1623, qui *P. comosam* nondum separavit, sed vix Linnaei, qui in Spec. pl. edit. 1 et 2 potius *P. majorem* (Clusii) C. Bauh. et Jacq. intellexit, et *P. vulgarem*

C. Bauh. pro var. β habuit. Est etiam *P. vulgaris minor* Clus. 1601 = *Polygala* Dodon. 1553 c. ic.!; forte et *Polygala Tragi* Thalius 1588 = *Polygalon* Tragius 1552 c. ic.

Bracteae laterales pedicello dimidio breviores, intermedia flore inexplicato distincte brevior, diutius persistens, longitudine pedicelli. Flores intense coerulei, $2^1/_2$—3 lin., rariores, remotiusculi, racemum laxum lucidum apice obtusum constituentes. Folia caulina lanceolata ($1^1/_2$—$2^1/_2$: 8 lin.). Alae capsulâ longiores et paulo latiores.

Petropoli rarius v. g. in collibus graminosis Manachtinae et circa Slawjänkam (Kühlewein et Hb. Graewenitz ex Rupr. Diatr. Petr. 1845 p. 75 cum observ. et in Symb. 1846 p. 233); Jukki pr. Ossinovaja Roschcza (Pugatschewsky!); Lissino, in ripis elevatis rivuli Lustowka (Hb. Greulich). Floret multo serius, quam *P. comosa*, medio Junii flores vix explicati, initio et medio Septembris flores ultimi cum fruct. maturis; (in *P. comosa* medio Junio jam capsulae semimaturae, medio et fine Julii flores ultimi in apice racemi aut in ramis lateralibus.) ♃.

Hist. spec. P. vulgaris Auct. Fl. Petrop. potissimum ad *P. comosam*, antiquiorum etiam ad *P. amaram* referenda est. Indicata fuit: in pratis siccioribus prope Duderhof m. Junio (Amman mss. 1736 n. 96 ex synn. Dodon., C. et J. Bauh. ad *P. vulgarem* et *comosam*, sed ex loco ad *P. comosam* et? *amaram* referendis); ad ductum aquarum Ladogensem et per totum tractum ad fl. Lugam frequens (Krasch. ed. Gorter 1761 p. 111); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795, ex loco potius *P. amara*); ad ductum aquarum Ladogensem, ad m. Pulcovum, Duderhovium, fl. Luga et prope Colodeci frequens est, atque in insula lapidea occurrit (Sobol. Petr. 1799, p. 166, n. 458; edit. Ross. II 1802, p. 81, n. 471); in montosis Duderhowii et Pulcowae, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 329); in m. Pulcovo et Duderhof, prope Ossinovaja Roschcza et rarius in praedio Laval (Turcz. 1825,

n. 433); in graminosis siccis colliculosis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 70, n. 465).

Observ. *Polygala coerulea*, *purpurea* et *alba* Tabern. 1590 c. ic. sunt formae *P. vulgaris* florum colore tantum diversae, quarum prima solum circa Petropolim obvenit, hic enim *P. vulgaris* minime, ut alibi, variabilis, sed ad characteres definitos quam maxime adstricta. Forma paululum recedens: alis capsulâ quidpiam angustioribus, ceterum late ovalibus, in gubernio Nowgorod pr. Tuchali praedium crescit (Herb. Eichwald!). *P. oxyptera* β *pratensis* Rchb. 1823, quae a *P. vulgari* proxima alis capsulâ angustioribus acute-ellipticis, corollâ vero brevioribus differt, Petropoli indicata fuit: in graminosis siccis montosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 70, n. 466); in Diatr. Petrop. 1845 p. 75 ad *P. comosam* translata est.

88. *P. comosa* Schkuhr 1796 c. ic. opt.! = *Ambarvalis flos* Dodon. 1587 c. icone ex Lobelio repetita (nomen ex germanico „*Kreutzblumen*", quod festis ambarvalium diebus „*Kreutztage*" floreat) = *Polygala Recentiorum* Lobel 1581 c. icone prima satis apta!

Bracteae laterales longitudine pedicelli, intermedia caducissima flore inexplicato distincte longior, 1 lin., hinc racemus virgineus apice comosus, attenuatus. Flores persicini, 2 lin., copiosissimi, densissime imbricati. Folia caulina lineari-lanceolata. Alae capsula longiores et angustiores, sed variant etiam aequilatae aut in angustioribus aequilongae. Variat porro hic: 2) Foliis vel angustioribus ($^1/_2$: 12 lin.), vel latioribus (2:24 lin.); 3) *prostrata* Koch in Röhl. Fl.: caulibus prostratis, apice adscendentibus; nam Schkuhr caules erectos poscit.

In montosis, declivibus et apricis, regionis elevatae, pluribus locis copiose v. g. in tractu montium Duderhofii, ad aquaeductum Taitzensem, Gatschina, Jermolino, Gostilitzy et Lapuchinka; deest in reg. demissa et isthmo Kareliae (conf. R. Diatr. Petr. 1845 p. 75, ubi primum pro Fl. Petr. vindicata). Floret ab initio vel medio Junii ad

medium vel finem Julii; fruct. maturi ex initio Julii vel serius. ♃.

89. *P. amara* Auct. plur. boreal. et omnino etiam Linnaei primitiva 1759!, nec non p. p. Spec. pl. ed. 2 (1763) propter synonymum: *P. vulgaris alia*, foliis circa radicem rotundioribus crebrioribusque, fl. coeruleo, sapore admodum *amaro* Thalius Hercyn. 1588, C. Bauh., Helwing 1712 c. icone opt.!! = *P. austriaca* Crantz 1769 c. ic. (est exactius var. floribus albis, Petropoli adhuc dubia) = *P. uliginosa* Rchb. 1823! Fries.

Ovarium sub anthesi subsessile (nec stipitem subaequans, ut in praecedentibus specc.). Alae 3—5 nerviae, nervis lateralibus parce venulosis, apice cum nervo mediano non anastomosantibus (ut in prioribus specc.). Flores $1^1/_2$ lin. cyanei. Folia inferiora dense rosulata, maxima, obovata (nec caulinis minora, elliptica ut in praecc.). Alae capsula breviores et angustiores. — Variat hic: 1) Floribus paulo majoribus 2 lin., passus ad *P. amaram* Jacq. 2) Alis 2 lin. capsulâ, an etiam maturâ?, longioribus. 3) Foliis radicalibus minoribus et minus evidenter rosulatis, passus ad *P. alpestrem* auct.

In pratis, vel turfosis, vel humidis, vel imo siccissimis, regionis elevatae et demissae pluribus locis sat copiose. Floret a medio vel fine Maji et m. Junio; specc. serotina (primi anni?) per totam aestatem usque ad initium Septembris; fruct. maturi primi initio Junii. ♃, sed vix longaeva.

Hist. spec. Circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 73, n. 431 sub *P. amara*, ut seqq.); in magna quantitate in pratis circa m. Pulcovum! et Duderovum! ad Crasnoje-Selo! et Colodeci atque passim in montosis (Sobol. Petrop. 1799, p. 166, n. 457; in edit. Ross. II 1802, p. 80, n. 470 excluditur locus pr. Colodeci); in pratis humidiusculis passim, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 329); in m. Pulcovo et Duderhof magna copia (Turcz. 1825 n. 432); ubique tam in graminosis muscosis, siccio-

ribus, quam in humidiusculis turfosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 70, n. 467 sub *P. uliginosa* Rchb.)

Observ. Haec species in Linnaei Spec. pl. ed. 1 (1753) forte latitabat sub *P. vulgari* γ, teste synonymo Vaillantii tab. 32 f. 2., quod jam in edit. 2 (1763) omissum et ad simillimam *P. amaram* translatum. In Syst. nat. ed. X (1759) primum apparet nomen: ***P.*** *amara;* sola adest diagnosis, sine synonymia et patria. Sequitur eadem *P. amara* in Spec. pl. ed. 2 (1763) cum synn. seqq.: 1) ***P.*** *amara* Jacq. Vindob. 1762 cum patria: in Austriae subalpinis montosis; haec ex tab. 412 in Jacq. Aust. exacte est Reichenbachiana = *Chamaemyrsine* Dalech. 1586, et tantum var. geographica ***P.*** *uliginosae* floribus magnis 3 lin. videtur. Sed patet, Jacquini opus, utpote a. 1762 editum, Linnaeo in constituenda ***P.*** *amara* primaria 1759 ignotum fuisse; plantam vero ab hoc auctore vix unquam vidit transmissam, (conf. Richter in Codice Linn. p. XXVII); hinc potius Jacquinus in determinatione ***P.*** *amarae* suae paullulum erravit, quare Crantzius 1769 Jacquinianam dixit ***P.*** *Amarellam.* 2) Synonymum C. Bauh. ex Thalio transscriptum, ex quo aperte nomen finxit; conf. supra. 3) ***P. n.*** 3 ***buxi*** *minoris folio* Vaill. 1727 tab. 32 f. 2, ad quam patria citata Gallia pertinet, omnino est ***P.*** *buxifolia* Fries 1828 = ***P.*** *calcarea* Schultz = *vulgaris* γ Linné Spec. Simillima est ***P.*** *amarae* Jacquinianae, sed potius e ***P.*** *depressa* ortam contendit cel. Fries. Linnaeus propter figuram exhibitam tantum citasse videtur; siquidem Vaillantium stricte secutus esset, loco 2 specierum male limitatarum, omnes 5 optime circumscriptas habuisset Parisiis hodie obvias.

FAM. XII. SILENEAE.

Charact. Calyx gamophyllus, 5 dentatus vel 5 fidus: dentibus aestivatione imbricatis. Petala 5, dentibus calycis

alterna, ad faucem saepe appendicibus coronata (quod in nulla alia familia affini). Stam. 10 (in nostris generibus). Styli 2, 3, 5, ad basim usque discreti. Capsula 1 locularis, vel ultra medium 3—5 locularis, dentibus 4, 6, 10 dehiscens (in *Cucubalo* solo baccata indehiscens); placenta centralis ∞ sperma. Semina albuminosa; embryo excentricus rectus v. periphericus, curvatus v. annularis v. subspiralis. — Herbae v. suffrutices. Folia opposita exstipulata, saepissime basi connata, simplicia, integra et plerumque integerrima. Flores regulares, concentrici, perfecti, interdum polygami v. dioici, v. solitarii v. in inflorescentiam cymoso-multifloram admodum variam conjuncti.

Affinitas. Sileneae subfamiliam potius sistunt summe evolutam, sensim per *Alsineas* in *calycanthas Scleranthеas* et *Paronychieas* abeuntem, vel cum his conjunctae familiam naturalem *Caryophyllearum*. Mediantibus generibus *Scleranthearum* et *Paronychiearum*, germine 1 loculari et fructu utriculari indehiscente donatis, patet iterum nexus ulterior naturalis cum *Chenopodeis* et *Amarantaceis* monochlamydeis.

Qualitates et usus. Complures propter florum elegantiam in hortis ex antiquissimis temporibus praedilectae, inprimis *Caryophylli* odoris aromatici suavissimi pleni. *Saponariae offic.* radix et folia, primum saporis dulcis, deinde amaro-austeri, substantiam peculiarem (*Saponinam*), cum aqua saponis instar spumescentem, resinam et gummi continet, quibus virtutem solventem debet et dignitatem aliquam in medicorum supellectili; medium tenet inter *Senegam* et herbas amaro-solventes

atque proxime ad *Chelidonium* accedit. *Melandryi* s. *Saponariae albae* offic. radix minus austera, idem fere praestat. Radix *Gypsophilae fastigiatae* cum linteis lanisque cocta saponis instar ea purificat (Linné Suec.); recens saporis primum dulciusculi, dein adstringentis cum amaritie quadam fervidiuscula diutiusque perdurante, diuturniori masticatione multum pituitae in ore prolicit (Thalius); imo *Gyps. muralis* saporis dicti indicia recondit. *Silene inflata* olim frequentius culta olus suppeditabat; radix nauseosa officinis *Been album* spurium loco *Rhapontici Behen*. *Githaginis* semina cum cerealibus interdum copia majori mixta et in farinam redacta, sanitati nocere, recentius iterum traditum est.

Conspectus generum indigenorum.

Tribus I. DIANTHEAE.

Embryo excentricus rectus. Semina saepissime strophiolata.

XLVIII. DIANTHUS. Cal. 5 dentatus, cylindricus, basi bracteis auctus. Petala ad faucem in unguem linearem angustata, corollam quasi hypocrateriformem constituentia. Stam. 10. Styli 2. Capsula 1 locul. apice 4 valvis. Semina peltatim affixa, dorso convexiuscula, facie concava, margine incrassata, carinata, umbilico centrali.

Tribus II. LYCHNIDEAE.

Embryo periphericus, annularis v. hemicyclus. Semina non strophiolata.

XLIX. GYPSOPHILA. Cal. 5 dentatus vel 5 fidus, angulatus, basi ebracteatus. Petala deorsum sensim atte-

nuata, corollam campaniformem constituentia. Stam. 10. Styli 2. Caps. 1 locularis, apice 4 valvis. Semina reniformi-globosa.

⁜ L. SAPONARIA. Cal. 5 dentatus, basi nudus. Petala ut in *Diantho*. Stam., styli, caps. et semina, ut in *Gypsophila.*

LI. SILENE. Styli 3. Caps. 3 locul., apice 6 valvis. Cetera, ut in *Saponaria*. — In *S. inflata* interdum styli 4, 5. Petala in nostris specc. laminâ bifidâ.

LII. ELISANTHE. Caps. perfecte 1 locularis. Cetera ut in *Silene*.

LIII. MELANDRYUM. Styli 5. Caps. 1 locul., apice dentibus 10 dehiscens. Flores dioici, rarius polygamo-hermaphroditi.

LIV. VISCARIA. Styli 5. Caps. 5 locul., apice dentibus 5 dehiscens.

LV. LYCHNIS. Styli 5. Caps. 1 locul. apice dentibus 5 dehiscens.

§. 1. COCCYGANTHE. Petala laciniata. Panicula trichotoma, effusa.

§. 2. GITHAGO. Petala indivisa. Panicula hebetata, uniflora. Cal. dentes in lacinias foliaceas, corollam (non semper!) superantes elongati, demum decidui. — A *Lychnide* (*coronaria* Dec.) differt: calyce, petalis non coronatis, capsulae dentibus non aristato tortilibus et seminibus tetraëdris, nec reniformibus.

(LVI.) CUCUBALUS. Caps. baccata, globosa, 1 locul. indehiscens. Styli 3. Calyx semiquinquefidus. — Caps. (vel basi tantum) 3 locularem, ut Schkuhr et Reichenb. pingit, nondum vidi.

XLVIII. DIANTHUS.

Διός ἄνϑος Theophr. = *Diosanthos* Anguill. 1561, euphoniae gratia a Linnaeo in *Dianthum* mutatus, patribus botanicis et imo Tournefortio *Caryophyllus*

dictus, propter odorem *Caryophyllorum aromaticorum. Dianthi* Romanis ignoti erant, nisi forte sub *Cantabrica* Plinii vel herba *Tunica* latuerunt. Linnaeus *Caryophyllum* verum separans et Anguillaram in C. Bauhino citatum respiciens, nomenclaturam feliciter statuit; *flos Jovis* Theophrasti enim vel hodie pro *Dianthi* specie (*arboreo* vel affini) interpretatur. — Species nostrates omnes ad §. II *Caryophyllum* Seringe in Dec. pertinent: floribus solitariis vel remote paniculatis (nec capitatis vel subaggregatis).

90. *D. deltoides* L. = *Betonica coronaria* s. *Caryophyllus minor* folio viridi, nigricante, repens J. Bauh. 1651 c. ic.! (picturam petalorum *lambdoideam* describit, unde nomen apud L.) = *Caryophyllus minimus pulchellus supinus* etc. Lobel 1581!

Lamina petalorum obovata dentata, 3—4 lin., basi annulo purpureo. Bracteae calycinae subbinae ellipticae aristatae, calyce dimidio breviores, 2—3 lin. Folia lineari-lanceolata, inferiora obtusa, basin versus attenuata. Caules pubescenti-scabri. Flores inodori, roseo-purpurei. Semina obscure alata, $\frac{1}{2}$ lin. — Variat Petropoli: β *albiflora*, foliis subglaucis: *D. glaucus* L.

In graminosis siccis, secus vias, in apricis vel umbrosis, sat frequens et copiose. Var. β in arenosis elevatis Strelnae rarissime (Borszczow!). Floret a medio vel fine Junii ad finem Septembris; fruct. maturi ab initio Aug. ♃.

Hist. spec. Per totam Ingriam in pratis exsuccis, Petropoli in ins. pharmaceutica (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 67); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in insulis: apothecaria, lapidea et ubique in pratis exsuccis (Sobol. Petr. 1799, p. 101, n. 285; edit. ross. I, 1801, p. 296, n. 297); locis gaudet incultis et aridis; floret Jun., Jul., Aug. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 21, tab. VII); in locis graminosis siccis satis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 204); ubique (Turcz. 1825,

n. 280); in graminosis passim, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 45, n. 302).

91. *D. arenarius* L. 1753 excl. synn. omn.

Lamina petalorum 1/2 poll. profunde incisa, areâ oblongâ. Bracteae calycinae 4, ovatae breviter apiculatae, tubo calycis 3/4—1 pollicari, 3—4 plo breviores. Folia lineari-subulata, viridia, margine scabra, abbreviata, recta, rigidissima, acerosa, subspinosa. Caules e caespite densissimo et ramosissimo plurimi, subuniflori. Flores odorati albi. Semina ut in *D. superbo*. — Planta Petrop. ut Karelica saepissime recedit a Linnaeana: caule dichotomo-ramosissimo, multifloro!

In campis arenosis prope Petropolim, Jul., Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 46, n. 304); v. g. in sylvis acerosis arenosis montis Poclonnaja et copiose in arenosis apricis inter fluvium et oppidum Luga; ceterum ingenti copia in collibus arenosis isthmi fere totius Kareliae ad limites gubern. Petropolitani. Campos arenosos noctu replet odore omnium fragrantissimo suavissimoque (Linné). Floret et fructif. medio Julio ad medium fere Augusti. ♃.

Observ. *D. plumarius* L. differt a simillimo *D. arenario:* lamina petalorum minus incisa, area obovata multo latiori et floribus plerumque roseis. In Ingria tantum errore indicata: circa ostium Narowae fluvii una cum *Pyrola umbellata* (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 67; locus in Sobol. repetitus, sed falso typogr. legitur „Newae fluv." — synonyma Codicis Krasch. a Gorter omissa, potius ad *D. superbum* pertinent, at planta in loco indagata forsan demonstrabit *D. arenarium;* conf. R. Diatr. Petr. 1845, p. 58; ceterum planta Gorteri in Ledeb. Fl. Ross. I, 285 cum? ad *D. superbum* ducitur); in litore arenoso maris inter Peterhofium et Oranienbaumium (Sobol. Petr. 1799, p. 101, n. 286; edit. ross. I, 1801, p. 297, n. 298; ex loco potius *D. arenarius*, ibi vero hodie deest); in arenosis e latere opposito villarum ad viam Pargolensem dextra manu ad m. Poclonnaja

(Turcz. 1825 n. 281 — hoc loco *D. arenarius* crescit; cf. R. Diatr. Petrop. 1845 p. 58).

92) *D. superbus* L. 1755 (prius cum *D. plumario* confusus) = *Caryophyllus sylvestris* VI Clus. 1583 c. ic. opt.! = *Superba austriaca Clusii* Lobel 1581 (icon ex Clusio anticipata).

Lamina petalorum $^3/_4$ poll. profundissime incisa, areâ oblongo-lineari. Bracteae fere ut in *D. arenario*. Folia viridia, 1—$2^1/_2$ poll. longa, medio 1—$1^1/_2$ lin. lata, utrinque eximie attenuata, saepe 3 nervia, inferiora obtusiuscula. Caulis subsolitarius, 2 — ∞ florus. Flores odoratissimi, roseo-purpurascentes. Semina 1 lin., areâ pellucidâ latâ cincta.

In declivibus graminosis prope Nicolajewsky, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 45, n. 303); ad fluv. Tossna in ditione Lissinensi, flor. m. Aug. (D. Herrath! ex R. Symb. 1846, p. 231). ♂, ♃, sed haud longaeva. *D. superbus* Weinm. Pawl. 1824, p. 204 ex loco: in arenosis pr. Pergolam, potius est *D. arenarius*.

XLIX. GYPSOPHILA.

Gypsophyton Thalii 1588, ratione soli nativi praedilecti sic appellatum, Linnaeus in *Gypsophilam* mutavit 1751 (quare?) et genus instituit characteribus sat quidem fixum, at *Tunicam* adhuc amplectens, a Scopolio 1772 segregatam.

93. *G. muralis* L. = *Caryophyllus minimus muralis* C. Bauh. 1623 = *Tunica minima* Dalech. 1587 c. ic.! omnino huc referenda.

Radix tenuis, annua. Caulis a basi subdichotomo-ramosus florifer. Flores sparsi, alares, longepedicellati, alborosei. Calyces subtubulosi, 5-dentati. Stamina inclusa. — Dreves et Hayne 1801, Weihe et Reichenbach distingunt: a) *G. muralem:* petalorum lamina apice crenulata $^1/_2$ lin., caule stricte erecto, foliis vix $^1/_2$ lin. latis; herba sordide violacea; b) *G. serotinam:* petalo-

rum lamina emarginata 1 lin., caule adscendenti-diffuso, foliis $^1/_2$ lineâ latioribus, herba viridi et seminibus duplo majoribus. Interdum eodem loco mixtae sunt, nec tempore florendi differunt; Koch petalorum diversitatem in eodem specimine vidit; Fenzl tamquam lusus diversos habet; Fries non distinguit. In Ingria utraque provenit, prior tamen rarior videtur.

In agris, ad vias, in arenosis et inter segetes, hinc inde copiose. Floret et fructificat ab initio Junii ad initium Aug. et serius. ⊙.

Hist. spec. In pratis siccis et inter segetes prope Ligovo et Goreloy-Kabak (Sobol. Petr. 1799, p. 100, n. 284; ed. ross. I, 1801, p. 295, n. 296); in ruderatis et inter segetes (Weinm. Pawl. 1824, p. 203); in monte Duderhof! (Turcz. 1825, n. 279); in locis incultis, argillaceis et in agris, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 45, n. 300).

(**94.**) *G. fastigiata* L. = *Saponaria ... corymbis fastigiatis* etc. Linné 1745 = *Polygonum majus* etc. e Brandenburg Mentzel 1682 c. ic.! = *Symphytum petraeum* s. *Gypsophyton majus* e Hercynia, Thalius 1588! teste descr. loc. natal. et Wallroth (nec *G. minus* Thal., ut Linné dixit, hoc enim *G. repens* est).

Radix perennis, apice ramos breviores steriles fasciculato-foliosos et floriferos longiores superne glutinoso-pubescentes emittens. Flores in corymbis densis brevepedicellati, 1 lin. albi. Calyces ad medium usque fissi. Stamina petalis longiora. — Planta Linnaei e petris calcareis Gothlandiae „duorum fere quadrantium ulnae", foliis linearibus depressis; Ingrica variat $^1/_2$—1 pedalis in eodem loco, caulibus floriferis interdum parce ramosis, foliis saepe lanceolatis, ad 2 lin. latis et potius *G. arenariam* W. K. sistit, ceterum minime diversam; in Scandinavia tamen ut varietatem distingui posse, docet cel. Fries.

In arenosis inter fluvium et oppidum Luga copiose, fine Julii cum florib. et fruct. maturis. In isthmo Kare-

liae, sed extra gubernium Petrop., in arenosis ad lacum Suwando (Baer ex R. Diatr. Petr. 1845, p. 22). ♃.

L. SAPONARIA,

quod eluendis vestimentorum maculis, sordibusque lanarum expurgandis, saponis vicem exhibeat. Graecis στρουθίον (passer) dicta forsitan, quia lascivos homines, Graecis passeres dictos, stimulare credebatur. *Saponaria* antiquitate insignis, at *Struthium* (controversiis subjectum et varie interpretatum) haud antecellens, jam C. Bauhino genus erat, nondum quidem purum; Linnaeo satis distinctum a *Gypsophila*, *Diantho* et reliquis 3—5 gynis, sed analysi recentiorum et segregatis typis genericis: *Vaccaria*, *Fiedleria*, *Proteinia*, *Smegmathamnium* etc. non parum immutatum.

⁂ 95. *S. officinarum* Ruellius 1536! (Linné) = *Sap. vulgaris* J. Bauh. 1651! = *Saponaria* Trag. 1552! (icon pessima ex Fuchs, usque ad J. Bauh. repetita) = *Saponaria major!* et *Struthion Fuchsii* Dalech. 1587 = *Struthium sativum* Fuchs 1542! 1549 = *Lanaria herba* s. *radicula* Romanis, teste Fuchs, Trag. (non *Lanaria* Imper. 1599, quae sec. Bertoloni: *Gypsophila Arostii* Guss., secus pro *Rubiacea* ex icone et descript. Imper. habuissem) = *Condisi:* Ital. hodie ex Bertol., an etiam *Condisi* Arabum? a patribus cit. = *Struthion* Plin. p. p. et στρουθίον Hipp., Diosc., Theophr. test. patr et Rec. (a Linnaeo solo ex Löfflingio ad *Gypsophilam Struthium* translatum, in Graecia et Italia nullibi obviam).

Calyx teres, cylindricus, $^3/_4$ poll. Flores fasciculato-corymbosi, dilute carnei; petala retusa coronata. Folia elliptico-oblonga, 3 nervia. Caulis erectus 1—2 ped. et ultra, nodoso-articulatus. Radix longissima, repens et stolonifera, teres, 2—6 lin. crassa, articulata, extus rubrofusca, intus albida. — Variat Petropoli glaberrima vel: in caule, foliis et calycibus pubescens.

In ruderatis et ad sepes pr. Oranienbaum, Julio (Weinm. Petr. 1837, p. 45, n. 301); plantis potius efferatis, quam indigenis inscribenda, utpote originis recentioris et proventus rarioris; ipse solum pr. Peterhof hinc inde ad litus maris fine Julii et m. Aug. florentem, verosimiliter ex horto rejectam inveni; sed cum ibidem sedem constanter fixerit et subinde in ruderibus et fimetosis urbis ipsius obvenerit, auctoritate cariss. Weinmann admisi. In Livoniae et Esthoniae Floram recepta, at pariter vix sponte occurrit. ♃.

LI. SILENE.

Nomen originis et significationis ignotae, primum apud Lobelium 1576 legitur, quo teste in Theophrasto et Ulysso Aldrovando occurrit et *Silenem Muscipulam* designat; a Linnaeo feliciter resuscitatum et ad generis dignitatem evectum, sed a *Cucubalo* nondum bene (vel calycis figura, vel corollae fauce coronata) distinctum. Species *Cucubali* non baccatas omnes addidit et sic *Silenem* hodiernam construxit Gärtner 1791. — Herba Σελήνη i. e. luna, dicta: Pseudo-Plutarch (de fluminibus p. 1034 ed. Wyttmb.; Huds. Geogr. min. II, p. 36) ad Inachum in Argolide (in ipso flumine?) crescens, cujus spuma circa aestatis initium collecta, pastoribus usitata ad pedes inungendos et praecavendos morsus viperarum etc. hodie ignota, Sprengelio mater *Silenes* videbatur.

96. *S. nutans* L. = *Polemonium petraeum Gesneri* J. Bauh. 1651 c. ic.! (ex Fuchsio dicit, ex Gesnero videtur) = *Lychnis sylvestris* 2 vel albo flore 1 (Clus. 1583!) sive 9 Clus. hist. 1601 c. ic.!! = *Ixocaulon album* Thal. 1588 et *Flos cuculi sylvestris* Trag. 1552 (sec. C. Bauh.) = *Cervicalis* Val. Cordi et *Perdicium alterum* Plin. (sec. J. Bauh.).

Petala alba, subtus interdum striis plumbeis v. virentibus, fauce coronata. Calyces glanduloso-puberuli (in β saepe glaberrimi), nervis violaceis. Panicula secunda, sub

anthesi infracto-nutans, fructifera erecta ramis patentibus. Carpophorum capsulâ 3—4 plo brevius. Folia inferiora lanceolato-elliptica petiolata. Rhizoma valde ramosum. Herba dense pubescens, superne glanduloso-viscida, sed variat:

β. *glabra* (Schkuhr 1791) = *S. infracta* W. Kit. 1812.

In ripis arenosis Newae fl. 40 circiter leucas ab urbe et prope Oranienbaum! (Turcz. 1825, n. 284); in graminosis turfosis sylvaticis Peterhof inter! et Oranienbaum, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 48, n. 321); in litore marino prope Dolgoi Noss atque in arenosis inter fluvium et oppidum Luga copiose. Var. β in pratis umbrosis maritimis inter Peterhof et Oranienbaum cum typo. Vulgaris est in litore utroque isthmi Kareliae et in Fennia australi maritima. Floret a medio Junii ad finem Julii, fruct. mat. a fine Junii. Flores sole fervente involuti, vespere explanati. ♃.

Obs. *Silene viscosa* (L.) Pers. in Ingria indicata a Georgi 1800, p. 972, n. 3, ad Newam usque, in Falk Beitr. II, 1786, p. 179, valde dubia est; verosimiliter cum *S. nutante* commutabatur.

(97.) *S. chlorantha* Ehrh. 1792! = *Cucubalus chloranthus* Willd. 1789 c. ic.! ex planta Berol. = *Lychnis sylvestris sesamoides major, flore obsolete viridi* Mentzel 1682 tab. 2, fig. 1, e Fürstenwalde Brandenburgiae cum *S. Otite*, huc certe spectat, petala vero non rite delineata. Species a Linnaeo neglecta.

Petala luteo-viridia, angustissime linearia, fauce coronata. Calyces cum bracteis albidi s. glauci, obscure nervosi. Panicula racemosa secunda, ramis fructiferis erectis. Flores sub anthesi nutantes. Carpophorum, ut in *S. nutante.* Folia fere omnia basalia, dense fasciculata, petiolata, elliptico-oblonga. Herba glabra, simplex, nec rhizomate ramoso instructa. Radix crassa, simplex vel deorsum ramosa.

In arenosis inter fluvium et oppidum Luga copiose; fine Julii cum fruct. matur. et floribus ultimis. ♃ sec. auctores, an ♂?.

Obs. *S. viridiflora* L. in Ingria a Georgi 1800, p. 975, n. 8, errore tantum indicata, in Ledeb. Fl. Ross. I, p. 319, n. 41, patriâ omissâ, pro *S. chlorantha* explicatur.

98. *S. tatarica* Pers. 1807 = *Cucubalus tataricus* Linné 1753 = *Lychnis septemtrionalium*, foliis *hyssopi*, flor. uno versu positis albis: Haller 1743 c. ic. ex spec. in horto Götting. 1742 florente, e semin. a Gerbero missis enato = *Lychnis fruticosa hyssopifolia* Gerber ex Gort. 1761 = *Lychnis ruthenica* frutescens et perennis, *hyssopi folio*, fl. exalbido: Gerber Samara 177 et Volgens. 159, sec. Linné 1748 (in Gerber Fl. Volg. mss. 1739 apud Acad. servato sub alio nomine adest).

Caulis strictus, dense foliosus, geniculis approximatis, axillis foliorum fasciculiferis. Folia lineari-lanceolata. Petala fauce nuda, sordide alba. Racemus erectus subverticillatus secundus. Flores sub anthesi in pedunculo erecto cernui. Carpophorum ut in prioribus specc. Caulis et pedunculi pilis albis longis. Rhizoma ramosum.

Hist. spec. In ripa septemtrionali et elatiori Newae fluvii supra pagum Ostrowki (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 68 sub *Cucub. tatar.* L. cum descriptione, in Spec. pl. ed. II, 1762 citata, ex hoc loco pendet patria Russia apud Linné; ex Codice mss. Krasch. apparet, ibi tantum specimen unicum adfuisse, die 8 Aug. in flore et fruct. lectum); in ripa meridionali Newae fl. circa pagum Ribaczia (Sobol. Petr. 1799, p. 102, n. 289; ed. Ross. I, 1801, p. 229, n. 301 sub *Cucub. tatar.* L., additur locus Krasch.); in ins. Petri ad ripas Newae et prope Oranienbaum (Weinm. Pawl. 1824, p. 205); ad ripas Newae fl. prope p. Rybaczia (Turcz. 1825, n. 283); in regione Petropolitana legit D. Prescott, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 48, n. 322); in ruderibus circa urbem, fine Junii cum flor. primis, parcissime (Borszczow!). ♃.

99. *S. inflata* Sm. = *Cucubalus Behen* L. = *Behen album* Lobel 1570! (non *Been* v. *Ben* Arabum; in Salamanca tamen *Behen* nomine, *Silenes* appellari, refert Clusius hispan. 1576) = *Beën album* (offic. s. *Polemonium*) Dodon. 1553 c. ic. bona! = *Behem* s. *Been* Dorsten. 1540! = *Smilax hortensis* (Diosc.) Brunf. 1536 c. ic. bona! = μήκων ἡράκλεια, μήκων ἀφρώδης Theophr. et Diosc. quare *Papaver spumeum* Lobel 1581!

Calyx inflatus ovatus (nec tubuloso-clavatus, ut in prioribus), nervoso multistriatus, glaucus et venis violaceis reticulatus. Petala alba, fauce nuda et angustata, ungue superne dilatato-emarginato angustiora (nec sensim attenuata, ut in *Silen.* typicis). Capsula subglobosa calyce inclusa, carpophoro 2—3 plo longior. Flores cernui in paniculâ corymbosâ dichotomâ. Folia elliptica vel lanceolata. Caules basi ramosi subadscendentes. — Herba glauca, glabra, polygamo-dioica; in ☿ stamina exserta, calyx magis oblongus; in ♀ pariter fertili: calyx magis inflatus subglobosus (sed interdum ☿ ita variat!), styli longe exserti saepe 4! papillis stigmaticis longioribus, stamina corollâ dimidio breviora abortiva. Variat foliis latioribus et angustioribus, nec non:

β. *litoralis:* folia et praecipue caulis tenuior colore violaceo intense suffusus, axillae foliorum solito angustiorum plures fasciculiferae. Haec var. differt a *S. maritima* Anglorum: petalis fauce nudis, angustioribus, caule plurifloro, stylis 3 (non 5) et habitu robustiori.

In graminosis, ad vias, in ruderibus et agris, inter segetes ubique copiose. Floret ab initio Junii vel serius, usque ad initium v. medium Septembr. Var. β in arenosis maritimis insulae Kronstadt m. Aug. cum flor. et fr. mat. ♃.

Hist.* *spec. Ingria (Buxbaum in Act. Acad. Petrop. III, 1732, p. 272 ex syn. Boerh. Lgdb.); in Ingria hinc inde ad agrorum limites, Jun. Jul. (Amman mss. 1736, n. 87, ex synn. Dodon., C. et J. Bauh.); circa Duderhof et Krasno-Selo m. Jun. (Amman mss. alter. s. n. *Lychnis*

s. *Been album* vulgo); Petrop. in insula Petri; ceterum per totam Ingriam, praesertim circa segetes, frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 68 sub *Cuc. Behen* L.); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); inter segetes et in pratis sylvosis Pargelovii, tum Petropoli in ins. apothecaria! lapidea et Petri (Sobol. Petr. 1799, p. 102, n. 288; ed. ross. I, 1801, p. 298, n. 300 sub *Cucubalo Behen* L.); in graminosis vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 205 s. *Cuc. Behen*); ubique (Turcz. 1825, n. 282); in pratis, agris, versuris graminosis, Jun. — Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 48, n. 323 cum var. β *angustifolia*).

Adnot. Falsissima et in perpetuum delenda est: *Silene acaulis* Krasch. ed. Gort. 1761, p. 70, sub *Cucubalo acauli* dicens: unicum exemplar possideo in Ingria lectum, locum tamen ubi inveni, non memini. Hallucinationem in mendam augens: in summitate montis Duderhofii et circa Krasnoe Selo, in pratis siccis et locis montosis; flor. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 103, n. 291; edit. ross. I, 1801, p. 300, n. 303). Syn. Gorteri in Ledeb. Fl. Ross. I, p. 303 ideoque supprimendum.

LII. ELISANTHE.

Subgenus typo *Sileni Elisabethae* a cel. Fenzl in Endlicher gen. pl. 1840 et supplementis insequentibus fundatum, ad generis proprii dignitatem evehendum esse, minime dubito. Adest enim e capsula perfecte uniloculari character sufficiens, pro more ceterorum generum *Lychnidearum* recentiorum, quo pacto character *Silenes* e capsula 3 loculari acutius definiri potest (capsula 4 locularis *S. gallicae* et specc. affinium in Reichenbachii iconibus evidenter normalis non est; semper 3 loc. inveni). *Silene noctiflora* L., altera sectioni *Elisanthe* adscripta species, cell. Fenzl et Endlicher erat *Saponaria*, cel. Fries *Melandryum*, ab utrisque differt stylis 3 et capsula apice 6 valvi; potius dubitari possit, an *Elisanthe* sit, recedit enim habitu, panicula dichotoma, seminibus granulato-cristatis et vertice ovarii vix aut apice ipso tantum incrassato; melius hinc sub sectione propria:

Ocimolychnis cum pluribus aliis capensibus (*ornata* Ait., *undulata* Ait., *capensis* Otth., *diurniflora* Kunze) segreganda erit, cum neque Veterum *Ocimoides:* species varias e tribu *Lychnidearum* referens, neque *Ocimastrum:* titulus magis adhuc vagus pro plantis e diversis imo familiis, resuscitari possit, nisi reformatum Besleri auctoritate, antiquioribus posthabitis.

100. *E. noctiflora* (Fenzl, Endl.) = *Silene noctiflora* L. = *Lychnis noctiflora* C. Bauh., Schreb. = *Ocimastrum noctiflorum* Besler = *Lychnis viscida* vel *noctiflora annua*, sive *Ocimoides noctiflorum* Camerar. 1588 c. ic. opt.! quod noctu tantum florem aestate odoratum explicet.

Semina (matura) cinerea. Calyx fructifer late ovatus. Carpophorum (1 lin.) capsulâ apertâ 7 lineali multiplo brevius. Lamina petalorum 2—3 linealis, alba, subtus flavido-virescens. Flores inferiores axillares, laterales terni, pedunculi fructiferi vix pollicares. — Facies fere *Melandryi albi*, differt vero facile, praeter notas genericas e stylorum et dentium capsulae numero, floribus duplo fere minoribus, semper ☿, calycis minus inflati dentibus longioribus, nervis 10 crassioribus viridibus, iterum pinnatinerviis, pilis longioribus et densioribus molle-villosis; foliis superioribus anguste lanceolatis, longe attenuato-acuminatis; caule inferne saepe divaricato-hirsuto; radice simpliciori, nec crassa rhizomatoidea. Variat ex auctoribus flore roseo; planta Camerarii erat flore albo et nonnihil punicante.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 66, n. 281 sub *Silene noct.* L., ut seqq.); ibid. in sylvis montosis, Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 102, n. 290); in montosis sylvosis Pargelovii et ad montem Duderhof (Sobol. Petr. edit. ross. I, 1801, p. 299, n. 302); in cultis et arvis circa Petrop. (Weinm. Pawl. 1824, p. 206); in agris prope Nicolajewsky, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 47, n. 320); in ruderatis circa et in ipsa urbe parcissime (Nippa! Horaninow! Kubarkin et

ipse). Planta culta in apricis flores solstitiales aperit a 7—8 h. vespertina ad 7—8 h. matutinam. ⊙, in hortis non raro triennis.

LIII. MELANDRYUM.

Μελάνδρυον est medulla Quercus. *Melandryon* Plinii „nascens in segete ac pratis, flore albo odorato" quibusdam *Spiraea Aruncus*, aliis *Silene inflata*, Clusio vero *Melandryum* hodiernum. Roehling 1812 genus *Melandrium* resuscitavit, post controversias varias, a botanicis praestantissimis recentioribus adoptatum.

101. *M. album* = *M. vespertinum* Fries 1845 ex *Lychn. vespertina* Sibth. 1794 (sed nomen Schkuhrii antiquius) = *Mel. pratense* Röhl. 1812 = *Lychnis* (*dioica*) *arvensis* Schkuhr 1791 = *Lychnis alba* Miller 1768 = *Lychnis dioica* flore *albo* α et β (i. e. dioica et ☿) Linné = *Lychnis sylvestris alba* Dodon. 1553 c. ic. opt.! — *Melandryum Plinii genuinum* Clus. 1601 c. ic. valde anceps; ex foliis angustis potius huc, quam ad *purpureum*, cui C. Bauh. addit; icon eadem jam apud Lobelium 1581, ubi *L. sylvestris rubello flore*, an *Hesperis* Theophr.? dicitur; eadem figura ad illustrandam *L. sylvestrem* Dodon. 1583 et 1616 recurrit, quae in descriptione alba et rubra appellatur.

Flores albi, vespere noctuque aperti et suaveolentes; petalorum lamina 4 lin. Calyces florum ♂ cylindraceo-clavati, ♀ ovoidei. Capsula matura latissime ovata, 7—9 lin., dentibus erectis vel patulis. Folia media et superiora ovato- vel lineari-lanceolata. Herba pallida, glanduloso-hirta, ad calyces ♀ et interdum versus basim caulis villosa. — Variat foliis latioribus ovatis! et alibi rarissime floribus rubicundis.

Ad vias, agrorum margines, inter segetes, in ruderibus, in ditione Fl. Petrop. pluribus locis copiose; etiam c. Lissino et in saxosis apricis inter fluv. et oppidum Luga. Floret ab initio Junii vel Julii usque ad initium Sept.; fruct. mat. ab initio Julii. ♂ (sec. Koch).

Hist. spec. Jam Amman circa Duderhof et Krasno-Selo m. Junio legisse videtur, nominatque in Mss. altero post 1736: *Lychnis sylvestris alba*, calyce magno, vesicario striato. — Ad fluv. Wolchow et per totam Ingriam non infrequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 74 sub *L. dioica* L. — ex synn. est *alba*); in insula Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); in pratis et cultis ubique (Sobol. Petr. 1799, p. 108, n. 307; ed. ross. I, 1801, p. 313, n. 319 sub *L. dioica* L.); in graminosis et ad agrorum margines (Weinm. Pawl. 1824, p. 211 s. n. *L. nocturna* Sibth.); ubique (Turcz. 1825, n. 302 s. *L. dioica* L.); in agris, arvis, ad agrorum margines, Jun.–Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 48, n. 327 sub *L. arvensi* Schk.).

102. *M. purpureum* = *M. diurnum* Fries 1845 ex *Lychn. diurna* Sibth. 1794 (sed nomen Schkuhrii antiquius) = *Melandr. sylvestre* Röhl. 1812 ex *Lychn.* (*dioica*) *sylvestri* Schkuhr 1791 = *Lychnis dioica* α et β, flore purpureo Linné = *Lychnis sylvestris purpurea* Dodon. 1553 c. ic. bona!

Flores purpurei, inodori, die aperti (an etiam in apricis?); petalorum lamina 2—3 lin. Calyces elliptici. Capsula 4—6 linealis, dentibus revolutis. Folia media et superiora ovata, abrupte acuminata. Herba, praecipue superne, rubro-suffusa, tota villosa, praecedente saepe minor. — Variat heic rarissime flore dilutissime roseo.

In fruticetis et pratis sylvaticis, secus litus marinum sinus Kronstadtensis fere ubique copiose, alibi vero in Ingria raro. Floret praecocius antecedente specie: a fine Maji vel initio Junii ad initium Sept.; fruct. mat. ab initio Junii. ♃.

Hist. spec. In Strelna! ad margines sylvarum (Sobol. Petr. 1799, p. 108, n. 307 sub *L. dioica rubra*) et Ossinovae Rosczae (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 313, n. 319 s. n. eodem); ad margines sylvarum districtus Jamburgensis! et prope Oranienbaum! (Weinm. Pawl. 1824, p. 211 s. n. *L. diurna* Sibth.); in locis desertis et in pratis, v. g. in insula Gutujew et lapidea (Turcz.

1825, n. 303 s. *L. sylvestri* Hoppe); in solo turfoso humidiusculo ad sylvarum margines, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 49, n. 328 s. *L. sylv.* Hoppe).

LIV. VISCARIA.

Sub nomine *Viscaria* (apud Penam et Lobelium, Durantem et Tabernaemontanum) sive *Viscago* (apud Camerarium et Caesalpinum) *Silene Muscipula*, *Armeria* et *Otites* veniebant. Dillenius sub *Viscagine* genus *Silene* intellexit, recentiores tantum sectionem. Hodierna *Viscaria* est Ruppii; a *Lychnide* sua capsulâ 5 loculari diversam esse, Linnaeus quidem perspexit, sed nemo posthac et ante Röhling vim characteris genericam concessit, nunc ab auctoribus optimis admissam.

103. *V. purpurea* Wimmer = *Viscaria Rivini* Rupp. 1718 = *V. vulgaris* Röhl. 1812 = *Lychnis Viscaria* L. = *Lychnis viscosa* etc. (Besler 1613) IV. C. Bauh. 1623 = *L. sylvestris purpurea* Tabern. 1590 c. ic.! = *L. sylv.* 1, vel flore rubro Clus. 1583!

Petala indivisa, emarginata, coronata, purpurea. Panicula racemoso-subverticillata, rarius depauperata et imo uniflora. Carpophorum capsula duplo brevius. Caulis superne ad genicula viscosus. Folia lanceolata glabra, basi ciliata et in petiolum attenuata. Radix senior crassa, repens.

In pratis siccioribus, ad margines viarum, etiam in umbrosis, nec non elevatioribus locis, hinc inde sat copiose. Floret ab initio Junii ad initium Julii m., fruct. mat. ab initio Julii. ♃.

Hist. spec. In sylva insulae pharmacopaeorum (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 73 sub *L. Visc.* L. ut omnes seqq.); in praedio comitis P. a Czernischew, ad 17 verstam viae regiae Peterhofium ducentis et copiose circa Morinam (Gorter Append. 1764); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); ubique in pratis montanis sylvosis, uti in insulis! apothecaria, lapidea et montibus Poclonnaja! et Pulcovo! (Sobol. Petr. 1799, p. 107, n. 306;

ed. ross. I, 1801, p. 312, n. 318); in pratis et collibus siccioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 211); ubique (Turcz. 1825, n. 300); in locis siccioribus graminosis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 49, n. 330).

Obs. Viscaria alpina (L.) Don, jam c. Wiburg in conspectum veniens, omnibus partibus minor, floribus dense umbellato-capitatis, petalis semibifidis fauce nudis, carpophoro brevissimo, foliis rosulatis, caule non viscoso facillime dignoscitur.

LV*. COCCYGANTHE,

i. e. latine flos cuculi, a cel. Reichenbach 1832 tamquam subgenus diversum a *Lychnide* propositum est. Quaenam vero typica *Lychnis* sit, recentiores magis dissentiunt, quam veteres. Dioscoridi λυχνίς (lucernula) duplex est, una λ. στεφανοματικὴ (verbotenus: *Lychnis coronaria*), altera λ. ἄγρία (*L. sylvestris*). Primam pro *Lychnide coronaria* Lam. Dec. unanimo sensu declarant omnes facile patres: Lobel., Dodon., Caesalp., C. Bauh., nec non recentiores Dioscoridis et plantarum graecarum interpretatores, videtur etiam λυχνίς Theophr. Altera magis obscura et versionibus obnoxia forsan *Githago* est. *Agrostemma* a Linnaeo primum introducta, sensim sensimque omnibus speciebus suis orbata, tantum ad *Agr. Flos Jovis* L. et affines referri potest, nisi omnino cum *Lychnide* (*coronaria*) confluat vel sectione tantum diversa censeatur (habitu, floribus densis subumbellatis, petalis saepe bifidis et s. p.). Ex simili principio etiam *Coccyganthe* et imo *Githago* ut subgenera *Lychnidem* intrabunt.

104. *C. pratensis* = *Lychnis Flos Cuculi* L. = *Lychnis pratensis* etc. Moris. 1680 = *Caryophyllus pratensis* Tabern. 1590, C. Bauh. = *Odontitis Plinii* Clus.! Gesner 1561 = *Flos cuculi pratensis* Trag. 1552 c. ic.!

Petala rosea (rarius alba), ultra medium quadrifida, laciniis linearibus, palmato divergentibus, exterioribus

brevioribus. Calyces glabri, nervis coloratis. Carpophorum subnullum. Panicula trichotoma effusa, subcorymbosa. Folia caulina lineari-lanceolata, inferiora obtusa spathulata, in petiolum attenuata. Caulis scaber vel hirtus.

In pratis humidis, ubique copiosissime. Floret ab initio Junii ad Septembr.; fruct. mat. ab initio Julii vel prius. ♃.

Hist. spec. In sylvis et locis siccioribus passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 73 sub *Lych. Flos cuculi* L., ut omnes seqq.); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in pratis humidis circa Crasnoje Selo et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 107, n. 305) et ad montem Poclonnaja (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 311, n. 317); in pratis humidis vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 211); ubique (Turcz. 1825, n. 301); prata pascuaque amat et ornat, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 49, n. 329).

LV**. GITHAGO.

Gith s. *Git* (Plin.) est nomen celticum pro seminibus *Nigellae sativae* s. *Melanthii*. Exinde *Githago* apud Ruellium exorta est, et genus a *Lychnide* et *Agrostemmate* diversum apud Desfontainesium.

105. *G. segetum* Desf. 1800 = *Lychnis Githago* Scop. 1772! Lamck. 1789 = *Agrostemma Githago* L. = *Lychnis segetum major* C. Bauh. 1623 = *Lychnis arvensis* Tabern. 1590 c. ic. = *Pseudomelanthium* Matth. 1558, Lobel. et plur. = *Anthemon foliosum* s. *Githago* Dodon. 1553 c. ic.! = *Githago* Trag. 1552 c. ic.! = *Nigella* Brunf. 1530 c. ic. opt! = an λυχνὶς ἀγρία? μελάμπυρον Diosc.?

Petala retusa, kermesina, basi tristriata, fauce nuda. Folia lineari-lanceolata. Caulis simplex vel superne ramosus, ramis erecto-patulis elongatis unifloris. Herba tota adpresse hirsuto-sericea. — Variat heic non raro: dentibus calycinis corolla brevioribus!

Inter segetes, praecipue *Avenam*, in arvis, ruderibus, pluribus locis saepe copiosissime, olim introducta? Floret

fine Junii vel initio Julii ad Aug.; fruct. mat. medio Julio vel serius. ⊙.

Hist. spec. Inter pagos Dschabina et Koskina inter segetes (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 73 sub *Agr. Gith.* L. ut omnes seqq. — in Codice Krasch. legitur „Koïkino" pagus prope Kaskowa); inter segetes circa Ligowo et ubique vulgaris (Sobol. Petr. 1799, p. 107, n. 304), atque prope Crasnoje Selo (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 309, n. 316); inter segetes frequens, aestate (Weinm. Pawl. 1824, p. 210 et Petr. 1837, p. 49, n. 331); in ruderatis et inter segetes e. g. prope praedium Bar. Rosen (Turcz. 1825, n. 304).

LVI. CUCUBALUS.

Cucubali herba, ait Plinius, habet acinos nigros, quidam *strumum* appellant, aliis graece *Strychnon*. Nomen ex opinione Penae et Lobelii ex κακούβαλον, quasi maleficum quoddam, anne potius „Cuculus" subest paulo mutatus; hodie in Italia „erba *Cucco*" audit. Pena et Lobelius *Cucubalum* Plinii cum dubio, Dalechampius sine, pro hodierno habuere. Tournefortius in genus facillime redegit, a Linnaeo in pejus mutatum et cum *Silene* confusum. S. G. Gmelin, genus *Lychnanthi* temere constituens, baccam apice dehiscentem describens, *Cucubalum bacciferum* L., eheu! sibi ignotum, coram habuit.

(**106.**) *C. baccifer*! L. = *Cucubalus Plinii* Dalech. 1586 c. ic.! Tournef.! *Lychnanthus volubilis* S. G. Gmelin 1770! c. ic. = *Alsine scandens baccifera* C. Bauh. 1623 = an *Cacubalum Plinii* Lob. et Pena 1570, teste icone Clusii = *Alsine repens* Clus. 1576 c. ic. bona! ex agro Salmanticensi Hispan. et pr. Eberstorff circa Viennam.

Petala albo-virentia, patentissima, apice bifida, basi obsolete coronata. Panicula depauperata, dichotoma, floribus axillaribus et lateralibus. Carpophorum baccâ triplo brevius. Bacca matura atro-nitens, exsucca. Semina re-

niformia, remote granulata. Caulis debilis, 2—4 ped., brachiatus, diffusus et subscandens, tetragonus, scabriusculus, superne sparse pubescens. Folia late elliptica, margine subintegerrima.

Paullo supra ostium Rossonae, Lugam fl. cum Narowa jungentis, inde inferiora versus Lugae fl. paene ad ostium usque in salicetis frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 67; Sobol. Fl. Petrop. 1799, p. 101, n. 287). ♃. — Post Krascheninnikowium a nemine usquam in Ingria observatus, neque Petropoli obvius, ut: Falk Beitr. II, 1768, p. 179 et Ledeb. Fl. Ross. I, p. 333 affirmant.

Fam. XIII. ALSINEAE.

Sileneis cognatissimae et sequentibus characteribus tantum diversae sunt. Cal. profunde 4—5 partitus. Flores (in nostris, exceptâ *Spergulariâ*) semper albi. Petala 5, fauce numquam coronata, rarius hebetatione pauciora vel imo nulla. Stamina disco perigyno glanduligero inserta. Caps. 1 locularis, in dentes v. valvas (numero stylorum simplici v. duplici) dehiscens, ∞ (in *Buffonia* 2-) sperma. — A *Paronychieis* fere solum differunt: foliis exstipulatis et staminibus saepe hypogynis.

Qualitates exigui, *usus* subnullus. *Ammadeniae* herba tota salsa, pisces redolet et gustanti amaricat (Lobel, Linné). *Spergula*, alias in agris arenosis culta, saginae inservit (Lobel). Idem *Stellaria media* praestat. Generatim herba gallinis et aviculis pabulo grata, unde plebi vocata morsus gallinae.

Conspectus generum.

Tribus I.

Valvulae s. dentes capsulae numero stylorum duplici.

LVII. **CERASTIUM.** Flos isomerus. Styli 5. Capsula cylindrica vel cylindrico-conica, recta v. incurva, apice dentibus 10 dehiscens. Semina fere ut in *Stellaria*. Stam. 10 v. 8, rarius 5, 4. — Numerus stylorum, nec non sepalorum et petalorum in omnibus fere generibus uno augetur vel diminuitur, quare tantum typicus et normalis indicari potest.

LVIII. **MALACHIUM.** Flos isomerus. Styli 5. Capsula ovoideo-pentagona, usque ad medium 5 valvis; valvulis apice bidentatis. Semina reniformia, granulata. Petala bipartita.

LIX. **STELLARIA.** Flos anisomerus i. e. sepala et petala 5, styli 3 et valvulae 6. Capsula ovata v. oblongo-cylindrica in valv. 6 ad medium vel ultra dehiscens. Stam. 10, 8, in *Stellaria media* 5, 3. Semina rugulosa, granulata v. muricata, opaca.

LX. **MOEHRINGIA.** Flos anisomerus. A *Stellaria* et *Arenaria* praecipue differt: seminibus umbilico distincte strophiolatis, ceterum laevissimis et lucidis. Petala integra vel leviter emarginata. Stam. 10, 8, 5. In *M. muscosa* L. petala 4, stam. 8, styli 3, caps. 4 valvis; in *M. trinervia* et *pentandra* flos 5 merus, styli 3, capsula aequaliter ultra medium in valv. 6 dehiscens.

LXI. **ARENARIA.** Flos anisomerus. Petala 5 integra. Stam. 10. Styli 3. Capsula: vel tantum apice in dentes 6 aequales dehiscens (in *A. serpyllifolia*), vel in valvas 4—6 inaequales (*A. spathulatae* in 6 aequales ultra medium) secedens. Semina tenuissime granulata, rugulosa, opaca, rarissime (v. g. in *A. spathulata*) laevia et lucida.

Tribus II.

Valvulae numero stylorum simplici.

A. Exstipulatae.

LXII. **AMMADENIA.** Flores hermaphrodito-dioici, anisomeri. Sepala et petala 5, sed styli et valvulae 3. Pe-

tala integra, in ♀ breviora. Stam. 10, glandulis perigynis crassis profunde emarginatis inserta, in ♀ abortiva. Styli in ♂ imperfecti. Capsula in ♀ subglobosa, usque ad medium dehiscens. Semina 3—5, magna, obovata basi rostellata, antice concava. — Caps. 6 costata, semina, folia, verbo omnia cum *Arenariis* proximam indicant affinitatem, summoque artificio ad *Alsinem* ducitur (Fries). Comparationis gratia additur:

⁜ ALSINE. Flores hermaphroditi, anisomeri. Petala integra v. leviter emarginata. Stam. 10, 8, rarius 5. Styli 3. Capsula usque ad basim dehiscens. Semina plurima, reniformia.

LXIII. SAGINA. Flos isomerus i. e. sepala, petala, styli et valvulae 4 vel 5. Petala integra, saepe obsoleta. Stamina 4, 5, 10. Capsula usque ad basim fissa. Semina minuta, triangulari-reniformia immarginata.

§ 1. SAGINA. Flos tetramerus; at unus alterve in omnibus fere speciebus 5 merus.

§ 2. SPERGELLA. Flos pentamerus.

B. Stipulatae: *Paronychieis* intermediae, vel potius his adnumerandae, sed Thalamiflorae.

LXIV. SPERGULA. Characteres fere *Spergellae*, sed capsula tantum ultra medium fissa. Semina lentiformia, marginata, disco saepe papillata. Stipulae scariosae liberae (per paria connatae: Koch). Folia spurie verticillata, filiformi-cylindrica.

LXV. SPERGULARIA. Characteres fere *Alsines*. Semina triangulari-reniformia, saepe marginato-alata. Stipulae scariosae, vaginato-connatae v. liberae. Folia opposita, linearia, subcylindrica. Flores (in nostris spec.) roseo-violacei.

LVII. CERASTIUM.

Nomen a κέρας derivatum, pro *C. arvensi* et *viscoso*, capsulâ corniculatâ a ceteris *Alsineis* abludentibus, selegit

Dillenius 1719 loco generis: *Myosotis* Tournef. et Mönch (non Lobel 1581 et Recent.) sive *Myosota* Dodon. 1553. Genus *Cerastium* apud Linné fere purum et stabilitum. Species Ingricae omnes ad sectionem: *Orthodon* Ser. in Dec. pertinent, capsulae subincurvae dentibus rectis margine tantum, nec apice revolutis, insignem.

107. *C. arvense* L. = *Caryophyllus arvensis hirsutus, fl. majore* C. Bauh. 1623 = *Caryophyllus Holostius* Lobel 1581 c. ic.

Petala 5—6 lin., apice late rotundata et sub anthesi recurvata, calyce 2—3 plo longiora. Pedunculi deflorati erecti, calyce 3—4 plo longiores. Bracteae margine scariosae. Folia lineari-lanceolata, intra axillas fasciculifera. Caules adscendentes, turionibus elongatis, caespitosis, prostratis, basi radicantibus. Radix perennis. — Specc. Petrop. superne pilis glandulosis crebris tecta; folia variant subglabra, vel margine, vel etiam facie sparse hirsuta; caulis semper dense pubescit.

In pratis apricis siccis horti Imp. Pawlowsk, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 212 et Petrop. 1837, p. 48, n. 325; Turcz. 1825, n. 307); Petropoli (Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. I, 1842, p. 412, *C. arvense α latifolium* sive typicum vidit) rarissime, v. g. in graminosis apricis circa urbem prope ecclesiam St. Mitrofan 1 Jun. c. florib. (Kühlewein!, Kubarkin) et ex septemtrione Newae fluvii (Graff! — est var. foliis densius hirsuto-villosis, obtusis et paulo latioribus; specc. a cel. Fenzl ad var. β angustifoliam, lusum 2 Fl. Ross. amandantur, sicuti specc. D. Kühlewein). ♃.

Adnot. C. alpinum L. indicatur jam in insula Walamo lacus Ladogae (W. Nylander) et var. β *glandulifera* Koch in Esthonia pr. Reval crescit. Dignoscitur a *C. arvensi:* turionibus abbreviatis, rosulatis, caule humili paucifloro, bracteis herbaceis, foliis brevioribus latioribus et inter axillas nudis, pilis in tota planta longioribus, indumentum villoso-lanatum efficientibus etc.

108. *C. vulgatum* Curtis 1821, Wahlbg., Fries, Fenzl; an etiam: Löffling 1758, Linné Spec. II, 1762 (non 1755); non Reichenb., Smith et herb. Linn. ubi loco hujus *C. viscosum* Curt. adest et versa vice; Linnaeus ambas species numquam clare exposuit, inde controversiis perpetuis obnoxias; speciei origo ex Fl. Suec. II (1755), herbario confirmata, concedente imo cel. Fries, *C. glomeratum* Thuill. fuisse, evidenter testatur (vide Richter Codex Linn., qui plantam Löfflingii pro *C. campanulato* vel consimili habet) = *C. triviale* Link 1821 = *Myosota* Dodon. 1553 ic. antiquissima et opt.! in Lobelii Advers. 1570 perperam posita juxta *Alsine Myosotis*, quae teste Lobel icon. 1581 *Myosotis intermedia* est, citanda enim fuisset ad *Myosot. hirsutam reptantem* Pena et Lobel; fefellit hoc etiam C. Bauhinum.

Radix subperennans. Caules plerumque caespitosi, purpurascentes, turionibus basi radicantibus. Folia profunde viridia, ceteris affinibus specc. longiora. Sepala cum bracteis margine scariosa, apice glabra. Pedicelli fructiferi calyce 2—3 plo longiores, nutantes. Flos 5—6 lin. in diametro. Petala longitudine calycis vel paulo majora. Semina tuberculata scabra. — Indumentum plantae typicae hirsutum, variat rarius β *glandulosum* Bönningh. 1824.

Ad vias, in plateis, locis cultis vel ruderatis, arvis, fossis et pratis, ubique copiosissime. Floret a medio Maji vel initio Junii usque ad Sept.; interdum medio Julio penitus defloratum deprehenditur; fruct. mat. a fine Junii vel prius. ⊙ ♃.

Hist. spec. In agris incultis circa Catharinenhoff! Jul. (Amman Mss. 1734, n. 20, ex synn. J. Bauh. et Tournef.); circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 67, n. 293 sub *C. vulgato* L.); parce ad vias, in agris et hortis Petropoli, fl. Majo, Jun. (Sobol. Petrop. 1799, p. 108, n. 308; ed. ross. I, 1801, p. 313, n. 320; sub *C. vulgato* Curt.); in hortis et agris vulgare (Weinm. Pawl. 1824, p. 212 s. *C. triviali* Lk.); ubique (Turcz. 1825, n. 306 sub *C. viscoso* L.); in pratis, pascuis, rude-

ratis, hortis, Jul. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 48, n. 326 s. *C. triviali* Lk.).

(※) *C. semidecandrum* L. ex Ingria nondum vidi. Quod hucusque indicabatur, potissimum forma macilenta pentandra *C. vulgati* Curt., caule simplici et radice tenui annua stolonibus carente, fuisse videtur. Dignoscitur vero genuinum *C. semidecandrum* a dicta forma *C. vulgati:* seminibus duplo minoribus, disco laeviusculis; capsula parva angusta, facie *C. viscosi* Curt.; calyce fere duplo minore et angustiore, sepalis ad summum $1\frac{1}{2}$ (nec 2 — 3) lin. Stamina ceterum numero valde variant et sepala apice non semper eroso-denticulata sunt; herba viscido-pubescens. Talia specimina jam examinavi e Livonia limitropha, sc. declivibus apricis pr. Heiligensee et Wolmar (Maximowitsch!), procul dubio quoque in Ingria aderunt.

Hist. spec. Ad ductum aquarum ins. Basilii copiose, ut et in tota Ingria (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 74 s. *C. semid.* L. — nec Krasch., in codice manu ejus deletum est; in mss. Krasch. synonyma *C. viscosi*, *semidecandri* et *vulgati* confusa, sed plantam vix habuit aliam, quam *C. vulgatum* Curt. vulgatissimum, in Fl. Ingrica omissum, conf. R. Diatr. 1845, p. 59; testatur etiam appendix Codic. Krasch., ubi sub N. 4 monstrosum a specie ***Kermes*** declaratur, testatur et specimen originale ***Kerme*** corruptum, in herb. Acad. adhuc servatum); Petropoli (Falk Beitr. II, 1786, p. 182; nullius valoris, ex Gortero fugaci manu transscripsit); in ins. apothecaria, Basileensi et ubique ad ductus aquarum et in pratis copiose, fl. Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 108, n. 310; edit. ross. I, 1801, p. 314, n. 322, s. n. *C. semidec.* Curt. quod a Linnaeano forsan diversum et celo Reichenbach ad *C. macilentum* Fries aut forte *C. pumilum* Bönn., Koch pertinere videtur); in campis sterilibus satis frequens, fl. Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 212 s. n. *C. semid.* L.); in pratis humidiusculis et ad margines viarum, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 212 s. n. *C. viscidum*

Link, quod sec. Koch et Fenzl ad *C. semidecandrum*, sec. Reichenb. ad *C. glutinosum* Fries pertinet; — cel. Turczaninow in praefatione ad Catal. Petrop. 1825 plantam utramque Weinmanni pro *C. viscoso* L. declarat); specimen genuinum e Petropoli vidisse, testatur cel. Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. I, 1842, p. 406, an vero ad var. α scarioso-bracteatam, aut γ herbaceo-bracteatam (*C. glutinosum* Fries s. *C. pumilum* Koch) vel ad utramque pertinuerit, non liquet; conf. R. Diatr. 1845, p. 59, 60; in herb. C. A. Meyer ex hoc loco deest. Speciem igitur, ut indigenam, in medio relinquo.

(⁜) *C. viscosum* Curtis 1821, Wahlenb., Fries, Grenier, Fenzl; etiam Linnaei pro parte, certe Fl. Suec. 1755 sub β; non Spec. pl. 1753: *C. vulgatum* Curt. includens, quod solum in herb. Linn. pro *C. viscoso* adest.

Radix simplex annua. Folia subrotunda vel ovalia (unde *C. ovale* Pers. 1805). Panicula florifera glomerata (unde *C. glomeratum* Thuill. 1799). Bracteae omnes et calyces herbacei, opaci. Pedicelli fructiferi calycem vix aequantes. Flos 3—4 lin. in diametro. Sepala 1—2 lin. apice barbata. Capsula 2—3 lin. longa, omnium facile angustissima, vix $^1/_2$ lin. lata. Herba formae typicae glanduloso-viscosa.

Ad limites Ingriae sc. in Livonia ad lacum Peipus, ubi in fruticetis, initio Aug. m. fere defloratum c. fruct. mat. parcius vidit et legit D. Maximowitsch! — Ceterum, ut puto, errore tantum indicatum fuit: Petropoli (Boeber ex Georgi 1790, p. 67, n. 295 s. *C. viscoso* L.); rarius circa Petropolim ad agrorum limites et vias, uti in Ligovo et Goreloy Cabac, fl. Majo (Sobol. Petr. 1799, p. 108, n. 309; edit. ross. I, 1801, p. 314, n. 321 sub *C. viscoso* Curt.; plantam Sobolewskii *C. triviale* Lk. fuisse, declarat Weinm. in Elencho pl. h. Pawlowsk. 1824, p. 212); Ingria (Georgi 1800, p. 986, n. 3, sub *C. viscoso*, nullius valoris).

LVIII. MALACHIUM.

Genus characteribus optimis proposuit Mönch 1794 sub nomine *Myosoton;* at cum neque *Myosotis* Lobelii 1581 sit, neque *Myosota* Dodonaei 1553, ad consonantiam evitandam admittitur *Malachia* Fries 1817, ab ipso serius paullulum mutata.

109. *M. aquaticum* Fries (1817) 1828 = *Myosoton aquaticum* Mönch 1794 = *Cerastium aquaticum* L. 1753 (diu cum *Stellaria nemorum* et *media* conjunxit, 1751 primo separavit) = *Alsine maxima solanifolia* Mentzel 1682 c. ic.! = *Alsine* s. *Hippia major* Dodon. 1553 ic. opt.!

Planta 1 — 2 pedalis, affinis *Stellariae nemorum* (Linné); at praeter characteres genericos sequentibus adhuc diversa: capsula ovoidea, 5-gona, calycem subaequans; calyx subglobosus herbaceus opacus (nec scariosus et nitens) corollâ subduplo brevior, fructifer major; petala 2 — 3 lin. (nec 4 — 6 lin.); folia caulina plurima sessilia, margine undulata (in *St. nemorum* rarius ultra 3 paria suprema sessilia); caulis inferne glaberrimus tetragonus; indumentum cymae breve, glanduloso-viscosum; nullibi pili adsunt elongati eglandulosi. Multo similior et vix, nisi stylis 3 et valvulis 6, diversa est *Stellaria Bungeana* Fenzl, jam circa Archangelsk obvia (conf. R. Fl. Samoj. p. 10) et Petropoli imo indicata a D. Bohuslaw in scriptis soc. oecon. Petrop. 1847 ad specim. herb. Kastalskiani sub N. 240 (*Stellaria nemorum*).

In humidis umbrosis et sylvaticis, ad ripas et fossas, hinc inde copiose v. g. in insulis Newae fl., Strelna, Peterhof, Krasnoje Selo, Gatschina. Floret et fruct. Junio et Julio. ♃.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 67, n. 294 sub *Cerastio aq.* L.); in humidis circa Petropolim, uti: ad ripas lacuum Pargelovii et Ossinovae Roschczae, circa Sarscoselium in sylvis, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 109, n. 311; edit. Ross. I, 1801,

p. 315, n. 323, sub *Cerast. aq.* L.); ad ripas nemorosas et in aliis locis humentibus (Weinm. Pawl. 1824, p. 212, sub *Cerast. aq.* L.); ubique (Turcz. 1825, n. 305 sub *Larbraea aquatica* Dec.); in humidis et ruderatis umbrosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 48, n. 324 sub *Cerast. aquat.* L.).

LIX. STELLARIA.

Nomen ex forma aut dispositione foliorum vel florum in figuram stellae, diversissimis plantis impositum. Brunfels 1530 *Asperulam odoratam*, Matthiolus 1565 et Camerarius *Alchemillam vulgarem* et *alpinam* intellexerunt; Lobelius 1581 et C. Bauhinus *Callitrichen vernam* nomine *Stellariae aquaticae* habuerunt; *Stellaria* s. *Asterias* Dalechampii 1587 ignota planta est, facie *Sherardiae;* Dillenius 1719 mox *Callitrichen*, mox *Gageam* sic appellavit; tandem Linnaeus 1748 *Stellulariam*, 1753 in *Stellariam* mutatam, introduxit et generice constituit.

110. *St. nemorum* L. = *Alsine altissima nemorum* C. Bauh. 1623 = *Alsine maxima* Lobel 1581 (ex flore magis huc, quam ad *Malachium*).

Caulis undequaquam piloso-villosus. Folia venuloso-reticulata, profunde cordata, acuminata, petiolata, superiora sessilia. Sepala pallida, subnitida, margine scariosa, elliptica, 2—3 lin. Petala calyce 2—3 plo longiora. Columella capsulae oblongae fere 2 lin. longa, linearis, indivisa. — Variat calyce glabro v. pubescente; foliis floralibus majoribus et minoribus, pedicellos superantibus vel haud aequantibus; var. *subebracteolata* Fenzl: foliis floralibus minutissimis et pedunculis glaberrimis hic nondum reperta.

In nemoribus, sylvaticis, fruticetis, graminosis umbrosis, etiam ad fossas, ubique copiose. Floret post medium Maji et m. Junio; fruct. mat. a medio Junii. ♃.

Hist. spec. Nil frequentius ad ripas Newae! fluv. humidiores et valles, rivosque umbrosos (Krasch. ed. Gort.

1761, p. 70 — omissa sunt ex codice Krasch. verba: Aug. 7 jam in fruct. maturis); Koirowa (Falk ex Gort. Append. 1764); ad ripas umbrosas Newae fl. in ins. apothecaria!, lapidea et in nemoribus frequentissima (Sobol. Petr. 1799, p. 103, n. 292), etiam in sylvis Pulcovae et Ossinovae Roszczae (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 300, n. 304); in sylvis et fruticetis humidiusculis passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 208); ubique (Turcz. 1825, n. 285); in nemoribus et fruticetis umbrosis, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 46, n. 308).

111. *St. media* Vill. 1789 = *Alsine media* Dodon. 1553! C. Bauh. Linné = *Alsine major* Fuchs 1542! c. ic. (ejus *A. minor* erat *Arenaria serpyllifolia*, *A. media* vero *Veronica agrestis*) = *Morsus gallinae minor* Brunf. (sec. C. Bauh.)

Caulis uniseriatim pilosus. Folia *St. nemorum*, sed minora, abruptius acuminata et basi haud cordata. Sepala opaca, profunde viridia, pubescentia, $1^1/_2$ — 2 lin., ovalia. Petala calycem aequantia vel breviora vel nulla. Stam. 3 — 5. Columella capsulae ovoideae brevissima, mox in funiculos seminum soluta. — Variat: statura pedali et pusilla 2 poll.; foliis margine undulatis, superioribus pluribus sessilibus vel omnibus petiolatis.

In locis cultis ubique copiosissima herba est, numquam eliminanda; abhinc ad domicilia, rudera et vias propagatur. Floret et fructificat a fine Aprilis ad initium Octobris, bis terve e seminibus delapsis enata. Flos erectus evigilat ab hora 9 in meridiem, nisi eodem die pluvia cadat, quo non aperitur (Linné); hic medio Julio flores saepius observavi apertos ante 8^h, clausos circa h. 6 vespere. ⊙.

Hist. spec. In hortis oleraceis et ad sepes passim (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 47 s. *Alsine media* L., ut seqq.); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); ubique in hortis oleraceis, ad sepes et vias passim (Sobol. Petr. 1799, p. 75, n. 214; edit. Ross. I, 1801, p. 237, n. 225); summum hortorum vitium, a Majo ad Octobr. (Weinm.

Pawl. 1824, p. 146 s. *Alsine* et Petr. 1837, p. 46, n. 309 s. *Stellaria media* Sm.); ubique (Turcz. 1825, n. 286 s. *Stellaria*).

Observ. *St. dichotoma* L. circa Petropolim (Jun. flor.) indicata in Weinm. Pawl. 1824, p. 208, serius vero ab ipso omissa est. Stationes Mosquenses et Kasanienses summopere dubias, cel. Fenzl ad *St. mediam* referre propensus est.

112. *St. Holostea* L. = *Holostium Ruellii* Lobel 1576! = *Gramen* Fuchs 1542 ic. opt.!

Folia firmula, omnia connato-sessilia, a basi latiore rectilineo-lanceolata ($1\frac{1}{2}$—4 lin. lata: $1\frac{1}{2}$—3 poll. longa), longe acuminata, margine et carina scabra. Bracteae herbaceae, infimae foliosae. Sepala enervia, nitida, 3—4 lin. Petala semibifida, calyce fere duplo longiora. Capsula globosa longitudine calycis.

In graminosis, sylvaticis, ad sepes et fossas, frequens et copiose. Floret a medio Maji ad initium Julii; fruct. mat. ab initio Junii. ♃.

Hist. spec. In sylvosis humidioribus locis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 70; locum in Codice Krasch. omissum addidit Gorter); ubique in sylvis humidioribus (Sobol. Petr. 1799, p. 103, n. 293; edit. ross. I, 1801, p. 301, n. 305); in sepibus et nemorosis ubique (Weinm. Pawl. 1824, p. 208); ubique (Turcz. 1825, n. 287); in nemoribus et fruticetis, Aprili ad Junium (Weinm. Petr. 1837, p. 47, n. 314).

113. *St. glauca* With. 1796, Smith 1800! optime exposita. *St. palustris* Retzius 1795 (nec 1779), glaucedinem tacet et forsan *St. gramineam grandifloram* habuit. Jam Rajus 1696, nisi prius, descripsit.

Semina castanea, grosse rugoso-granulata. Sepala 2—3 lin., corollâ distincte breviora. Bracteae scariosae, glaberrimae. Tota planta glauca; ceterum *St. gramineae* simillima et vix nisi seminibus diversa, si respicis var. *parvifloram* Rchb., var. *virentem* Fenzl *St. glaucae* et

var. *grandifloram St. gramineae.* — Petropoli variat 1) foliis solito longioribus, $2^1/_2$ poll. 2) latifolia: fol. 2 lin. latis, reticulato-venulosis, versus basim evidenter angustatis.

In pratis paludosis, ad fossas et aquas pluribus locis copiose. Floret a medio Junii ad finem Julii. ♃.

Hist. spec. Copiose circa Catharinenhoff! m. Junio (Amman mss. 1734, n. 19 s. n. *Alsine pratensis glauco folio, cauliculis quadrangularibus;* — omnino huc spectat, nam sola inter affines glauca est et loco indicato adhuc perstitit); in graminosis humidis (Weinm. Pawl. 1824, p. 209 s. *St. palustri* Retz.); ubique (Turcz. 1825, n. 289); in locis paludosis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 47, n. 312).

Observ. *St. Dilleniana* Mönch in pratis humidis sylvosis, Junio (Sobol. Petrop. 1799, p. 104, n. 296); in sylvis humidis umbrosis Murinae et Pargelovii (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 302, n. 308); in nemoribus humidis prope Pawlowsk (Weinm. Pawl. 1824, p. 208 sub *St. gramineae* var.) indicata, est planta critica, controversiis subjecta. *Alsine .... palustris* Dillen. 1719, ex qua *Stellaria graminea* β Linné 1753 orta est, teste ipso Dillenio a *St. graminea* tantum differt: floribus majoribus, petalis minus profunde divisis; saepe ad *St. glaucam* typicam citatur, sed Dillenius colorem glaucum vix praetervidisset. *St. Dilleniana* Leers 1775 est *St. uliginosa* Murray 1770. *St. Dilleniana* Mönch 1777 differt a planta Dillenii, nam in fig. exhibita petala calyci aequilonga pinguntur, quare cel. Reichenbach in Fl. germ. excurs. p. 873 ad *St. glaucam* β *parvifloram* refert, Petropoli adhuc inquirendam. *St. Dilleniana* (Fl. Wetter. 1800 est *St. glauca?*) Becker 1828, Rchb. Fl. germ. et icon.!! nec non Recent. auct., utique circa Petropolim obveniens, *St. gramineae grandiflorae* elatiori subsumta, sed calyce 3 lin. longo petalis distincte breviori, nec non bracteis eciliatis magis ad *St. glaucam* accedit, et omnino plantam utrisque intermediam refert, e seminibus exactius adhuc determinandam; petalis, ut

in icone apud Rchb., usque ad basim partitis, a planta Dillenii discedit; folia et habitus *St. gramineae α linearis*, lus. 2 Fenzl apud Ledeb. Haec cel° Reichenbach var. *grandiflora St. gramineae* culturâ constans, videtur; Kochio et Friesio var. *viridis St. glaucae* et prorsus identica cum *St. Laxmanni* Fisch. ex Dec., quam vero cel. Fenzl e Rossia europaea non vidit. Quis litem componet?

114. *St. graminea* α Linné = *Gramen floridum minus* Tabern. 1590 = Diversitas *Holostii Ruellii* Lobel 1581 c. ic. bona!

Semina distinctissime daedaleo-rugosa. Folia sessilia, a basi latiore lanceolata, laevia. Bracteae scariosae, margine ciliatae. Sepala trinervia, $1\frac{1}{2}$—2 lin. Petala profunde bipartita, calycem subaequantia. Capsula oblonga, calycem excedens. — Variat: β. *eciliata* Fenzl ex R. Diatr. Petr. 1845, p. 58 = *St. flaccida* Peterm. 1838 = *St. graminea* var. *gracilis* Weinm. 1837; bracteae et sepala omnino eciliatae, ut in *St. glauca;* plerumque tenella, foliis brevioribus et angustioribus, linearibus; γ. *linearis* Fenzl in Ledeb.; fol. sublinearibus, siccis margine plerumque revolutis; huc ducitur: *St. subulata* Boeber ex Schlecht. 1816, quae sec. Rchb. identica est cum *St. brevifolia* Walther 1802, sed ex icone Rchb. forsan β *eciliata;* δ. parviflora et grandiflora, quae observante Schummel 1827 aliisque corroborantibus, sexum polygamo-dioicum indicant, prima scil. magis ♀, altera magis ♂; ε. pedunculis abortu cymae alaribus solitariis, praecipue in var. β.

In graminosis humidis communissima β; in siccioribus, ad vias et in arvis frequens γ; in umbrosis α rarior. Floret a fine Maji et initio Junii vel Julii usque ad finem Jul., serotina ad initium Sept.; fruct. mat. m. Julio. ♃.

Hist. spec. Inter Petropolim et Twer, partim in flore, partim in semine m. Aug. et Sept. (Gmelin Mss. 1733, n. 59, ex syn. Tournef.); circa Duderhof! et Krasno-Selo m. Junio (Amman mss, post 1736 s. n. *Gramen leu-*

canthemum minus); inter *Hypnum* ubique frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 71); in fruticetis et dumetis ubique inter *Hypnum* et *Polytrichum* frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 104, n. 294; ed. ross. I, 1801, p. 301, n. 306); in arvis, dumetis, sepibusque passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 208); ubique (Turcz. 1825, n. 288); in locis siccis et humidiusculis, Majo ad Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 46, n. 311; cum varr. a) *arvensis*, b) *palustris* [utraque ad *St. glaucam*, fide specc. orig. in herb. Kühlew. 1834], c) *recurvata*, d) *elongata*, e) *ciliolata*, f) *gracilis*).

115. *St. longifolia* Mühlenbg. ex Willd. 1809, Fries, Fenzl = *St. Friesiana* Seringe in Dec. 1824, Koch = *St. mosquensis* M. Bieb. ex Schlecht. 1816.

Semina nitida, laevia. Capsula matura badia. Sepala $^1/_2$—1 lin. Folia angustissime linearia, basi conspicue angustata. Caetera *St. gramineae eciliatae*, sed folia intra axillas crebra fasciculata et flores minores. Variat rarius β: fol. lanceolatis 1—$1^1/_2$ lin. latis, flaccidis, intra axillas subnudis.

In nemoribus et sylvis, ad truncos arborum emortuos et locis deustis, nec non in pascuis apertis circa virgulta, frequens et copiose; var. β magis in umbrosis solo pingui. Floret ab initio Junii vel serius usque ad init. Aug.; fruct. mat. ab initio Julii ad finem Aug. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Weinm. et C. A. Meyer ex Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. I, 1842, p. 392); in ins. Krestowsky (Rochel ex Reichenb. icon. 1841, p. 35); Peterhof et Oranienbaum, Gatschina, Pawlowsk, Lissino, Schlüsselburg (conf. R. Diatr. 1845, p. 58 s. *St. Frieseana*).

116. *St. uliginosa* Murray 1770 = *Alsine longifolia uliginosis proveniens locis* J. Bauh. 1651 c. ic.! = *Alsine fontana* Tabern. 1590! Species Linnaeo obscura; sub *St. graminea* γ Fl. Lappon. forsan potius sequens latuit.

Flores in cymis axillaribus lateralibus, scarioso-

bracteati. Corolla calycem vix aequans. Capsula basi magis attenuata, quam in praecedentibus, hinc calycis basis breviter infundibuliformis (unde genus *Larbrea* St. Hilaire 1816), calycem aequans. Semina granulis elevatis disco seriatim concentrice lineolata, in peripheriâ crenulato-cristata. Folia ovato-elliptica, basi saepe ciliata. — Variat caule ramosiori, heterophyllo, diffuso: foliis basi eximie angustatis, ramorum axillarium distinctissime petiolatis, facie *St. mediae* pumilae.

Ad scaturigines, in uliginosis, sylvis humidis, copiose, sed non tam frequens, quam *St. crassifolia;* v. g. Pargola, Toxowa, Lapuchinka, Koirowa, Gatschina, Lissino. Floret ab initio Junii saltem ad initium Julii, quo tempore jam fruct. maturis onusta. ⊙.

Hist. spec. Circa Petropolim (Georgi 1790, p. 66, n. 281 s. n. *Stell. Dilleniana* Leers Fl. Herb.); in uliginosis non rara (Weinm. Pawl. 1824, p. 209 s. *St. ulig.*); prope praedium Lanskoy ad viam Pargolensem (Turcz. 1825, n. 291 s. *St. aquatica* Poll.); in fossis semiexsiccatis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 46, n. 310 s. *St. Alsine* Hoffm.).

117. *St. crassifolia* Ehrh.! 1784 = *St. dichotoma* Weber (Wiggers) 1780, non Linné.

Flores alares et terminales solitarii, ebracteati. Calyx capsulâ duplo brevior, corollam subaequans. Ceterum *St. uliginosae* simillima, caulis tamen teres (in sicco modo quadrangulus), folia basi numquam ciliata et semina majora, maturitate fusco-atra, obsoletius granulata, in peripheriâ laevissima. — Variat foliis angustioribus linearibus vel anguste lanceolatis (*St. elodes* M. Bieberst. in Besser, fide cel. Fenzl); foliis erecto patentibus vel divaricatis, majoribus v. minoribus, caule strictiusculo vel diffuso-ramosissimo.

Ad ductus aquarum, in graminosis humidis et uliginosis, praecipue regionis demissae et secus litus marinum, sed etiam in reg. elevata, frequens et copiose. Floret a

medio Junii usque ad finem Julii; fruct. mat. m. Jul. ☉, aliis ♃.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph! ex Georgi 1790, p. 66, n. 280; adest spec. orig. Rudolphi in herb. Acad. ad rivulum Karpowka pr. hortum botanicum lectum, vide R. Diatr. Petr. 1845, p. 59); in m. Pulcovo et in sylvis circa Petrop. rarius (Sobol. Petr. 1799, p. 104, n. 295); rarius in m. Pulcovo et Poclonnaja in sylvis (Sobol. Petr. edit. ross. I, 1801, p. 302, n. 307); in paludosis montis Duderhovii! (Weinm. Pawl. 1824, p. 209); rarissime ad m. Duderhof (Prescott ex Turcz. 1825, n. 290); in humidis maritimis ad viam Peterhofianam, Jun. Jul. (Weinm. in Linnaea X, 1836, p. 51 et Petrop. 1837, p. 47, n. 313 s. n. *St. brevifolia* Schumacher I, 1801, p. 142 cum descriptione et citato: Fl. Dan. tab. 415 bene! excl. petalis; — in litore marino inter Peterhof et Oranienbaum inveni formam simillimam, at *St. brevifoliâ* Rafn 1800 et Fries herb. norm. Suec.! paulo insigniorem, *Sileni inflatae litorali* analogam, coloratam, foliis firmioribus, plurimis angustioribus erectis, incurvatis); Petropoli (Reichenb. Icon. Fl. Germ. V, 1841, p. 36 sub n. *St. helodes* M. Bieb.; specc. fig. 4999 b conformia vidi Petr.); alibi frequens, copiosissime vero ad aquaeductum Taitzensem (R. Diatr. Petr. 1845, p. 59 s. *St. crassif.*).

LX. MOEHRINGIA.

Nomen et genus in memoriam botanici coaevi Möhring constituit Linné 1740, reformavit Clairville, Mertens et Koch, Fenzl, additis *Arenariis* pluribus.

118. *M. trinervia* Clairv. 1811 = *Arenaria trinervia* L. = *Alsine Plantaginis folio* J. Bauh. 1651 c. ic. = ? *Alsine hirsuta, mediae similis, sed nigrior, hirsutior ac durior, spontanea* Camer. 1588.

Petala calyce breviora. Sepala $1\frac{1}{2}$—2 lin. inaequalia, lanceolata cuspidata. Pedunculi alares et terminales uniflori, post anthesin deflexi. Folia ovata, mucro-

nata, 3—5 nervia. Caulis repetito-dichotomus, ramosissimus, diffusus.

In sylvis humidis, umbrosis hortorum, ad sepes, sat frequens et copiose. Floret ab initio Junii; fine Aug. flores ultimi cum fruct. dudum maturis. ♂ est, numquam primo disseminationis anno florens.

Hist. spec. In locis udis circa Petropolim, primo vere (Amman mss. 1735, n. 44, ex syn. J. Bauh., sed florendi tempus haud convenit); in sylvosis, humidioribus locis, una cum *Stellaria Holostea* frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 71 sub *Arenaria trinervia* L., ut seqq.); in sylvis humidis frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 105, n. 298; ed. ross. I, 1801, p. 303, n. 310); in sylvis humidis prope Gatschinam! et in cultis Murinae (Weinm. Pawl. 1824, p. 209); ubique (Turcz. 1825, n. 295); in sylvis umbrosis humidis frequens, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 47, n. 315).

119. *M. lateriflora* Fenzl 1833 = *Arenaria lateriflora* L. 1753 ex planta Sibirica Gmelini.

Petala calyce duplo longiora. Sepala $^3/_4$ lin., ovalia, obtusissima. Pedunculi axillares subbiflori. Folia ovalia, superiora oblonga, obtusa, 1- vel obsolete 3-nervia. Caulis inferne ramosus, ramis simplicibus suberectis.

Petropoli rarissime, scil. in vicinitate urbis ad rivulum Ligowka in fruticetis graminosis sat copiose (Kühlewein ex R. Diatr. Petr. 1845, p. 59) et quotannis fere lecta, nullibi tamen alias hucusque reperta. Floret ab initio Junii; initio Sept. deflorata fruct. haud maturis, forsan pro parte delapsis. ♃.

LXI. ARENARIA (rectius *Alsine* aut *Euthalia* Fenzl).

Arenaria vulgo dicta et C. Bauhino 1620, nec non J. Bauh. 1651 est *Sagina nodosa!* planta vere arenaria. Ruppius, quem generis *Arenariae* auctorem dixit Linnaeus, 1718 sub *Arenaria* non solum plantam Bauhinorum (*Saginam nodosam*) intellexit, sed etiam *Sper-*

gularias, *Möhringiam trinerviam*, *Arenariam serpyllifoliam* et *Spergulas* utrasque. *Arenaria* Linnaei fere idem est genus ac Ruppii, demtis *Spergulis*, quibus *S. nodosam*, eheu! typum *Arenariae* infauste adnumeravit. Reformatum est sensim genus Linnaei ab auctoribus, *Alsinem*, *Spergulariam* et *Möhringiam* segregantibus et limitantibus, ita, ut *Arenaria serpyllifolia*, planta haud vere arenaria, typus hodierni generis facta sit.

120. *A. serpyllifolia* L. = *Alsine serpyllif.* Crantz = *Arenaria multicaulis serpyllifolia* Ruppius 1718! = *Alsine minor multicaulis* C. Bauh. 1623 = *Alsine minor* Fuchs 1542! Dodon. 1553.

Caules semipedales vel minores, dichotomo-ramosissimi. Folia ovata acuminata sessilia, 2 lin. vel minora, firma. Pedunculi solitarii axillares flores subaequantes, infimi 3—4 lin. Sepala lanceolata acuminata, petalis ovalibus sesquilongiora, 1—2 linealia. — Variat magis glandulosa et γ tenuior Koch Syn. Fl. Germ.; hic vero non semper distingui possunt a forma typica.

In argillaceis, agris, siccis, secus vias, in ruderibus fere ubique copiose. Floret et fructif. initio et medio Junii; capsulae seminibus maturis refertae propter firmam herbae compagem usque ad medium Sept. persistunt. ⊙.

Hist. spec. Ad viam regiam prope Strelnam (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 72; difficile intelligitur adnotatio in Cod. Krasch. a Gorter omissa „nostra flore est rubro, corolla calyce paulo longiori", nam *Spergularia rubra* sequitur sub n. 415 ibidem); in arvis siccis et ad vias, uti ad viam regiam prope Strelnam (Sobol. Petrop. 1799, p. 105, n. 299; ed. ross. I, 1801, p. 304, n. 311); in hortis, arvis et ad muros frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 209); inter segetes et in siccioribus ad montes Pulcowo! et Duderhof! (Turcz. 1825, n. 294); ubique in locis cultis et ruderatis, Majo ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 47, n. 316).

LXII. AMMADENIA.

Nomen ex ἄμμος (arena) et ἀδήν (glandula), propter glandulas nectariferas florum magis ac in ceteris insignes, selegit et genus *Ammodenia* in Flora Sibirica manu scripta omnium primus constituit J. G. Gmelin, quod a S. G. Gmelino (jun.) operis posthumi editore, in Vol. IV, 1769 memoratum quidem, sed rejectum et postea oblivioni traditum fuit, donec in Fl. Samoj. 1845 resuscitavi et in integrum restitui. In genere admittendo, magis vero in nomine seligendo auctores summopere dissentiebant. Ehrhart, discipulus Linnaei egregius, propter „nectarium, quod maximi fecit natura" (Linné), a. 1788 (in mss. 1783) s. n. *Honkenya* idem genus construxit, quod propter *Honkenyam* Willd. 1793 diversissimam, in *Halianthum* immutavit Fries 1817. *Ammonalia* Desvaux et *Adenarium* Raf. in Desvx. 1818 idem genus est. Differentiam aliam ab *Arenaria* ex capsula trivalvi (jam Buxbaumio visa) posuerunt Ehrhart et Fries.

121. *A. peploides* Rupr. 1845 = *Arenaria peploides* L. — *Anthyllis prior lentifolia Peplios effigie, maritima* Pena et Lobel 1570! ex Portlandia ins. Angliae austr.

Rhizoma crassum longe reptans. Caules vel rami dichotomi procumbentes, pedales aut breviores. Folia sessilia ovata acuta vel elliptica, 8 lin. vel minora, uninervia, glaberrima et valde carnosa. Pedunculi solitarii alares et axillares. Sepala ovata obtusa, $1^1/_2$—2 lin., uninervia. Petala obovata, in ♂ calyce longiora. Capsula 2—3 lin. Semina fere 2 lin., nigra, nitida, laevia, subtilissime punctulata.

In litore arenoso regionis maritimae hinc inde copiosissime, v. g. Dolgoi Noss, Kronstadt, Oranienbaum, Strelna. Floret a medio vel fine Junii saltem ad initium Augusti; fruct. mat. toto m. Augusto et initio Sept. ♃.

Hist. spec. Ingria (Buxbaum pl. Ingr. in Act. Petrop. 1732, p. 270, s. n. *Telephium maritimum Portulacae*

folio); in ripis arenosis circa Strelnam! frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 71 sub *Arenaria pepl.* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ripis arenosis circa Strelnam! et Oranienbaum! frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 104, n. 297; ed. ross. I, 1801, p. 303, n. 309); in litoribus arenosis maritimis, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 209 et Petrop. 1837, p. 47, n. 317); in litoribus maritimis prope Strelna! et Oranienbaum! (Prescott ex Turcz. 1825, n. 296).

⁂ ALSINE.

Ἀλσίνη Diosc. est *Parietaria cretica;* lucos, quos ἄλση nominant et umbrosa loca amat. Et Plinius: *Alsine*, quam quidam *Myosoten* appellant, nascitur in lucis, unde sic dicta. *Alsine* Fuchs 1542 composita est ex *Arenaria serpyllifolia*, *Stellaria media* et *Veronica agresti*. *Alsine* Clus. 1576 est *Cerastium dichotomum*. Dodonaeus 1583 sub *Alsine minima* = *Arenariam serpyllifoliam*, *minori* = *Stellariam mediam*, *repente* = *Cucubalum*, *marina* = *Malachium* (sec. L.), *spuria quarta* = *Cerastium viscosum* aut *triviale*, intellexit. *Alsine tenuifolia* J. Bauh. 1651 est eadem ac Crantzii et typica species hodierni generis *Alsine;* an etiam una alterave species sub *Alsine alpina* in C. Bauh. genuina est? *Alsine* Linné conferruminata est ex *Stellaria media*, *Spergularia segetali* et *Alsine mucronata* L. 1753, quae sec. Fenzl = *Alsine tenuifolia* Crantz. *Alsine* Reichenb. et partim Linné est *Spergularia*.

Nulla species hucusque ex Ingria innotuit. Proxima est *Alsine tenuifolia* (var. grandiflora), Mosquae indicata (M. Bieb.! Fenzl) et *A. verna* Bartl. inter Cholmogori et Pinega lecta (Fl. Samoj.).

LXIII. SAGINA (rectius *Arenaria*).

Saginae nomen, a σαγήνη, cibo ad saginationem idoneo, a Linnaeo infauste selectum pro plantis passeres

vix alentibus (Schübler, E. Meyer). *Sagina Spergula* Lobel et Pena 1570 erat *Spergula arvensis. Saginam procumbentem* Dillenius 1719 *Alsinellam* dixit.

122. *S. procumbens* L. 1755 = *Saxifraga graminea pusilla flore parvo tetrapetalo* Raj. 1688! = *Saxifraga anglicana alsinefolia* Gerard ed. Johns. 1633 (sec. Raj.).

Caulis brevissimus sterilis; rami laterales procumbentes, 4 poll. vel breviores. Pedunculi deflorati nutantes, fructiferi erecti. Sepala obtusa, mutica, 1 lin. Petala calyce dimidio breviora vel nulla. Flos tetramerus. Stam. 4.

In locis cultis, humidis, ad fossas et vias; etiam in arenosis et pratis maritimis, ubique copiosissime. Floret a medio Maji vel initio Junii; fruct. maturi a fine Junii v. prius ad Sept., cum vel sine flor. ♃.

Hist. spec. In pratis, praesertim ubi aquae stagnarunt, et ad radices arborum, locis humidis crescentium passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 26); in pratis montosis et sylvis; Pargelovii, Ossinovae Roschczae et ad segetes Ligovi et Crasnoselii copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 43, n. 129; ed. ross. I, 1801, p. 147, n. 135); copiosissime in pascuis, agris sabulosis humectis (Weinm. Pawl. 1824, p. 76); ubique (Turcz. 1825, n. 124); in locis sterilibus, humidiusculis, agris, pascuis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 21, n. 27).

Observ. 1. *Sagina apetala* L. indicata fuit Petropoli, in ins. Golodaja, prope coemeterium Smolensk (Mertens fil. ex Turcz. 1825, n. 125). Anne forma apetala erecta *S. procumbentis* erat? Ceterum genuina *S. apetala* Arduino 1764, Linné, pro Ingria possibilis est, nam e Livonia jam innotuit. Dignoscitur radice annua, caule erecto, foliis ciliatis, pedunculis defloratis semper erectis, calyce minori.

2. *Sagina erecta* L.: ad ripam lacus Pargelovii, ad rivulos Dranici, tum circa urbem Jamburgum et multis aliis locis humidis declivibus; fl. Jun. (Sobol. Petr. 1799,

p. 43, n. 129; ed. ross. I, 1801, p. 148, n. 136); circa urbem Jamburg (Boeber ex Georgi 1790, p. 60, n. 124). Certe erronea. *Mönchia erecta* in tota Scandinavia et imperio rossico desideratur. Num *Stellariam gramineam* unifloram et angustifoliam conjicere licet?

** SPERGELLA Rchb. 1832.

123. *S. nodosa* Fenzl 1833 = *Arenaria nodosa* Wallr. = *Spergula nodosa* L. = *Arenaria* J. Bauh. 1651 c. ic.! ex Ulm = *Alsine nodosa germanica, alias Arenaria* C. Bauh. 1620! e Scotia Cargillus misit s. n. *Arenaria*.

Petala 2 lin., late ovata, calyce subduplo longiora. Flos pentamerus. Stam. 10. Folia superiora brevissima, axillis minute fasciculiferis. — Hic rarissime ex toto glaberrima, fere semper glandulis ± obsessa, quare *Spergula glandulosa* Besser 1809 ne varietate quidem distingui potest et sane quaeritur, anne haec potius Linnaei vel Bauhinorum planta typica fuerit.

In arenosis humidis ad ostium Newae et litus marinum; etiam in uliginosis turfosis regionis demissae et elevatae, hinc inde, copiose. Floret a medio Junii ad initium Sept.; fruct. mat. a medio Julii. ♃.

Hist. spec. Ad radices montium Duderhofii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 75 sub *Spergula nodosa* L., ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis montosis, uti in monte Pulcovo, Pargelovii, circa urbem Sophiam et Gatczinam atque ad ripam fl. Ochtae prope fabricam pyriam (Sobol. Petr. 1799, p. 109, n. 313; ed. ross. I, 1801. p. 317, n. 325; addito loco ex Krasch.); in pratis humidis turfosis non rara (Weinm. Pawl. 1824, p. 213); ad viam Lachtensem et alibi (Turcz. 1825, n. 309); in prat. humid. turf.; β *glandulosa* Bess. in turfosis semiexsiccatis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 49, n. 334).

Obs. *Spergula laricina* Sobol.: circa Petropolim in pratis humidis argillosis duris, uti pr. Ligovo, Goreloy-Cabac et in urbe circa nosocomium terrestre et

maritimum, Jun. Jul. flor. (Sobol. Petr. 1799, p. 110, n. 314; ed. ross. I, 1801, p. 318, n. 326) certe non est homonyma Linnaei; ex descriptione apud Sobol. l. c. videtur forma magis glandulosa *Saginae nodosae.*

LXIV. SPERGULA,

a spargere, quia caules debiles et rami squarrosi undique se in terram spargunt (Matth., Sylvat., Schübl.), vel forte potius a nomine germanico *Spark*, *Spergel*, Brabantis *Spuerle*, recentioribus! *Spergula* teste Dodon. 1553). Genus *Spergula* Linnaei compositum est ex *Spergula* Dodon. (*arvensi*), *Spergellis* Rchb. (*Sagina nodosa* et *Linnaei*) et *Alsine laricina.*

124. *Sp. arvensis* L. = *Spergula* Dodon. 1553 c. ic. opt!

Semina lenticularia, fere aptera. Folia supra convexa, infra sulco exarata. Stam. 10, rarissime 5. — Sub hoc titulo forsan plures species a Boenninghausen 1824, Reichenbach et imo rusticis in Germania dudum distinctae, culturâ non mutandae, characteribus tamen ulterius illustrandae, comprehenduntur.

α. *Sp. vulgaris* Bönngh. Semina $^1/_4$ lin., papillis albis denique brunneis obsessa. Nodi plerumque tantum 4 et herba saepe viscida (Weihe). Reliquis rarior: Petropoli (Borszczow!); medio Junio fr. mat. cum fl. ultimis.

β. *Sp. sativa* Bönngh. Semina $^1/_2$ lin., atra, laevia, subtilissime punctulata. Capsula matura quidem fissa, sed semina retinens. Inter segetes, m. Julio c. flor. et fr. mat. — Hujus forma: pentandra, nodis 3 (nec 5), saepe humilior, magis glandulosa, adest in arenosis maritimis ins. Kronstadt et pr. Peterhof, a fine Junii ad init. Sept. florens et fructifera; an *S. refracta* Detharding, e marit. Megapolit., quae pariter teste Reichb. culturâ constans (conf. R. Diatr. Petr. 1845, p. 60).

γ. *Sp. maxima* Weihe, Bönn. Semina ut in α *vulgari*, sed 2—3 plo majora, $^2/_3$ lin. Planta altior, plerumque glabra, nodis 9 (Weihe). Vulgatissima in cultis,

ruderibus et arenosis; a fine Junii saltem, usque ad init. et med. Sept. c. flor. et fr. mat.

Qualis ex his planta Linnaei typica fuerit, non liquet; cel. Reichenb. in *S. sativa* quaerit, specimen Upsaliense Ehrharti erat *S. vulgaris*.

Hist. spec. *S. arvensis* Fl. Petr. Passim ad vias et in hortis oleraceis, frequens, nec a locis arenosis abhorret (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 74); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in arvis et hortis oleraceis ac locis arenosis frequens, fl. Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 109, n. 318; ed. ross. I, 1801, p. 316, n. 324); in agris et hortis ubique (Weinm. Pawl. 1824, p. 213 ; inter segetes, v. g. ad viam Lachtensem (Turcz. 1825, n. 308); in cultis et ruderatis ubique *S. vulgaris;* in cultis *S. maxima*; aestate (Weinm. Petrop. 1837, p. 49, n. 332 et 333). ⊙.

Observ. *Spergula pentandra* L. in tota Fennia australi maritima copiosissime crescit et ad urbem Wiburg usque accedit (R. Diatr. 1845, p. 22). Facile dignoscitur: seminibus complanatis, versus peripheriam papilloso-scabris, ala dilatata radiato-striata cinctis; floribus pentandris, foliis subteretibus, brevioribus, arcte fasciculatis et glabritie.

LXV. SPERGULARIA.

Genus sub hoc nomine optime circumscriptum, *Arenarias* stipulatas comprehendens, proposuit Persoon 1805, receperunt Presl 1819, Cambessedes (qui 1827 plurimas species exoticas addidit, sed infauste *Spergulam arvensem* admisit) et Fenzl. Posthac 1812 Haworth *Stipulariam* dixit. *Lepigonum* Fries, quantum liquet, non ante a. 1817 indigitatum, in *Lepidogonum* mutatum a Wimmer et Grabowsky. Genus quidem Adanson 1763 suboluit, sed nimis temere e staminibus 10 vel 5, seminibus alatis v. apteris, duplex proposuit (***Buda*** et *Tissa*), ut neutri jus prioriatis tribui possit. Ultimus forsan generis adversarius erat Koch 1837.

125. *Sp. rubra* Pers., Presl. = *Arenaria rubra α campestris* L! = *Arenaria campestris fl. purpureo-*

coeruleo Rupp. 1718! = *Spergula purpurea* J. Bauh. 1651 c. ic.! = *Alsine Spergulae facie* s. *Spergula major flosculo subcoeruleo* C. Bauh. 1620!

Semina cuneiformi-triquetra, tumida, fusca, scaberula, omnia aptera. Calyx 2 lin., eglandulosus, capsulam aequans. Petala rubra, 1 lin. Stam. 10. Pedunculi fructiferi capsulâ 2 v. 6 plo longiores. Folia lineari-filiformia, plana, mucronata, internodiis breviora, axillis dense fasciculifera. Stipulae ovato-lanceolatae, longe cuspidatae, saepe ad medium fissae, fere 2 lin., crebrae, imbricatae, fasciculos axillares involucrantes, exteriores subternae, basi haud vaginato-connatae. Rami teretes.

In arenosis, exaridis, secus vias, in plateis, ubique copiosissime; sed pariter in litore marino v. g. inter Peterhof et Oranienbaum, Dolgoi Noss, nullo charactere a typica recedens. Floret et fructif. ab initio Junii, saltem usque ad finem Augusti. Evigilat mane inter horam 9—10, obdormit inter 2 et 3 (Linné). ⊙.

Hist. spec. Petropoli (Deschisaux 1725, p. 9 obiter: *Alsine Spergula dicta*, aut *Spergulae facie*, *flore purpureo*); circa ostium fl. Strelnaja!, in locis arenosis non infrequens; in superiori regione Newae in ripis arenosis vulgatissima planta est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 72 sub *Arenaria rubra* L. ut seqq.); in praedio ill. comitis Petri a Czernischew, ad 17 werstam viae regiae Peterhofianae (Gorter Append. 1764); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ripis arenosis Newae fluv. et ad margines sylvarum in montosis, uti Pargelovii!, in m. Poclonnaja atque Petropoli in ambulacris hortorum saepius occurrit (Sobol. Petr. 1799, p. 105, n. 300; ed. ross. I, 1801, p. 304, n. 312); prope Sophiam in arenosis rarissime, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 210); ubique (Turcz. 1825, n. 292); in locis arenosis siccis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837; p. 47, n. 318).

Obs. Videant, an quoque adsit in humidioribus et marinis *Sp. rubra* β *pinguis* Fenzl in Ledeb. Stam. saepe 5 v. pauciora. Foliorum axillae subnudae vel laxius fasciculiferae; folia crassiora semiteretia; stipulae saepe integrae,

126. *Sp. salina* Presl 1819!! (semina in descr. scabriuscula, in spec. orig. laevissima!, paucissima alata) a Koch et Rchb. rite citata, (non *Lepig. salinum* Fries 1842) = *Spergularia media α. heterosperma*, lus. 1 Fenzl in Ledeb. (ex descr.!), vix Pers. 1805 = *Lepigonum medium* Fries herb. norm. Suec!!, Koch 1843 (ex descr.), at vix *Aren. media* L. (semina alata et flores albos poscit), Dec. aliorq. = *Alsine marina* Rchb. exs. n. 477!! quae exactissime *Arenaria marina* Roth! Wallroth! (sem. ambitu minutissime scaberula!), non *Aren. rubra* β *marina* L. = *Spergula maritima flore parvo coeruleo semine vario* Dillen. 1719 (pro parte, sc. forma sem. plerisque non alatis) ad salinas Naunheimenses in Wetteravia.

Semina obovato-rotundata, compressa, embryone elevato marginata, rubro-fusca, (in nostra) laevissima, *S. rubrâ* majora, infima paucissima alata. Calyx $1\frac{1}{2}$ lin., rarius 2 lin., basi glandulis 5 nigris, capsulâ (2- rarius 3-lineali) distincte brevior. Petala incarnata, $1-1\frac{1}{4}$ lin. Stam. 4, 5. Pedunculi fructiferi capsulam aequantes, horizontaliter infracti, dein erecti. Folia carnosa, linearia, semiteretia, submutica, internodiis saepe longiora, axillis nuda. Stipulae late triangulares, truncatae, mucronatae, apice suberoso-dentatae, 1 lin., rarae, basi in unam vaginato-connatae. Rami compressi.

β. *tenuior:* calyx eglandulosus; pedunculi fructiferi tenuiores, infimi refracti capsulâ $1\frac{1}{2}-2$ plo longiores; semina saepe omnia aptera, paulo minora, sed omnino hujus speciei. Passus ad *S. rubram* β *pinguem* Fenzl.

In litore marino prope Oranienbaum (Prescott ex Turcz. 1825, n. 293 sub *Aren. media* L. quae vix erit); in locis turfosis, humidis, succulentis, maritimis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 47, n. 319 sub *Aren. marina* Roth); in litore marino et ruderibus ins. Kronstadt copiose, flor. et fruct. m. Aug. et init. Sept. — *var.* β in umbrosis humidis ins. Basilii, m. Jul. flor. cum caps. mat. (Bongard! in herb. Acad.). ⊙.

Obs. Spergulariae: rubra et *salina* heic ad characteres datos quam maxime adstrictae sunt, nec tertiam speciem in Fennia australi maritima invenire potui, ubi *S. salina* saepe submersa occurrit, sed neque in extimis insulis capsulas seminibus pluribus alatis refertas enititur. Valde igitur dubito, in Ingriae maritimis inveniri posse *Sp. mediam* Pers. (L., saltem Wallr.! sub *Arenaria*) = *marginatam* (Dec. 1808! Rchb.! Koch), modo si haec ex duabus speciebus composita sit, ut cel. Fries et mihi, plures imo suspicanti, videtur. Huic semina plurima vel omnia alata; capsula 3—4 lin. calyce eglanduloso et pedicello distincte vel duplo longior; petala pallide rosea v. albida 2 lin., herba robustior et succosior, superne plerumque magis pubescenti-glandulosa, radix perennans.

Fam. XIV. ALSINASTREAE.

Charact. Flos ☿, regularis, isomerus, 3—4, in *Bergia* 5-merus; i. e. calycis laciniae, petala, styli et ovarii loculi 3, 4 v. 5. Calyx aestivatione imbricatus, fissus v. partitus. Petala calyci alterna, aestiv. imbricata. Stamina hypogyna, libera, numero petalorum duplo, rarius simplici in floribus trimeris. Capsula ad suturas dehiscens (Endlicher), loculis ∞ spermis. Placentae centrales. Semina exalbuminosa, costis longitudinalibus et lineis transversis exarata (ut in plur. *Hypericineis*). Embryo rectus vel cum semine curvatus. — Herbae ⊙, paludosae, plerumque minutae. Folia opposita v. verticillata, integra. Stipulae hyalinae, dentatae v. incisae, fugacissimae (interdum nullae?). Flores solitarii axillares.

Affinitas. Familia e generibus *Alsinastrum*, *Bergia* et *Merimea* composita, ab *Alsineis*, quibus mediante

Spergularia valde accedit, diversa: stigmatibus capitatis, dehiscentia capsulae et absentia albuminis. Ab *Hypericineis* placenta centrali, capsulae dehiscentia dorsali et defectu substantiae resinosae v. oleosae deflectit. *Lythrarieae*, habitu interdum similes, holostyles sunt et petala, nec non stamina calyci inserta offerunt. Ab omnibus his familiis insuper stipularum praesentia *Alsinastreae* abhorrent.

Qualitates ignotae, *usus* nullus.

LXVI. ALSINASTRUM,

quasi planta ad *Alsinem* accedens, Tournefortio 1719 (nisi jam 1700) genus omnino novum erat, cujus species 3 sub eodem nomine generico apud Vaillantium 1727 candide illustrantur. Paulo post (1728) Buxbaum 2 plantas hujus generis exhibuit, quarum altera: *Potamopytis* plene cum *Alsinastro* Tournefortii coincidit; altera: *Hydropiper*, a fructu piperiformi sic dicta, stirpem refert Astrachanensem, vix tuto pro *A. gyrospermo* cognoscendam. Linnaeus, opus Vaillantii ignorans et nomina Buxbaumii rejiciens, in Fl. Lapp. 1737 et serius quoque *Elatine* dixit. Sed ἐλατίνη Diosc. = *Elatine* Plin. est *Linaria Elatine* L. vel potius *L. graeca*, unde genus *Elatine* C. Bauh., Dillen. et Ruppii historice fundatum et idem fere ac *Linaria* Tournef. et patr. esse liquet.

127. *A. gyrospermum* (Düben 1839) = *E. Hydropiper* Oeder 1764 ic. opt.! Schkuhr! et Recent., non Linné, qui omnes species foliis oppositis, nec non floribus sessilibus et pedunculatis donatas, v. g. *majorem* et *hexandram*, jam a Vaillantio nitidissime distinctas, hoc nomine conferruminavit.

Semina subcirculariter curvata, cruribus ad sinum membranâ hyalinâ connexis, ad hilum truncata et conico-

apiculata, laeviuscula. Flores sessiles ut in omnibus specc. Ingricis. Calyx 4 fidus. Petala 4, supra rosea. Stam. 8. Folia late v. anguste ovalia, adulta petiolo breviora, 1—2 linealia. Stipulae obscurae. Caules longe et late reptantes, ad quemlibet fere nodum radiculosi, internodiis non raro 3 lin., foliis suberectis. Variat pusilla.

Ad ostia Newae fluvii copiosissime, etiam alibi et in isthmo Kareliae pr. Lembalowa; submersum. Ab initio Julii ad Augustum c. flor. et semin. maturis. ⊙.

Hist. spec. In ripis Newae! fl. inter *Subulariam* et *Scirpum acicularem!* (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 62, s. n. *Elatine Hydropiper* L. ut seqq.; ex syn. Buxb. et loco huc, nisi ad *A. callitrichoides*); in ripis Newae fl. et in fossis exsiccatis (Sobol. Petrop. 1799, p. 94, n. 268; ed. ross. I, 1801, p. 283, n. 280); in aquosis horti Imperialis Gatschinensis (Weinm. Pawl. 1824, p. 190 et in Linnaea X, 1836, p. 223, ubi affert, hoc loco ad margines lacus a. 1817 non rarum, sed pluribus annis subsequentibus frustra quaesitum fuisse); in paludibus ad viam Lachtensem, in insula Crucis ad ripas rivuli, in innundatis pr. Catherinhof! (Turcz. 1825, n. 263); in locis innundatis arenosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 43, n. 285).

128. *A. orthospermum* (Düben 1839, saltem Fries 1842! et Summa Veg. Scand. p. 161!).

Semina leviter arcuata vel subrecta. Calyx 4 fidus, lobis utrinque dentatis. Petala, stam. et folia, ut in *A. gyrospermo* simillimo. Semina paulo longiora, $^3/_{10}$ lin., ceterum non diversa. Propter sepala dentata videtur etiam *E. spathulata* Gorski in Eichw. 1830, at semina non descripsit; petala flavescentia s. potius albida in floribus clandestinis submersis saepe obveniunt. *E. serpyllifolia* Gilib. 1792 est immutatio nominis Linnaeani ad normam Vaillantii, sc. *E. Hydropiper* sensu latiori.

Ad ostium Newae fl., v. g. portum triremium, ubi cum *A. gyrospermo* et *callitrichoide* mixtim provenit (Kühlewein ex R. Petrop. 1845, p. 57 s. n. *E. ortho-*

sperma Düb., excl. aliis locis ad seq. speciem novam referendis). Augusto m. flores cum fr. mat. ⊙.

129. *A. callitrichoides** = *E. triandra var. callitrichoides* W. Nylander 1851! ex specim. Quantum ex herbariis cognoscitur, videtur *E. triandra* Rchb. Fl. germ. exsicc. n. 1062 et evidentius *E. triandra* Fries herb. norm. Suec. VI.

Semina recta v. leviter arcuata, distincte rugulosa, $^1/_5$ lin. longa, utrinque rotundata. Flores saepe clandestini; olim in vivo adnotavi tetrameros roseos et stam. 4 petalis opposita cum 5to v. 6to ad basin unius alteriusve sepali. Folia oblongo linearia, pellucida subsessilia, 6 linealia v. breviora, apice et margine ad fines venarum retusa. Stipulae ovatae, acuminatae, subdentatae, hyalinae, albidae. Caulis, quam in praecedentibus duplo crassior ($^1/_2$ lin.), suberectus, 2—3 pollices longus, internodiis non raro 4 lin. — Variat *minor*, caule pollicari, internodiis brevioribus, foliis 2 lin. Huic var. valde simile est *A. americanum* (Pursh) Torr. et Gray, ex seminibus, consistentia et margine foliorum retuso, nec non caule crasso; foliis tamen magis ovalibus in sicco differt et 2-, rarius 3-merum describitur. Species haec saltem multo affinior nostrae, quam *A. triandrum*.

Ad ostia Newae fluvii et in aqua stagnante isthmi Kareliae pr. Lembalowa copiosissimum et submersum, comite *A. gyrospermo*. Initio Augusti m. c. flor. et fruct. maturis. ⊙.

130. *A. triandrum* (Schkuhr 1791 c. ic. opt.!).

Semina leviter arcuata, ad hilum rotundata, $^1/_4$ lin. longa, distinctius rugulosa. Calyx bifidus. Petala 3, (etiam in sicco) roseo-purpurea. Stam. 3. Folia oblonga subsessilia, 1—2 lin., opaca, in sicco supra punctato-scabra. Stipulae in geniculis supremis evidentes, ovato lanceolatae, dentato incisae, roseae. Caules abbreviati, ramosissimi, terrae adpressi, bifariam foliati, internodiis brevissimis, raro 1 linealibus. Flores sat conspicui, diutius persisten-

tes, ex cel. Reichenbach oppositi, sed in nostris specc. loco floris secundi fere semper ramulus invenitur. Capsula arcte sessilis, ut in omnibus specc. Ingricis. Specimina examinavi viva, perfecte cum icone Schkuhrii et aliis in Bohemia prope Stirshin a me repertis, congrua.

In limite lacus Ladogae et Newae fluvii, extra aquam in terra limosa (R. Petrop. 1845, p. 57 s. *E. triandra* Schk.). Fine Julii florens cum fruct. maturis. ⊙.

⁜ *Alsinastrum galiifolium* (Tournef. Vaill.) = *Ericoides, facie pinastellae* Rupp. ed. Haller 1745! = *Elatine Alsinastrum* L., foliis floribusque verticillatis, in Ingria indagetur. Reperta jam est in Fennia australi inter Borgå et Lovisa (W. Nylander).

Fam. XV. HYPERICINEAE.

Char. Cal. 5 sepalus v. 5 partitus, saepe inaequalis, aestivatione imbricatus et sinistrorsum tortus. Corolla regularis; petala 5, aestivatione contorta, in *Ascyro* L. petala 4. Stam. ∞, libera v. in fasciculos 3, 5 basi coalita; antherae introrsae, versatiles, interdum apice glandulâ instructae (ut saepe in *Rutaceis*). Capsula, rarius bacca. Placentae connatae, valvulis delapsis, sub facie columnae alatae persistentes et sic pseudocentrales, in aliis evidenter parietales. Semina exalbuminosa; embryo rectus. — Flores aurei v. flavi. Folia saepe opposita, simplicia, frequenter pellucido-punctata.

Affin. *Hypericineae* inter familias indigenas maxime *Alsinastreis* accedunt, arcte etiam *Rutaceis;* remotior est cum *Cistineis* et *Droseraceis* affinitas.

Qualit. et usus. *Hyperici* species, propter virtutem amaro-balsamicam modice adstringentem olim in officinis

erant. Oleum *Hyperici vulgaris* coctum in arthritide commendatur; herba trita, praecipue summitates florentes, odoris aromatico-resinosi, saporis balsamici et amariusculi, colore rubro tingit. *Hypericum quadrangulum* minoris dignitatis.

LXVII. HYPERÍCUM.

Ὑπέρικον Hippocr., Diosc. = *Hypericon*, quod alii *Chamaepityn*, alii *Corion* apellant (Plin. ex Graecis), est *H. crispum* L. Distinxerunt etiam veteres ἀσκύρον et ἀνδρόσαιμον. Cunctas has plantas C. Bauhinus generi *Hyperico* suo subsumsit, separato solum *Cori*. Tournefortio *Ascyrum* pentagynum, *Hypericum* trigynum et *Androsaemum* baccatum erat. Linnaeus in genus *Hypericum* coadunavit, recentiores tamen *Androsaemum* iterum admittunt.

Char. gen. Semina aptera. Styli, capsulae loculi et valvae 3, vel in extraneis 5. Stam. ∞, 3- v. in exoticis 5-delpha, glandulis inter phalanges nullis. Species Ingricae calycem 5 sepalum regularem et sepala margine integerrima offerunt.

131. *H. vulgare* Trag. 1552 c. ic.! C. et J. Bauh., Linné 1737! = *H. perforatum* L. 1753 (etiam imperforatum obvenit) = *Hypericum* Brunf. 1536, Fuchs 1542, Matth. et plur. = ἀσκύρον Diosc. (teste Fraas), Dodon. 1553!

Caulis anceps. Folia ovali-oblonga, pellucide punctata. Sepala lanceolata, acutissima. Capsulae apertae valvula 4 lin., stylo duplo longior, ad latus costae dorsalis fasciis 2 dorsalibus parallelis. — Variat: 1) angustifolium, fere impunctatum (gubern. Nowgorod pr. Tuchali: Eichwald!); 2) sepalis obtusis paulo latioribus (Pargola: Kühlewein!).

In pascuis siccis et locis declivibus apricis regionis elevatae copiose v. g. ad montes Duderhof, in regione

Gatschinensi ab Arbonje ad Kaskowa; etiam circa Lapuchinka, Lissino, Jamburg et Narwa; rarius et paulo recedens in isthmo Kareliae et vix in regione demissa Petropoli. Floret medio v. fine Julio et m. Aug.; fruct. mat. a medio Aug. ad autumnum, non raro vero in aestatem sequentem perdurant. ♃.

Hist. spec. H. vulgaris s. *perforati* Florist. Petrop. ad Sobol. nisi Weinm. usque dubii et ex locis citatis potissimum ad *H. quadrangulum* spectantis. Ubique a Petropoli usque ad Bronnitz, flor. m. Aug. (Gmel. mss. 1733, n. 55, ex syn. C. Bauh.); in insula apothecaria, m. Jun. (Amman mss. 1735, n. 42, ex synn. C. et J. Bauh.); in insula cui a rotunditate nomen est, frequens; ad fl. Luga admodum copiose (Kraschen. ed. Gort. 1761, p. 118 s. *H. perforato*, ut omnes seqq. — addidit Gort.: passim circa Petropolim in agris et sylvis); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in insula rotunda frequens; in pratis sylvaticis, nemorosis insularum apothecariae, lapideae et in monte Poclonnaja copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 177, n. 486; edit. Ross. II, 1802, p. 104, n. 500); in pratis elevatioribus et in fruticetis satis frequens, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 359); ubique (Turcz. 1825, n. 454); in pratis et pascuis siccis, Jun. — Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 74, n. 491).

132. *H. quadrangulum* L. Fl. Suec. = *H. vulgaris* minor species caule *quadrangulo*, fol. non perforatis C. Bauh.! (specc. solito minora) = *Hypericon* in dumetis caule *quadrangulo* Trag. 1552! = *Ascyrum* Fuchs 1542! Matth. s. *Ascyron* Dodon. 1583!, nec 1553 et vix Diosc.

Caulis quadrangularis. Folia ovalia, impunctata vel punctis raris magnis inspersa. Sepala ovata v. ovalia, obtusa. Capsulae apertae valvula 3 lin., stylo duplo longior, dorso multistriata.

In pratis, utplurimum depressis, udis, inter virgulta, frequens et copiose, praecipue in regione demissa Petropoli. Floret a fine Junii; fr. mat. initio Sept. vel prius. ♃.

Hist. spec. Koirowa (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764, p. 202); Pargelovii!, in monte Poclonnaja et Ossinova Roscza, in pratis humidis, submontanis, uti circa Colodeci! et ad montem Pulcovo! ejusque viciniis copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 177, n. 485; ed. ross. II, 1802, p. 103, n. 499); in montosis Pulcovae! et in pratis siccis districtus Jamburgensis, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 359); ubique (Turcz. 1825, n. 455); in sylvis siccioribus et pascuis elevatis montosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 74, n. 492).

Adnot. 1) *H. orientale* L. ex Ingria (Georgi 1800, p. 1199, n. 3) erroribus adnumerandum; trans Caucasum primum obvium. Neque aderit in Ingria: 2) *H. hirsutum* L. calycibus margine glanduloso ciliatis et hirsutie distinctissimum, quod indicatum fuit in Ingria (Georgi 1790, n. 459); in locis montosis apricis, uti Pargelovii et Ossinovae Roschzae, flor. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 178, n. 487; ed. ross. II, 1802, p. 106, n. 501). Deest in Esthonia, nec non in Livonia media et orientali.

Fam. XVI. PARNASSIEAE.

Charact. Sepala 5, basi cohaerentia. Petala 5. Parapetala 5, in setas 3—15 apice glanduliferas fissa, petalis opposita et cum staminibus 5 fertilibus alternantia. Antherae extrorsae. Stylus 0. Stigmata 4 sessilia. Capsula 1 locularis, apice 4 valvis, valvulis medio incomplete septiferis; placentae parietales septis affixae, ∞ spermae. Seminis exalbuminosi testa reticulata laxa (ut in *Swertia*); embryo rectus. — Motum staminum sub foecundatione primo observavit Linné 1747 in *P. palustri:* sub florescentia germen apice perforatum est, stamina tum

alternantia antheram foramini imponunt, explodunt pollen, recedunt ad corollam, reliquis pari modo succedentibus.

Affinitas. Familiam ex solo genere *Parnassia* constituit E. Meyer 1839. In systemate naturali *Parnassia* diu huc illucve jactata est, uti ad *Saxifrageas*, *Tamariscineas*, *Sauvagesieas* (tum parapetala pro glandulis hypogynis valde evolutis explicata), *Gentianeas* pone *Swertiam* (Rchb.), ad *Resedaceas* (quibuscum stigmatibus apparenter supra placentas parietales positis conveniunt); ad *Droseraceas* et quidem a plurimis et gravissimis botanicis, praecipue propter faciem *Dioneae* et semina parietalia scobiformia; at forte major adest cum *Hypericineis* affinitas propter parapetala phalanges staminum polyadelphorum sterilium referentia et semina exalbuminosa; propter antheras extrorsas tamen difficiliter conjunguntur.

Vires. *Parnassiae palustris* herba amara et modice adstringens, olim officinalis. In Suecia cum cerevisia ob virtutem stomachicam coquitur.

LXVIII. PARNASSIA.

Gramini densius ramulosi (aut potius multicauli), quod in Parnasso monte provenit, folia hederacea, florem candidum odoratum, semen parvum, radices 5—7, digiti crassitudine, candidas, molles et admodum dulces tribuit Dioscorides. Semen vehementius urinam impellit, sed alvum vomitionesque sistit. In Italia non gigni, Plinius adjecit; et revera *Parnassia* nostras in australioribus frigus montium editiorum petit, ut in Apenninis et Olympo solum proveniat. Dodonaeus similitudinem non exiguam, etiam quoad vires, at diversitatem ex radicibus

Parnassiae neque crassis neque candidis agnoscit, et pro legitima non habet. Gesnero 1561 et 1587 *Enneadynamis* Polonorum et *Unifolium palustre;* at *Enneadynamis* Ruppio est *Anthyllis Vulneraria. Parnassia* Tournefortio et Linnaeo perfacile genus.

133. *P. palustris* (Tournef.) Linné = Gramen *Parnassi* Gesner 1561! Lobel! C. Bauh. s. *Gr. Parnasium* Dodon. 1583 ic. opt.!

Scapi radicales 1—4, digitales v. pedales, unifoliati, uniflori. Folia radicalia cordata, caulinum amplexicaule. Sepala ovata acuta. Petala cordata unguiculata, alba, venis aquosis apice non anastomosantibus, 3—6 linealia, calyce duplo majora. Parapetala flavo-viridula, 9—13 seta, stamina effoeta subaequantia.

In pratis humidis, turfosis, hinc inde. Flores, autumni nuntii, foeniseciuin indicant (Linné): hic primi adparent medio Julio vel in maritimis initio Augusti et mense elapso fructus maturi. ♃.

Hist. spec. Ad fluv. Strelna in sylvis humidis passim, ut et ad oras ductus aquarum; floret circa medium Julii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 47; omissum est ex Codice Krasch., jam Junio m. 1752 floruisse); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in udis muscosis ad viam Wiburgensem, ad fl. Strelnaja et passim ad ductus aquarum et margines sylvarum (Sobol. Petr. 1799, p. 76, n. 215) et ad viam Peterhofianam! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 238, n. 208); in paludosis et in pratis humidis, flor. Aug. Sept. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 23, tab. VIII); in pratis et fruticetis humidiusculis (Weinm. Pawl. 1824, p. 147); in pratis humidis ad viam Peterhofianam!, ad montem Duderhof! (Turcz. 1825, n. 208); in graminosis, turfosis, humidiusculis (Weinm. Petr. 1837, p. 33, n. 221); in territorio proximo urbis: ad ecclesiam Mitrofan, pr. Tentelewa et in ins. Gutujew (Borszczow!).

Fam. XVII. EUPHORBIACEAE.

Charact. Flores unisexuales, saepe apetali. Calyx inferus, divisus vel 0. Petala (in exoticis) cum sepalis alterna, in nostris 0. Mas: stamina in centro floris inserta vel sub rudimento pistilli; filamenta libera v. connata; antherae biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Foemina: stigmata discreta; ovarium (capsula) liberum, 3-, rarius 2- v. ∞ loculare, loculis circa placentam centralem verticillatis, 1 ovulatis (in *Phyllantheis* et *Buxeis* 2 ovul.), maturitate saepe dorso elastice dissilientibus. Semina pendula, saepissime arillata vel ad umbilicum carunculata. Embryo in axi albuminis aequilongus, orthotropus, radicula supera. — Herbae (in exoticis suffrutices v. arbores), pleraeque lactescentes. Folia alterna v. rarius opposita, saepe exstipulata, interdum nulla.

Affinitas. Familia tropica, in borealibus vix repraesentata, floribus unisexualibus et defectu corollae nec non calycis in plurimis generibus, ad *Monochlamydeas* et *Apetalas* accedit, sed propter corollam subinde manifestissimam et affinitatem summam cum *Rutaceis* aliisque familiis huc relata. Carpidiis circa columnam centralem verticillatis et staminibus saepe coalitis *Malvaceis* paulo appropinquatur.

Vires. Euphorbiaceae succo lacteo, epispastico, corrosivo, venenato scatent; huic virtus purgans, interdum etiam emetica debetur. Inter purgantia in usu et officinis olim erant radix et cortex radicis *Euphorbiae Esulae* L. et offic., nec non *Esulae majoris* (*E. palustris*), herba *E. Peplus* s. n. *Esulae rotundifoliae* et *E. Helioscopiae* succo mitiori refertae. *E. Esulae* (cui

nostra *E. virgata* simillima) succus acerrimus, semina purgant et pisces inebriant. *Mercurialis sylvestris* s. herba *Cynocrambes* odoris nauseosi, vehementius emetico-purgans, simulque narcotica est.

Characteres tribuum et generum nostratium.

Tribus I. EUPHORBIACEAE.

Flores monoici, ♂ et ♀ involucro communi calyciformi v. foliaceo, rarissime petaliferi. Capsula 3-cocca.

LXIX. EUPHORBIA. Flores apetali. Involucrum commune calyciforme, campanulato-turbinatum, 4—5 fidum; laciniae cum glandulis magnis sublunaribus alternantes. Flores ♂ numerosi, foemineum 1 stipantes, monandri, ecalyculati; filamenta cum pedicello articulata; antherae didymae. Flos ♀ longius pedicellatus; calyx obsoletus; styli 3, bifidi. Cocca elastice bivalvia, decidua. — Pedunculi communes plerumque umbellati, basi involucro foliaceo cincti.

Tribus II. ACALYPHEAE.

Flores monoici v. dioici non involucrati, plerumque spicati v. racemosi, apetali. Calyx aestivatione valvatus. Stamina saepe indefinita et libera. Capsula 2—4 cocca.

LXX. MERCURIALIS. Flos ♀: Cal. 3—4 partitus; filamenta 2—3 sterilia; styli 2—3 breves; stigmata indivisa, intus papilloso-fimbriata; capsula 2—3 cocca; semina ovata strophiolata. Flos ♂: cal. 3—4 partitus; stam. 8—∞, filamenta libera, antherarum loculi discreti. — Folia opposita v. alterna, simplicia, stipulata. Flores axillares et terminales, ♂ glomerato-spicati, bracteati, ♀ spicati v. solitarii.

LXIX. EUPHORBIA.

Jubâ in Lybia regnante, εὐφόρβιον Diosc. et Galeni = *Euphorbia* Plinii, hodie *E. officinarum* nisi *E. antiquorum* dicta, in Atlante monte Mauritaniae primum inventa fuit, Theophrasto adhuc ignota. Medici sui nomine sic appellavit rex Juba, Ptolomaei pater, et libellum de *Euphorbia* conscripsit. Species variae patribus sub diversis nominibus occurrunt et genera nimis distincta apud C. Bauhinum: *Euphorbium*, *Tithymalus*, *Pityusa* sive *Esula*, *Apios*, *Peplis*, *Chamaesyce* et *Lathyris*. Tournefort omnia in unum genus: *Tithymalum* collegit, cujus loco Linnaeus *Euphorbiam* substituit, quo nomine patres tantum ad species cactiformes spinosas designandas usi sunt.

§. 1. TITHYMALUS s. *herba Lactaria* Plin. = τιθύμαλος Diosc. (qui 7 species habet) = τιθύμαλλος Theophr. — Involucri glandulae et cotyledones suborbiculatae v. ellipticae. Folia exstipulata (Roeper 1824).

134. *E. Helioscopia* L. = *Tithymalus helioscopius* Fuchs 1542!, Matth. 1554! Dodon. et plur. = *Helioscopios* Plin. cum descr. bona! = τιθύμαλος ἡλιοσκόπιος Theophr. Diosc., sic dicta, quia caput cum sole circumagit: Diosc.

Radix annua. Folia obovato-spathulata, antice serrata. Umbella terminalis 5 fida. Capsula laevis. Semen favoso-reticulatum. — Variat glaberrima, umbella 2—3 fida.

Per totam Ingriam inter segetes (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 76); passim inter segetes, praecipue circa Ligovo et Pulcovo (Sobol. Petr. 1799, p. 112, n. 319; ed. ross. I, 1801, p. 328, n. 331); inter segetes montis Duderhovii, Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 221); ad domos in montosis Duderhofii (Turcz. 1825, n. 313); inter segetes ad m. Duderhov; Oranienbaum etc. Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 87, n. 581); copiose in hortis oleraceis et agris ad montes Duderhof!; parcius et nunc exstincta in rude-

ratis ad ostium Newae fluvii; D. Pugatschewsky ex agris c. Gatschinam. A medio Julio ad autumnum florens cum fruct. maturis. ⊙.

135. *E. palustris* L. = *Esula palustris* Rivini 1691! Rupp. = *Tithymalus palustris* (Caesalp. 1583) *fruticosus* C. Bauh.! Sec. C. Bauh. huc spectat: *Esula major germanica* Pena et Lobel 1570 et *Esula* 2 *major* Trag. 1552, sed neque descriptio, neque icon sufficit.

Radix perennis. Folia sessilia oblonga v. oblongo-lanceolata, subintegerrima v. obsolete serrulata. Umbella multifida. Capsula verrucosa. Semen laeve.

In pratis prope Narvam urbem (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 76; in Codice Krasch. meminit, ex Ingria tantum ab alio inventam accepisse; locus Narwa a Gortero subditus est); in pratis paludosis insulae lapideae ad ripam occidentalem fluvii et circa montem Duderovium; fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 112, n. 320; ed. ross. I, 1801, p. 329, n. 332; additur locus Narwa ex Gorter); in paludibus maritimis, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 222); in sylva paludosa ad viam Peterhofianam, prope praedium Com. Szczerbatow et in insula Krestowsky (Turcz. 1825, n. 315); in pratis paludosis prope Strelnam: D. Prescott; Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 87, n. 580); copiose in pratis maritimis, nec non in fruticetis humidis et ad latera fossarum âd viam Peterhofianam pr. Ulianka, altitudine 3—4 pedali; fine Junii m. florens cum fr. fere maturis (Kühlew. in litt! Borszczow!). ♃.

§. 2. ESULA s. *Ezula* videtur eadem ac *Pityusa* Diosc. Nomen *Esula* jam primis patribus traditum, a πιτυούσης luxatum esse potest: duabus enim prioribus syllabis sublatis remanet ὖσα, cujus diminutivum *Usula* et vocali prima mutata: *Esula* (Dodon.) — Glandulae involucri lunatae et bicornes. Cotyledones lineares. (Roeper 1824 et apud Duby 1828).

136. *E. Peplus* L. = *Peplus* Fuchs 1542! Matth. 1554! et plur. sive *Esula rotunda* Gesner 1587, C. Bauh. = πέπλος Diosc. (Plin.) teste Matth. et C. Bauh.

Radix annua. Folia obovata, obtusissima, petiolata, integerrima, infima suborbiculata. Umbella terminalis trifida. Capsula glabra, coccis dorso bicarinatis. Semen oblongum, foveolis symmetricis 20 rotundis et antice 2 linearibus exsculptum.

Passim in Ingria (J. G. Gmelin Fl. Sibir. II, 1749, p. 236 ex synn.; auctoritate Gmelini in Fl. Ingricam Gorteri 1761, p. 76 recepta); in locis cultis passim et circa montem Duderovium, flor. Jun. ad Aug. (Sobol. Petr. 1799, p. 112, n. 318; ed. ross. I, 1801, p. 325, n. 330); vidi in herbario Petr. Kastalskiano (Weinm. Petrop. 1837, p. 88, n. 582; nec non R. Petrop. 1845, p. 13); ad ostia Newae fl. in ruderatis e saburra navium exortis, a. 1848—50 (Kühlew. in litt.). ⊙.

137. *E. virgata* Waldst. et Kitaib. 1805 c. ic.!

Folia profunde viridia, a medio ad apicem attenuata, acuta v. acuminata, integerrima, plerumque stricte erecta. Rami steriles saepe elongati et virgati. Radix descendens multiceps, perennis. (Umbella multifida dichotoma. Capsula glabra, dorso subtiliter verruculosa. Semen laeve). — *E. Esula* L. simillima differt: radice admodum repente (Linné), foliis glaucescentibus, oblongis v. oblongo-linearibus, versus basin distincte attenuatis, apice obtusiusculo tenuissime serrulatis, inferioribus subpetiolatis, saepe deflexis. E speciminibus numerosis Ingricis, hucusque pro *E. Esula* habitis, nullum inveni characteribus dictis conforme, plurima vero *E. virgatae* typicae. Sed radix in eodem loco variat oblique repens, tortuosa, per intervalla majora caulem solitarium fertilem emittens; planta junior ramulos nullos offert, glandulae variant coloratae (Waldst. et Kit. virides poscunt), umbella 5 fida, et nonnumquam folia caulina, praecipue inferiora, latiora sunt et apice obtusiora, ut aegre distingui possit ab *E. Esula* Oelandica in Herb. norm. Suec. IV exhibita.

Copiose in montosis Duderhofii locis sylvaticis umbrosis (a W. et Kit. non memoratis), nec non apricis siccissimis et ibidem quoque nec non pr. Jermolino ad margines agrorum vel inter segetes; vidi etiam a D. Borszczow circa urbem Gatschina et a D. Kühlewein in agris desertis elevatisque pr. Pargola lectam. Ceterum copiosissime inter Konjéserje et Gorodetz ad fossas et margines agrorum, foliis laete et profunde viridibus varians. Floret in umbrosis a fine Maji, in agris initio Junii vel in siccioribus serius, imo non ante medium Julii; fruct. maturi ab initio v. medio Julii vel in siccissimis serius. ♃.

Hist. spec. E. Esula indicata: Petropoli (Longmire in Ann. of Philos. VI 1823, p. 194); ad margines sylvarum prope Pawlowsk et in monte Duderhof, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 222); in montosis pr. Duderhof et ad margines agrorum pr. Pawlowsk (Turcz. 1825, n. 314); in locis siccioribus graminosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 88, n. 583).

LXX. MERCURIALIS.

Linozostis sive *Parthenion* Mercurii inventum est, ideo apud Graecos *Hermopoan* (Dioscoridi ἑρμοῦ βοτάνιον, *Mercurii herbulam*) multi vocant eam, apud nos omnes *Mercurialem*. Sic Plinius. Intelligitur *M. vulgaris* Trag. 1552! = *M. annua* L. = *Mercurialis* Brunf. Dodon. et patr. = λινόζωστις Diosc. = φύλλον Theophr.

138. *M. sylvestris* Fuchs 1542 c. ic. bona! Trag., Dodon., Cord., Thal. = *M. montana* Caesalp. 1583, C. Bauh. et offic. = *M. perennis repens* Raj. 1690 = *M. perennis* L. = *Cynocrambe* Fuchs 1542!, Dodon. 1553!, Matth., Lobel. (vix Diosc.). Apud patres *Mercurialis* utriusque planta ♀: testiculata s. mas, ♂: spicata s. foeminea, i. e. sensui Linnaeano contrarie.

Radix perennis, repens. Caulis simplicissimus. Folia petiolata, ovata v. ovato-lanceolata, opposita, serrata.

Flores dioici, ♂ : 9-andri; ♀ : cal. 3 part., filam. steril. 2; styl. 2, caps. dicocca.

In fruticetis umbrosis, sylvis caeduis, solo pingui; hinc inde copiose usque ad Narwam urbem, Gorodetz et limites aust. occid. Ingriae, deest tamen pluribus locis convenientibus; in reg. elevata Petropoli frequens, rarius in demissa v. g. Krestowsky et Murzinca (Borszczow!). Floret a fine Aprilis ad finem Maji, rarius ad initium Junii; fruct. mat. mox caduci medio Junio. ♃.

Hist. spec. In sylvis subhumidis prope fluv. Sistam, neque tamen et alibi locis convenientibus hospes est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 160 s. n. *M. perennis* ut seqq.); in sylvis humidis umbrosis prope fl. Sistam, in m. Pulcovo! et Duderovo! atque in aliis locis similibus (Sobol. Petr. 1799, p. 234, n. 650) et ad fabricam prope Systerbeck (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 252, n. 667); in sylvis montosis, post nivem solutam (Weinm. Pawl. 1824, p. 451); in montibus Pulcovo! et Duderhof! (Turcz. 1825, n. 616); in sylvis umbrosis turfosis, vere (Weinm. Petr. 1837, p. 99, n. 662).

Adnot. *M. vulgaris* s. *annuae* tantum singulum specimen in ruderibus ad ostia Newae recentius adparuit. Radice annua, caule ramoso a basi ad apicem foliato et florifero et floribus 12-andris facile dignoscitur.

Fam. XVIII. CAMARINNEAE.

Char. Flores dioici v. polygami, regulares. Petala 3 v. 2. Stam. totidem, libera. Stylus 1; stigma radiatum: radiis numero loculorum ovarii. Ovar. liberum, disco carnoso impositum, in drupam baccatam, 2—∞ pyrenam evolutum, pyrenis monospermis. Semina erecta; embryo ut in *Euphorbiaceis*, sed radicula infera. — Fruticuli ericoidei, foliis parvis acerosis, sempervirentibus.

Affin. Familia parva, diu ex habitu cum *Ericineis* diversissimis et imo cum genere *Erica* a patribus confusa.

Affinitas quaedam adest cum *Celastrineis* et *Euphorbiaceis*, sed ab his seminibus erectis, ab illis: petalis et staminibus receptaculo insertis differt.

Qualitates. *Chamaetaxi* folia sapore linguam primo exsiccante, dein vellicante, acri-acidulo; baccae sapore vix grato, potius fatuo, edules tamen, antiscorbuticae et diureticae, fermentum vinosum suppeditant; vertiginem et stuporem inducere quibusdam false visum est.

LXXI. CHAMAETAXUS, false EMPETRUM dicta.

Ἔμπετρον Diosc. s. *Empetros* Plin. alii *phacoides* (*prasoides* ex Galeno) vocant, nascitur in montibus et maritimis, salso gustu: sed quo proprius terreno fuerit, amarius sentitur; trahit bilem, pituitam et aquam (Diosc.). *Epipetron* et *Empetron*, licet forsan diversae plantae, utrumque ab eo, quod in petris nascatur, nomen accepit (Bodaeus); ἐπίπετρον vero, quod modo Parnasus fert, diu, ut Aristoteles ait, vivere potest paxillo suspensum; sec. Theophrastum flore penitus caret. Utrumque a *Chamaetaxo* in Graecia haud visa diversissimum esse, nemo negabit. Vario modo autem *Empetrum* interpretabatur; Fuchs 1542 *Asplenium Ruta muraria* sic dixit, Tragus 1552 et Lonicer *Herniariam glabram* v. similem; *Empetrum* Anguillarae videtur *Passerinae* species; Dalechampii 1587 *Globularia Alypum;* veritati propius accedit *Empetrum* Rondeletii et Lobelii: *Crithmum maritimum*, quod Italis „*erba di San Pietro*“ audit; sed recentissimus plantarum classicarum in Graecia indagator Fraas nullam aliam, quam *Frankeniam pulverulentam* fuisse plantam Dioscoridis defendit. Hinc omni jure praeferenda est *Chamaetaxus* Schefferi 1674! in Lappon. illust., apud Linnaeum jam diu citata, quam nemo ante 1700 et Tournefortium *Empetrum* appellavit.

Char. gen. Cal. 3 sepalus, coriaceus, squamis 6 bracteolatus. Petala 3. Stamina 3 petalis alterna, sepalis opposita.

Bacca 6—9 pyrena, nigra v. rubra. Flores axillares solitarii sessiles; dioici (☿ semel vidit Linné et eo teste Jacquin).

139. *Ch. nigra* = *Empetrum nigrum* L. = *Erica baccifera procumbens nigra* C. Bauh. = *Erica baccifera* Matth. 1565, Lobel., Dalech., Thal. (Dodonaei *Oxycoccos* est).

Fruticulus 3—1 pedalis vel humilior, basi procumbens. Ramuli erecti, glanduloso-puberuli (nec glabri, ut describuntur). Folia lato-linearia, 2—3 lin. longa, subimbricato-patentia, margine revoluta et in lineam albam connata, margine glanduloso-scabra. Petala semper atropurpurea; nec rubella v. rosea, ut Reichenbach et Koch, aut luteola, ut Fl. Danica perhibet; num igitur altera adhuc diversa species existat, iterum cum cel. Reichenbach quaerimus. Stigma 9 radiatum. Bacca 9 pyrena, viridis, matura nigra, succo purpureo.

In turfosis, ericetis, nec non pinetis aridis sabulosis, fere ubique et latas interdum areas occupans. Floret fine Aprilis et m. Majo; fruct. maturi fine Julii v. prius. ♄.

Hist. spec. Petropoli sponte occurrit (Siegesbeck Primit. Fl. Petrop. 1736, p. 43 ex syn. Tournef. et C. Bauh.); circa urbem Schlüsselburg! tam in pratis, quam etiam in sylvis inter *Ericam* frequens est; ad ductum etiam aquarum Ladogensem minime hospes (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 159 s. n. *Empetrum nigrum*, ut seqq.); in inferiore regione Newae fluv. nullibi obviam facta est (Krasch. Index mss. 1749, n. 338); in monte Poclonnaja!, Pargelovii et Ossinova Roschza et prope Czesma! locis humidis (Sobol. Petrop. 1799, p. 232, n. 646; ed. ross. II, 1802, p. 246, n. 663; repetitur etiam locus ex Gorter); in locis sylvaticis turfosis humidis, primo vere (Weinm. Pawl. 1824, p. 448); in locis tam siccis, quam paludosis prope scholam saltuariam! ad viam Pargolensem! (Turcz. 1825, n. 612); abundat in sylvis, fruticetis spongiosis, primo vere (Weinm. Petr. 1837, p. 98, n. 659).

Fam. XIX. MALVACEAE.

Char. Cal. 5, rarius 3 v. 4 fidus, aestivatione valvatus, extus saepe involucello (calyce exteriore) auctus. Cor. regularis; petala tot, quot calycis laciniae iisque alterna, aestivatione spiraliter contorta. Stam. in tubum connata, ∞, rarius 5, 10; antherae 1 loculares, rima transversali dehiscentes. Ovarium ∞, rarius 3 — 4 loculare. Placentae centrales. Albumen parcissimum; embryo arcuatus; cotyledones (ut in *Geraniaceis*, *Acerineis* et *Convolvulaceis*) contortuplicatae. — Herbae, in exteris frutices v. rarius arbores, plerumque pilis stellatis tectae. Folia alterna stipulata.

Affinitas cum *Tiliaceis* manifestissima.

Qual. et usus. Fere omnes substantiâ mucilaginosâ plenae sunt, medicamina lenientia, involventia suppeditantes. *Malvarum* nostratium herba quoad efficaciam post radices *Althaeae officinalis* sequitur. Officinales sunt folia *Malvae rotundifoliae* (*M. vulgaris* et *pusillae*) et flores *Malvae sylvestris* s. *equinae;* folia praeter mucilaginis copiam praevalentem etiam aliquantum principii amari infusione extrahendi continent, unde organa secernentia simul roborant; radices ambarum mucosae et dulces, loco *Althaeae* hinc inde usurpantur. *Lavatera* idem praestat.

LXXII. MALVA. Cal. duplex: exterior triphyllus, interior 5 fidus. Tubus stamineus apice aequaliter divisus in filamenta ∞, distincta, monantherifera. Styli basi connati, tot, quot ovaria (cocca). Carpidia s. cocca ∞, circa axin centralem verticillata, 1 locularia, 1 ovulata, immatura in capsulam ∞ locularem, orbiculatam depressam (πλακκοῦς Hesych.) congesta; cocca clausa v. angulo in-

terno dehiscentia, matura solubilia. Semina adscendentia calva. — Species Ingricae omnes ad sectionem: floribus axillaribus (nec terminalibus), fasciculatis et fol. lobatis (nec profunde divisis) et radice ⊙ v. ♂ (nec ♃ et longaeva) pertinent.

⁜ LAVATERA. Cal. exterioris foliola ad medium usque connata. Caetera *Malvae*. — *L. thuringiaca* (Camerar.) L. in hortis culta, aufuga v. rejecta in ruderatis pr. Oranienbaum et Ulianka aliquoties autumno florens (a D. Kühlewein!) reperta est, sed nullibi in Ingria sponte crescit; conf. R. Petr. 1845, p. 75. Floribus axillaribus solitariis longepedunculatis, $1^1/_2$ pollic., pallide roseis insignis.

LXXII. MALVA.

Μαλάχη, latine *Malva* (Horat. Martial.) et Varroni quasi *Molva*, a μαλάσσω emollio, illâ enim in acetariis cultâ cum *Lactuca* ad alvum molliendam utebantur. C. Bauhino genus nondum purum, neque Tournefortio definitum, Linnaeo vero sat bene circumscriptum. — Synonyma Graecorum et Romanorum intricatissima; nullas fere *Malvarum* notas tradiderunt, planta enim notissima et vulgatissima erat. Distinxerunt aliam *sativam*, aliam *sylvestrem*, de quorum differentia obscure agit Plinius; *sativam* usui longe aptiorem esse *sylvestri* monet Dioscorides, Galenus *sylvestrem* praefert. Sunt igitur alii, qui credant, cultam in hortis antiquorum fuisse *M. equinam* s. *sylvestrem* L.; alii, qui *M. sylvestrem* Plinii et antiq. in *M. vulgari* nunc praecipue usitata quaerant, Neograecis eodem nomine, ac Dioscoridi ἡ ἀγρίαμαλάχη nota; alii, ut Dodonaeus et plur. patr., qui *sativam* s. *hortensem* (κηπευτή) pro *Althaea rosea* habeant, *sylvestrem* vero pro specie collectiva ex *M. equina* et *vulgari;* pari modo ac *M. rotundifolia* L. pro *M. vulgari* et *pusilla* nostro adhuc aevo fuit. Μαλάχη Theophr. l. 7, c. 8 autem indubie *M. vulgaris*, nec *M. equina*, si locus corruptus ἐπετειόκαυλα in ἐπεγειόκαυλα corrigitur, quia recticaulibus non annicaules opponuntur,

sed plantae caule prostrato, e quorum exemplo Theophrastus affert: *Malvam*, *Scandicem*, *Cucumerem sylvestrem*. Neque *M. vulgaris*, neque *M. equina* annua est.

140. *M. pusilla* Smith 1795 ic. opt.! (nomen ad florem referri debet, ortum enim est ex:) = *M. parviflora* Huds. 1762 (non L. 1753) = *M. minor*, *flore parvo coeruleo* Raj. 1724 (sec. Huds.) = *M. sylvestris .... flosculis minimis*, *anglica* Boerh. 1720 (ex Rajo) = *M. vulgaris var. altera*, *flore minore*, *folio rotundo* „*flosculis minimis*" J. Bauh. 1651 (sec. Fries). Quidam praeferunt nomen *M. borealis* Wallman in Liljebl. 1816; aliis est *M. rotundifolia* L. Whlbg., Fries, Rchb., nam haec, teste Fries, sola c. Upsaliam crescens et copiosa, quotannis a Linnaeo pro *M. rotundifolia* distributa, quotidie ab ipso calcata. Tamen venia cell. auct. speciem Linnaei collectivam credimus ex ipsius Linnaei verbis in Fl. Suec.: apud nos flores communiter minores, corolla omnino alba; Stockholmiae autem corolla majore purpurascente obvia planta, ut apud exteros.

Petala retusa albida calycem subaequantia, 2 linealia. Pedunculi deflorati declinati. Fructus $2^1/_2$—3 lin. in diametro. Carpidia marginata reticulato-rugosa pubescentia, circa discum columnae angustum $^1/_2$ lin. verticillata. Caulis prostratus adscendens. — Variat major et minor: pedunculis 1 floris; haec ultima differt a proxima *M. parviflora* L.: pedunculis longioribus declinatis, calyce breviori, non inflato, ad oras longe setoso.

In ruderibus et fimetosis, in plateis desertis ad domos, hinc inde, plerumque copiose. Initio Julii quandoque fere deflorata cum fruct. dudum maturis; interdum serotina, initio Augusti vix florens. ☉.

Hist. spec. Circa Novogrodium et ad fl. Luga (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 110 s. *M. rotundifolia* L.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ruderatis, ad vias et sepes hortorum, uti in regione Peterburgensi, circa aedificia legionum Semenowsky et Ismaylowsky, tum circa nosocomium maritimum et ad fl. Luga (Sobol. 1799, p. 164, n. 450; in edit. ross. II, 1802, p. 75,

n. 465 loca specialiora praeter Lugam fl. omittuntur; adest s. n. *M. rotund.* L.; propter citatam Fl. Dan. t. 721, in Diatr. Petr. 1845, p. 75 *M. vulgari* subscripta, sed ex loco potius ad *M. pusillam* pertinet in suburbiis et insulis Newae vigentem); in ruderatis circa Petropolim!, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 324 s. *M. rotund.* L.); locis sequenti speciei similibus, at parcius (Turcz. 1825, n. 429 s. *M. Henningii* Goldbach); in ruderatis hinc inde, Jun. Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 69, n. 462 s. *M. borealis* Lilj.); Narwa in suburbio, Gdow, Luga.

141. *M. vulgaris* (s. vulgatissima) Trag. 1552! Dalech.!, Tournef., Bromel., Linder, Fries = *M. rotundifolia* L. pro parte, (conf. spec. praeced.), Cavan. et plur. usque ad Koch! 1837 = *M. sylvestris folio rotundo* C. Bauh. = *M. sylvestris pumila* Fuchs 1542! Dodon. 1583! Gerard = *Malva* Brunf. 1531 ic. bona! Matth.! Camer.!

Petala truncato-emarginata, dilute lilacina, calyce duplo longiora, vix $^1/_2$ pollicaria. Fructus $3—3^1/_2$ lin. in diametro. Carpidia immarginata, laevia, pubescentia, circa discum columnae centralis $1—1^1/_2$ lin. latum verticillata. Caulis et pedunculi ut in *M. pusilla.*

Ad domos, v. g. in regione urbis Peterburgensi, in vicinitate domorum legionis Ismaïlowsky etc. (Turcz. 1825, n. 428 s. *M. rotundif.* L.; synonymum huc referendum, quia *M. Henningii* sub n. 429 enumerat; at dubia non exigua restant propter loca ex Sobol. repetita et proventum copiosiorem perhibitum respectu *M. Henningii*); certe ad ostium Newae in ruderatis ex lustro sedem fixit et quotannis fere observata est, ab initio v. medio Julii ad Sept. florens cum aut sine fruct. mat. ♂ ♃.

142. *M. equina* Brunf. 1531 ic. opt.! = *M. sylvestris* Turner, Gerard! Linné (vix Plin.?; conf. supra) = *M. sylv. folio sinuato* C. Bauh. = *M. sylv. procera* Dodon. 1583! = *M. sylv. elatior* Fuchs 1542! = *M. vulgaris* Park. Raj. (*altera species:* Trag. 1552!).

Petala profunde emarginata, saturate lilacina, striata, $^{3}/_{4}$ pollicaria, calyce triplo longiora. Pedunculi deflorati erecti. Fructus fere 3 lin. in diametro. Carpidia marginata, distinctius rugosa, subglabra, circa discum columnae denticulatum 1 lin. latum verticillata. Caulis erectus v. adscendens, ramis, petiolis et pedunculis divaricato-hirsutis.

In insula crucis, an spontanea?, nusquam alias enim vidi (Krasch. Codex mss.! ex syn.; planta a Gortero praetermissa; R. Petrop. 1845, p. 75); Ingria (Georgi 1800, p. 1154, n. 2, s. *M. sylvestri* L.); in ruderatis ad ostium Newae, e saburra navium exortis a. 1848 et 49 m. Sept. cum florib. et partim fruct. mat. (Kühlewein!); ipse semel tantum secus vias ins. Basilii plantam heic rarissimam vidi. ♂.

⁂ *M. mauritiana* L. Mosquae indicata et semel in ruderibus Petropoli initio Aug. c. floribus reperta (Borszczow!), ex hortis verosimiliter rejecta, omittitur. Proxima est species *M. sylvestri*, sed annua, glaberrima v. petiolo uno tantum latere pubescente, caule robustiori, calycibus obtusioribus, petalis latioribus, minus profunde emarginatis, albo roseis et purpureo striatis.

Adnot. Expungendae sunt e Fl. Ingrica, ut jam in Diatr. Petrop. 1845, p. 75 monitum: 1) *M. crispa* L. indicata circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, n. 427); in ruderatis c. Petrop. (Rud. ex Sobol. Petr. 1799, p. 164, n. 454; ed. ross. II, 1802, p. 77, n. 467); Ingria (Georgi 1800, p. 1154, n. 4). — 2) *M. verticillata* L. copiose in horto Imper. italico dicto et in hortis oleraceis circa aedificia legionis Preobraschensky spontanea (Sobol. Petrop. 1799, p. 164, n. 453; ed. ross. II, 1802, p. 76, n. 466).

Fam. XX. TILIACEAE.

Char. Flores saepissime perfecti (in *Sloanea* et affinibus apetali), axillares, solitarii, racemosi v. corymbosi, 4 v. 5 meri. Cal. sepala libera vel ± connata, aestivatione

valvata, decidua. Cor. regularis; petala numero sepalorum iisque alterna, unguiculata, aestivatione imbricata, decidua. Stam. saepissime ∞, pluriseriata, libera v. subpolyadelpha. Antherae introrsae, 2 loculares, erectae v. incumbentes et versatiles. Germen 2 — 10 loculare. Fructus saepe setosus v. echinatus, nunc capsularis, loculicide v. rarius septicide dehiscens, nunc indehiscens, consistentiae variae. Semina in loculis solitaria v. ∞, erecta v. inversa aut horizontalia. Embryo in axi albuminis orthotropus, rarissime exalbuminosus; cotyledones subplanae foliaceae. — Arbores v. frutices, rarissime herbae, pube simplici, ramosa v. stellata. Folia rarissime opposita, simplicia, integra v. palmatiloba, ad petiolum stipulata.

Affinitatem proximam *Tiliaceae* inter familias indigenas agnoscunt cum *Malvaceis*, quibus multo superiores sunt: antheris bilocularibus, staminibus saepissime disjunctis et petalis nectariferis, interdum duplicatis; remotiorem cum *Ranunculaceis* jam indigitavimus, calyce valvato in *Clematidearum* tribu recurrente.

Qualitates affinitatem cum *Malvaceis* comprobant; muco pariter abundant, cui substantiae adstringentes et amaro-resinosae in cortice accedunt. *Tiliae* cortex interior mucosus, cum ligno tenacitate insignis, textoribus et artificibus inservit; carbonis fama notissima, pulverem dentifricium, sclopetarium et pharmacon antisepticum praebet. Flores *Tiliae* officinales, oleo aethereo, saccharo, muco, gummi et tannina dives, ob virtutem diaphoreticam et antispasticam vulgaris usus sunt ad infusum theatum; a bracteis validius adstringentibus antea separari debent. Semina oleosa ad potum loco *Cacao* praeparandum idonea sunt.

LXXIII. TILIA,

Graecis φίλυρα dicta, quod in tenues assulas sive philyras discerpatur. Plinius *Tiliam* cum φιλλυρέα confudit. Est vero ἡ θήλεια φίλυρα Theophr., latine *Tilia foemina*, omnino idem genus ac Tournefortii et C. Bauhini, at diversa species a *Tilia sativa* s. *europaea*, scil. *T. argentea.*

Char. gen. Sepala 5, basi intus foveolâ nectariferâ instructa. Petala 5 integerrima, basi interdum squama petaloidea aucta et tunc corollam duplicem referentia. Antherarum loculi discreti. Styli coaliti. Stigm. 5 lobatum. Ovarium 5 loculare, sub 5-costatum, loculis 2 ovulatis. Nux inermis, matura abortu 1 locularis, subglobosa, saepissime 1 sperma. — Arbores longaevae, foliis alternis. Bractea venosa, pedunculo communi adnata.

143. *T. septemtrionalis*.*

Fructus laevis v. obsolete angulatus, regularis, subglobosus, $2^1/_2$ — 3 lin., tomento brevissimo obductus. Folia suborbiculato-cordata, subtus pallidiora (nec evidenter glauca), glabra, in axillis venarum barbata. Bractea pedunculi basim fere attingens, 3—4 lin lata, oblonga, versus basin subaequalem attenuata, corymbum 2—3 florum aequans. Stylus $1^1/_2$ lin. longus, diu persistens (typica pr. Kauschta; simillima, sed fruticans 2—3 orgyialis pr. Arbonje, Bornitzy, Narwa). — Variat in diversis regionibus et arboribus: β. cyma 4—6 flora, sed in iisdem ramis cum 2 — 3 flora (Poljá, Jamburg); γ. bracteis arcte sessilibus (Sholtscha); δ. bracteis longe pedunculatis, pedunculo saepe ultra pollicari; in arbore frutescente quadam hujus var. bracteas typicas inveni cum aliis basi abrupte rotundatis, inaequilateris (Poljá); ε. bracteis latioribus, 6—7 lin., apice late rotundatis, basi abruptis et saepe inaequilateris, longius petiolatis; cyma profunde inserta, interdum 4—6 flora; petalis majoribus 3 lin.; 5 orgyialis, trunco humili, foliis var. ζ, floribus speciosis, fruct. typicis (Sholtscha); ζ. macrophylla, fol. basi oblique cordato-truncatis, apice longius acuminatis, fructibus obovatis 3 lin. (Kauschta).

— In sylvis prope Lapuchinka, Gorodetz alibique *Tiliae* adsunt steriles foliis tenuissimis, majoribus, splendentibus, fere concoloribus, ambitu interdum inciso lobatis, quae minime varietatem efficiunt, sed ad *T. septemtrionalem* juniorem vel olim detruncatam pertinent; eosdem ramos heterogeneos tenuifolios in var. γ cum florentibus normalibus inveni. Turiones similia exhibent folia, opaca tamen et majora, longius acuminata, fere semipedalia.

Sensu Linnaeano omnino est *T. europaea*, collectio specierum partim a patribus distinctarum. Loco hujus vero dudum herbarii praestantiores 2, 3, tandem plures *Tilias* distinctas posuere. Miller 1768 et posthac (1772) Du Roi *Tiliam europaeam* et *T. cordatam* agnoverunt, germanis vulgo *Sommer-* et *Winter-Linde* appellatas; prima est *T. grandifolia* Ehrh. 1790, species australior, in Germania m. Junio florens, jam in provinciis balticis Rossiae nullibi spontanea. *Tilia cordata* Miller! floret initio Julii (styl. rec.); sec. specimina Pott a. 1771 differt ab Ingrica cyma dense multiflora, bracteam (angustam basi attenuatam) superante; hanc in collectione siccata 1790 Ehrhart *T. parvifoliam* dixit, descriptionem non exhibuit. Species utrasque Ehrhartianas a. 1797 fideliter pinxit Schkuhr tab. 141, describens *T. grandifoliam:* foliis subtus hirsutis, germine 4 loculari, staminibus polyadelphis, stigmate connivente; *T. parvifoliam:* fol. glabris, germ. 5 loc., stam. liberis, stigm. patente; differentiam in tempore florendi supra exhibitam adjecit. Differt autem haec *T. parvifolia* Schk. ab Ingrica cyma 8—10 flora, ut subtiliora taceam. Inter *Tilias*, in Iconographia cel. Reichenbach nitide expositas, *T. parvifolia* = *sylvestris* tab. 311, fig. suprema, fere *T. septemtrionalem* refert, adposita vero est cyma fructifera longe aliena, fructibus 2—3 plo numerosioribus, obliquis, pyriformibus; magis quoad fructus convenit tab. 312 (*T. parvifolia* β *cordifolia* Rchb. s. *major* Spach), sed cymae multiflorae petala majora sunt; *T. parvifolia* Ehrh. genuina foliis minimis Rchb. tab. 314 certe Ingrica non est propter folia subtus

evidenter glauca, vix pollicaria et bracteas basi inaequales ovato-rotundatas cymâ distincte longiores. Alia porro species est Suecica *T. parvifolia* Fries Novit. III et herb. norm. IX! bracteis $^1/_2$—$^3/_4$ poll. latis, basi inaequalibus subcordatis, pedunculum multiflorum longe superantibus, fructibus 4 lin. Quid, quod Hayne *T. parvifoliae* imo flores inodoros adscribat. *T. intermedia* Dec. = *vulgaris* Hayne sec. Rchb. a *T. septemtrionali* differt: pedunculis ∞ floris, bracteis $^1/_2$ poll., petalis 3 lin., praecipue vero stigmatis radiis incurvis. *T. vulgaris* Fries herb. norm. Suec. IX! magis adhuc distat fructibus longe villosis. His rationibus fultus distinguere debui Ingricam ab omni *T. parvifolia* Auct. *T. septemtrionalis* latius videtur distributa in Rossia ad terminum borealem et orientalem sc. Uralensem; specimina vidi spontanea, non satis quidem completa e gubern. Kursk, e districtu Tomsk, nec non e Slatoust et monte Iremel, quae tantum cyma 5 v. 7 flora subinde deflectunt; folia in his semper profunde et subaequaliter cordata.

In Ingria septemtrionalem *Tilia* terminum constituit; deest enim in isthmo Kareliae, gubern. Olonetz (Trautvetter), ut in tota fere Fennia, exclusa austro-occidentali. Quae in paroecia Uguniemi, in parte septemtrionali lacus Ladogae et ad Onegam indicatur *Tilia* spontanea (W. Nylander) mihi ignota est. Crescit vero *T. septemtrionalis* cum varr. suis indubie sponte in collibus et montosis, fruticibus aut sylva caedua refertis, sat copiose hinc inde in regione elevata Fl. Petrop. v. g. pr. Duderhof et Gatschina, inter Jermolino et Arbonje, Bornitzy; porro in ripa ingrica infra catarractam fl. Narowa; ad fluv. Luga ex septemtr. urbis Luga pr. Gorki, nec non ad Lugam inferiorem in ripis editioribus pr. Jamburg et Kurowitzy; ubique tantum $\pm$ alte fruticans, nihilominus vero fertilis; injuriis vero subjecta plurimis locis, humilis perstat et sterilis; arbores trunco humili copiose in ripis praeruptis calcareis fl. Plüssa pr. Poljá et in siccioribus sylvarum inter Pskow et Gdow, v. g. Sholtscha, at in s. lvis primaevis Lissinae et speciatim in siccioribus pr Kauschta

arbores optimae 2—3 orgyiales. Frondescit medio Majo; floret ab initio Julii v. serius usque ad medium v. rarius ad finem Julii; fruct. maturi medio v. interdum vix fine Augusti m. ♄ et ♄.

Hist. spec. *Tiliae* ingricae. In continente circa Petropolim; in insulis sponte crescentem non vidi; ad fluv. Lugam! in arbores proceras excrescit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 84 s. *T. europaea* L.; in codice Krasch. tantum s. n. *Tilia* auct. et *T. vulgaris platyphyllos* J. Bauh.); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795; vix nisi culta adest); ad fl. Lugam et passim in sylvis, fl. Jun., Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 124, n. 349; ed. ross. I, 1801, p. 369, n. 361 s. *T. europaea* L.); in sylvis turfosis humidis passim, Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 247 et Petrop. 1837, p. 54, n. 364 s. *T. parvifolia* Hoffm. Schk.) ubique (Turcz. 1825, n. 339, s. *T. microphylla* Vent.).

Fam. XXI. ACERINEAE.

Char. Flores perfecti vel unisexuales, regulares. Calyx liber, glandulosus, saepe 4—5 partitus, deciduus. Petala tot quot laciniae calycis (interdum 0), aestivatione, ut sepala, imbricata. Stam. libera, medio disci inserta; antherae biloculares, introrsae, versatiles, longitudinaliter dehiscentes. Carpidia 1—2, alata, loculis 1 spermis. Semina parieti centrali affixa, adscendentia; embryo exalbuminosus conduplicatus v. convolutus: cotyledonibus contortuplicatis. — Arbores gemmis longe et late squamosis. Folia opposita, exstipulata.

Affinitas cum familiis indigenis arcta non adest; *Sapindacearum* et *Malpighiacearum* tropicarum vices agunt. Similitudo quaedam adest cum *Malvaceis* et *Geraniaceis* ex foliorum forma et columna centrali, carpidia plerumque gemina, ut in *Umbelliferis*, sustentante.

Discus hypogynus manifestus *Rutaceas*, *Saxifrageas* et *Crassulaceas* in mentem revocat.

Qualitates et usus. Omnes refertae sunt succo dulci, in plerisque limpido, in paucis lacteo. Sauciato quarundam specierum trunco adulto v. senescente, vere et autumno, succus tanta copia exstillat, ut parando saccharo, potui vinoso aut aceto inservire possit. Cortex adstringens, colores fusco-rubentes et citrinos suppeditat. Dicta omnino etiam ad *Acer platanoides* referri possunt.

LXXIV. ACER.

Acer Roman. et Plin. omnino est genus hodiernum, Tournefortii et C. Bauhini. Theophrasto σφέν-δαμνος = *Acer creticum* s. *obtusatum* Kit.; ζυγία = *Acer vile* Ovid. s. *campestre* L.

Char. gen. Flores polygami, rarius dioici, racemoso-v. corymboso-paniculati. Cal. 5, rarius 4, 9—12 sepalus. Petala totidem, interdum 0. Stam. 8, rarius 4—12. Stigm. 2. Carpidia (samarae) 2, matura ab axi soluta, dorso alata et dissepimento contrarie compressa. — Folia saepe palmato-lobata.

144. *A. platanoides* Munting 1702 ic. opt.!, L. = *A. major, nonnullis Platanus germanica*, Camerar. 1586 quoad icon! in descr. *Pseudoplatanum* confundit. Teste C. Bauh. huc pertinent *A. tenuifolia* Thal. 1588 et *A. acutioribus foliis* Gesner 1561; utriusque descriptio non adest.

Arbor elegans, 5—8 orgyialis, trunco procero, minus profunde rimoso, ramis junioribus lactescentibus. Folia post flores evoluta, juvenilia (nec non petioli) glandulis crebris tecta, adulta glaberrima, subtus ad axillas nervorum inferiorum barbata, ut in *Tiliis*, ceterum laete viridia, subtus pallidiora, palmato-5 lobata, lobis sinuato-3—5 dentatis, margine integerrimis, dentibus attenuato-cuspidatis. Flores flavo-viriduli, 5—7 lin., in corymbis

fastigiatis erectis. Stamina corollam non excedentia. Samara glabra, alis divaricatis.

In Ingria fera arbor sat rara et terminum borealem attingit, in septemtr. lacus Ladogae pr. Kirjavalax indicat W. Nylander. Indubie spontanea crescit in sylvis primaevis ditionis Lissinensis, sc. pr. Kauschta, Sutti, Peri; in collibus calcareis pr. Arbonje rarissime, humilis, fruticans, sterilis; pr. Gorodetz in sylvis caeduis $2^1/_2$—4 orgyialis et parce fructifera; in sylva magna inter Pskow et Gdow v. g. ad Sholtscha, Lotschkina arbores 8 orgyiales; excelsae quoque et speciosae in limite australi Ingriae et paulo extra versus Katjeshnaja magna quantitate in conspectum veniunt. Flores primi paulo ante medium Maji, ante finem mensis deflorata arbor frondescit et jam medio Junio ovaria in magnitudinem fere fructuum normalium tarde maturantium evoluta sunt.

Hist. spec. Elegans arbor, hic locorum indigena (Siegesb. Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 3 s. n. *A. plat.* Muntg.) et ad hortorum sepes et ambulacra in maximo usu (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 162, nec Krasch., in cujus Codice mss. sub No. 424 legitur: in insula rotunda unicam tantum arborem vidi, an vero sponte provenerit, dubito); in ins. Kronstadt! (Georgi Mss. 1795; tantum plantata adest); in sylvis montosis circa vicum Hostilitza (Sobol. Petr. 1799, p. 238, n. 658; edit. ross. II, 1802, p. 263, n. 675); in sylvis montosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 455); ubique (Turcz. 1825, n. 622); in sylvis Lissinae! et ad montes Duderhof!, vere (Weinm. Petrop. 1837, p. 40, n. 267).

Fam. XXII. GERANIACEAE.

Char. Flores perfecti, regulares v. irregulares. Calyx persistens; sepala interdum basi connata, aestivatione imbricata, posticum interdum basi calcaratum. Corolla caduca, aestivatione contorta; petala 5, rarius 4 v. 3, unguiculata. Stam. 1-, rarius 5-delpha, 2—3 plo petalorum

numero, iisque inserta; antherae introrsae, biloculares, versatiles. Ovarium 5 loculare; loculis 2 ovulatis, fructiferis 1 spermis et cum stylis a gynophoro columnaeformi elastice a basi sursum solutis. Semen pendulum. Embryo exalbuminosus, curvato-conduplicatus; cotyledones magnae foliaceae, convolutivae. — Herbae acaules, interdum tuberosae, rarius suffrutices. Folia stipulata, plura opposita, petiolata, simplicia. Pedunculi terminales, gemmis infraterminalibus evolutis pseudolaterales et axillares, interdum radicales, rarissime 1-, saepe 2 flori, plerumque umbellati; umbella simplici involucrata.

Affinitas. Geraniaceae arctissime ad *Lineas*, *Oxydeas*, *Balsamineas* et *Tropaeoleas* accedunt et cum his ordinem plantarum *gruinalium* constituunt; differunt inprimis habitu, stipulis, fructus fabrica et dehiscentia etiam embryone. Necessitudo quoque adest cum *Rutaceis*, mediantibus *Zygophylleis.* Aliqua etiam perspicitur affinitas cum *Malvaceis* e stipulis, foliis lobatis, staminibus monadelphis et embryone.

Qualitates. Substantiae adstringentes praecipue in radicibus et rhizomatibus *Geraniacearum* perennium obveniunt; oleum aethereum et resina, interdum mucilago in herba praevalet, inde vel excitante, vel emolliente. *Geranii pratensis* s. *batrachioidis* herba balsameo-adstringens, olim inter vulnerarias; flores ab apibus avide petuntur. *G. Robertiani* (*herba Ruperti* offic.) odor gravis, sapor austerus et salsus. *Erodii* s. *Myrrhinae* herba stimulans et diaphoretica creditur; quarundam specierum aristae pro hygrometro seliguntur.

Character generum nostratium.

LXXV. **GERANIUM.** Cal. regularis, ecalcaratus. Petala 5 aequalia. Stam. 10, biserialia, basi monadelpha, omnia fertilia (in *G. pusillo* solo alterna sterilia). Glandulae 5 ad basim staminum interiorum. Carpidiorum aristae non contortae, intus plerumque glabrae. — Folia palmato-lobata. Pedunculi 1—2 flori.

LXXVI. **MYRRHINA.** Petala 5, saepe inaequalia. Stam. 10, quorum exteriora 5, petalis opposita castrata, sterilia. Carpidiorum aristae demum spiraliter tortae, intus plerumque barbatae. Cal. et gland. hypog. ut in *Geranio.* — Folia palmato- v. pinnato-lobata. Pedunculi plerumque ∞ flori.

LXXV. GERANIUM.

Γεράνιον, sic dictum a fructus imagine et similitudine cum capite gruino, Dioscoridi duplex erat; alterum *anemonaefolium* = *G. tuberosum*, alterum *malvaefolium* = *G. malacoides* L. Plinius tertium addidit, quod pro *Myrrhina moschata* habere licet. Genus *Geranium* Tournef. et Linné, quod idem est ac C. Bauhini, in 3 dividit L'héritier in Monographia 1787 scripta; ita ut *Pelargonio* respondeant §. 1 et 2 *Gerania africana* apud Linné Syst. XIII, *Geranio* L'hérit. §. 4—6 et *Erodio* §. 3 *Myrrhina* L. Differentias horum generum jam Linnaeus optime perspexit.

§. 1. Perennia, rhizomate nodoso, praemorso, obliquo v. horizontali.

145. *G. sylvaticum* L. = *G. batrach. fol. Aconiti* C. Bauh.! = *G. batrach. alterum* s. *minus* Clus. 1581, 1601 ic. et descr. bona! = *G.* 3 ... *foliis Aconiti lutei* Gesner 1561!

Folia speciei sequentis, sed non tam anguste laciniata. Pedicelli deflorati erecti. Petala supra unguem villosula, subemarginata. Filamenta ab apice versus basin sensim dilatata, fere tota pilosa. — Planta Ingrica variabilis;

conf. R. Petr. 1845, p. 74. Flores normaliter violacei, sed color nunc magis ad purpureum, nunc magis ad coeruleum tendit; petala 5—7 lin., sed variant duplo minora 3—3½ lin.; ludit porro floribus pallide lilacinis, majoribus vel minoribus in eodem loco (Kyrka!). Memorabilis est *albiflora:* petalis 7 lin. (Lissino! Lapuchinka!). Variat quoque ramis ± glandulosis et rarius pilis, imo in pedunculo florum communi, eglandulosis.

In pratis sylvaticis regionis elevatae Fl. Petrop. fere ubique copiosissime, rarius in reg. demissam urbis descendens; pluribus Ingriae plagis deesse videtur. Floret sub initium Junii (rarius fine vel imo medio Majo) usque ad initium Julii; fruct. maturi medio Augusto vel prius. ♃.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 72, n. 424); in sylvis montosis ad fabricam pyriam Ochtensem!, Pargelovii!, et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 161, n. 445) atque in monte Pulcovo! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 70, n. 458); in sylvis ubique, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 318); ubique (Turcz. 1825, n. 427); in locis elevatis graminosis sylvaticis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 69, n. 459).

146. *G. batrachioides* Dodon. 1553! Lobel! ic. bona, Camer., Thal., C. Bauh. et offic. = *G. pratense* L. (nemo ante 1753) = *Geran.* 5. Fuchs 1542 c. ic.!

Folia palmato 7-partita, inciso dentata. Pedicelli deflorati cum calyce nutante refracti. Petala supra unguem glabra, margine basilari fasciculato-barbata. Filamenta filiformia, versus basim abrupte dilatata, ad basim barbata, ceterum dorso subglabra. — Petala violacea, variant 5—8 lin. in eodem loco, certe heic rarius coerulea sunt, ut in planta germanica, nec alba hucusque reperta. Plerumque robustius, quam *G. sylvaticum*, calyces saepe majores, bracteae longiores, petala rotundata, indumentum copiosius. Varietas memorabilis, fere *G. palustri × batrachioides:* humilis, pedunculo communi 3½–4 poll. longo, axillari et fere radicali, pilis retroflexis eglan-

dulosis (Lapuchinka; in fossis circa urbem manifestius in typum abit).

In pratis siccioribus, agris elevatioribus, in fruticetis ad fossas, in tota Ingria hinc inde copiose, sed circa Petrop. non ubique crescit. Florere incipit vix antequam solstitium peractum, dum *G. sylvaticum* florere cessat (Linné), heic a medio v. fine Junii ad finem Julii; fruct. mat. medio Julio v. prius. ♃.

Hist. spec. Ubique a Petropoli usque ad Twer floret et sem. fert m. Aug. et Sept. (Gmel. mss. 1733, n. 40 ex syn. C. Bauh.; ex loco et tempore florendi *G. palustre* fuisse suspicor, diu et multis ignotum, ut et C. Bauh.); in sylva circa fl. Strelnaja! frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 110 s. *G. pratensi*, ut seqq.); in pratis sylvosis circa fabricam pyriam Ochtensem, in m. Poclonnaja et ad viam Peterhofianam! et Strelinam! frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 162, n. 447; in ed. ross. II, 1802, p. 72, n. 459 exclud. loc. Peterh. et Strelna); in pratis sylvaticis humidiusculis, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 318); in pratis siccis, e. g. ad vias: Pargolensem, Peterhofianam! (Turcz. 1825, n. 426); in sylvis et pratis siccioribus elevatis, Jun. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 69, n. 460); copiosissime in districtu Gatschinensi v. g. inter Arbonje et Jermolino, Bornitzi; etiam c. Lapuchinka.

147. *G. palustre* L. 1756 = *G. palustre fl. sanguineo* Dillen. 1719! = *G. bulbosum Pennaei* Clus. 1583! ex icone pl. Hafniens. et descr. a D. Penny accepta.

Caulis diffusus (in prioribus erectus), hispidus, pilis ut in tota planta retroflexis eglandulosis. Folia palmato 5 fida, parce inciso dentata. Pedunculi longissimi, alares (in praeced. breves inflorescentiam terminalem efficientes, quare cel. Rchb. sectionis diversae); pedicelli deflorati declinati. Calyx eglandulosus, ad nervos adpresse pilosus. Rostrum scabrum. Petala 6—8 lin., purpurea, supra unguem villosa. Radices in planta adulta crassae, tu

berosae. — Variat β *Karelica:* caulis vix semipedalis, antherae cito deciduae, foliorum lobi apice nigro-punctati; carpidiorum setae aequaliter sparsae, nec ad dorsum confertiores.

Ad fossas et ripas, in pratis humidis circa virgulta, fere ubique copiose; ex septemtr. Newae fl. rarescit et in Fennia fere tota, excepta maxime orientali, deest. Var. β in graminosis ad margines lucorum isthmi Kareliae v. g. ad limitem gubern. Petrop. pr. Rajajokki; pr. Sordavala in sept. Ladogae leg. F. Nylander. Floret a medio Junio v. prius usque ad init. Sept.; serotina specc. a Julio vel imo medio Aug.; fruct. mat. ab init. Aug. et serius. ♃.

Hist. spec. (cf. *G. batrachioides.*) — In sylvis subhumidis et in ripis, laetiori proventu herbarum conspicuis, frequentissima planta est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 108 c. descr.; florem roseum aut e purpureo violaceum, saepe etiam rubrum cum striis saturatioribus indicat); in sylvis humidis et ripis Newae fl., circa ins. lapideam et ins. Crucis, alibique in locis similibus passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 162, n. 446) et ad montem Pulcovum! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 71. n. 459); locis humidis, pratis et marginibus sylvarum delectatur, fl. Jun. Jul. (Liboschitz et Trinius Fl. Petr. et Mosq. 1818, p. 91, tab. XXX); ubique (Turcz. 1825, n. 425); in virgultis, sylvis et aliis locis humidis graminosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 69, n. 461).

Adnot. G. sanguineum L., in Ingria a Georgio solo 1800, p. 1152, n. 21 indicatum, vix aderit. In parte occidentali Esthoniae et Fenniae austr. copiose provenit. Flores fere *G. palustris*, sed petalis emarginatis, pedunculis subunifloris et foliorum laciniis linearibus diversissimum.

§. 2. Annua; radice fusiformi, descendente, gracili.

148. *G. bohemicum* L. 1756 = *G. batrach. bohemicum caps. nigris hirsutis* Dillen. 1732 ic. prima =

G. bohemicum batrach. annuum Raj. 1688! = *G. annuum minus batr. bohemicum purpureo-violaceum* Morison 1680!, 1669 (quod vestigia Cingarorum, vulgo Bohemorum persequatur?, in Bohemia ipsa recentius modo repertum).

Carpidia non rugosa, hispida, carbonacea. Semina griseo-maculata, subtilissime foveolato-punctata (contra Koch et Ledeb.). Petala 3—4 lin., purpureo-violacea, rarius alba, obcordata, margine fere toto ciliata. Filamenta sericeo-pilosa. Pedicelli deflorati erecto-patuli. Folia palmato 5 fida, inciso-dentata, radicalia saepe circumscriptione reniformia v. rotundata, caulina basi subtruncata. Caulis suberectus, $1^1/_2$ ped. vel humilior, ramosissimus, saepe plures ex eadem radice. Indumentum in tota planta densissime pubescens, viscoso-glutinosum, pilis longioribus immixtis. — Variat 1. *macrum:* subsimplex, erectum, semipedale, floribus et foliis parvis. 2. *albiflorum* (Kolpina).

Prope Kolpinam versus Ischorkam detexit D. Karpinsky!, pr. Lissinam: D. Graff! (R. Petrop. 1845, p. 74); luxurians et optimum ad carbonarias Lissinae; ad vias vero macrum v. subsimplex, ut in agris incultis inter Kauschta et Krasnitza (R. Symbol. 1846, p. 233). Jam fine Junii florere dicunt, ipse medio et fine Augusti c. florib. et fr. matur. ⊙.

Adnot. 1. Cum *G. bohemico* macro forsan commutari posset *G. dissectum* L. in Livonia c. Dorpat jam indicatum; dignoscitur facile: petalis roseo-purpurascentibus, calyce vix majoribus, margine glaberrimis, laciniis fol. super. linearibus, pedunculis defloratis multo brevioribus refractis, indumento hirto. Multo similius est *G. divaricatum* Ehrh., nullibi tamen propius visum. — 2. *G. columbinum* L. ex multis notis cum G. *dissecto* convenit, sed pedicellis longis, carpidiis glabris et petalis roseis praecipue differt. In Livonia et Esthonia desideratur (W. et W.), hinc vix in Ingria aderit, licet indicatum: in hortis oleraceis, uti in horto Imp. vulgo italico dicto et in regione Peterburgensi alibique passim, fl. Majo,

Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 163, n. 450; in ed. ross. II, 1802, p. 74, n. 463 loca specialia omnia omissa).

149. *G. rotundifolium* Linné 1762 et 1771 aperte! ex characteribus, (excl. planta Suec. et synn. Fuchs et Bauhinor. a quibus nomen deprompsit), certe etiam Cavan., Rchb., Koch = *G. subrotundum* Ehrh. (sec. Rchb.) = *G. viscidulum* Fries 1828! Apud patres, ante Vaillantium 1727, desideratur (sec. Fries).

Carpidia non rugosa, pubescentia. Semina favoso-reticulata. Petala 2—3 lin., incarnata, oblongo cuneata non emarginata. Pedicelli deflorati declinati. Folia ambitu reniformia, ad medium usque 5—7 fida, lobis 3 dentatis. Caulis plerumque diffusus, dense pubescenti-glandulosus.

Reperitur tantum, saltim in Europa boreali, in cultis et quidem in urbium celebratiorum vicinia, ut vera ejus patria fere dubia sit (Fries). Heic rarissima species est, cujus specc. cum fl. et fr. mat. non solum ex agro Petropolitano a Stephan ad M. Bieberstein missa, sed etiam alia in herb. Petrop. Kastalskii vidi; conf. R. Diatr. Petrop. 1845, p. 74. Indicata fuit: in agris circa m. Duderhof et Krasnoje Selo atque Petropoli in hortis oleraceis, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 163, n. 451; ed. ross. II, 1802, p. 74, n. 464). ⊙.

⁜ *G. pusillum* L. 1759 et 1762 = *G. rotundifolium* Fries, bot. Suec. et Linné Suec. 1755, sed ipse L. serius in distinguendo *G. pusillo* semet ipsum tacite correxit, ut plantam Suecicam examinatam unice pro *G. pusillo* quisque agnoscere debuisset, characteres ambarum clare expositi = *G. alterum* Fuchs 1542 c. ic.!

G. rotundifolio praecedenti simillimum. Differt petalis violaceis, 1—$1^1/_2$ lin., emarginato-bifidis; stam. 5 fertilibus, 5 sine antheris; carpidiis adpresse pubescentibus, minoribus, seminibus laevissimis, caule puberulo, tantum apice glanduloso.

In Esthonia ubique, c. Dorpat copiose. In Ingria hucusque tantum repertum ad ostia Newae in ruderatis recentioribus copiose a. 1848—51, jam in loca adjacentia

propagatum (Kühlew.! Borszczow!). Initio et medio Sept. cum flor. et fr. mat. ⊙.

(※) *G. lucidum* J. Bauh.!, L. folia ambitu rotunda *G. rotundifolii* et *pusilli* cum floribus, carpidiis et seminibus *G. Robertiani* jungit; herbâ nitidissimâ, licet satis pilosâ insigne. Stationes Ingricae mihi dubiae videntur. Indic. circa Nowogrodium (Kraschen. ed. Gort. 1761, p. 110; citatur Haller helv. 368, sed pilos longos non vidit Krasch.; citatur *G. lucidum* J. Bauh. c. icone „non mala"); Newa (Falk Beitr. 1786, p. 220); circa pagum Kalodeci atque urbem Gatschina, fl. Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 163, n. 449; ed. ross. II, 1802, p. 73, n. 462); Ingria (Georgi 1800, p. 1151, n. 13).

(**150**) *G. Robertianum* Dodon. 1553! Lobel., Raj., L. = *Geran.* 3. Fuchs 1542 ic. bona!

Carpidia glaberrima reticulato-rugosa, rugis distantibus. Semina laevia. Petala obovato-spathulata, rosea, albo-striata, calyce longe piloso subduplo majora, 4—5 lin. Pedicelli deflorati subdeclinati. Folia ternata vel quinata, foliolo intermedio longius petiolato, una cum lateralibus pinnatifido. Caulis erectus, dense glanduloso-pilosus, ad genicula rubens. Herba diffuso-ramosissima, trita *Biforam* redolens.

Petropoli (Rudolph ex Georgi 1790, n. 425); in rupibus umbrosis circa Pargelovium et Strelinam, sed parce; fl. Jun., Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 162, n. 448; ed. ross. II, 1802, p. 72, n. 460); in locis umbrosis, lapidosis, in muris, flor. Jun. Jul. (Liboschitz et Trinius Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 53, tab. XVIII); in montosis Duderhofii, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 319); recentius tamen in territorio Fl. Petrop. haud visum est. Crescit copiose in ripa ingrica fluvii Narowa infra cataractam in lapidosis calcareis umbrosis, medio Julio florens et fructiferum. ⊙.

LXXVI. MYRRHINA.

Generis auctor Linnaeus est; *Gerania* enim *Cicutaria* non solum omnibus characteribus hodiernis

distinxit 1764, sed imo 1774 ut sectionem v. subgenus nomine *Myrrhina* proposuit, quod L'héritier in dissertatione sua, partim a Decandolle 1805 et Aiton 1789 citata, nullo novo charactere addito in genus evexit, *Erodium* dictum, quod vero, Reichenbachio monente, *Herodium* audire debuisset. Eo lubentius Linnaeo suum jus reddere decet, cum *G. moschatum* L. ipsissima planta videtur, quam referente Plinio dixerunt aliqui: *Myrrhin*, alii *Merthryda* (corrupte, ut ajunt, ex *Myrrhida* s. *Myrtida*).

151. *M. inodora* = *Myrrhida inodorum* Johnson 1636!, Dodon. 1583! = *Myrrhida Plinii altera inodora vulgata* Lobel. 1581! = *Geran. moschatum inodorum* Gerard, Besler = *G. Cicutae foliis inodorum* et *minus supinum* C. Bauh. = *G. Cicutarium* L. excl. β *moschato*, quod Plinius „*cicutae foliis minoribus*" descripsit = *Geran.* 1. Fuchs 1542 ic. bona!

Folia pinnata, pinnis dentatis vel iterum pinnatifidis. Pedunculi ∞ flori. Petala purpurea, 2—3 lin. Filam. purpurea, fertilia basi dilatata. Caulis diffusus v. prostratus, uti rami et pedunculi, pilis glandulosis divaricatis tectus. — Variat statura, laciniis fol. angustioribus et latioribus, florum magnitudine, petalis majoribus 2 interdum basi maculâ fusco-punctatâ pictis et in umbrosis: caule debili, pedunculis bifloris.

In ruderatis, ad vias, in agris, inter segetes, frequens et sat copiose. Floret ab initio Julii vel serius usque ad autumnum; fruct. mat. sub medium Augusti. ⊙.

Hist. spec. Secus hortos et in locis cultis insulae Basili-Ostrow! flor. Jul. Aug. (Amman Mss. 1736, n. 103 ex syn. C. et J. Bauh.); circa vias in plateis et pratis sterilibus frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 108 s. *Geranio Cicutario*, ut seqq.); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in pratis Ossinovae Roschczae aliisque, tum ad vias et plateas atque in hortis oleraceis frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 161, n. 444) et in monte Pulcovo! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 70, n. 457); in cultis et ruderatis, per totam aestatem (Weinm. Pawl. 1824,

p. 310 s. *Erodio Cicut.*, ut seq.); in urbibus ad domos (Turcz. 1825, n. 424); in pinetis siccis apertis et inter segetes, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 69, n. 458); Luga, Gorodetz, Poljá, Jamburg.

Fam. XXIII. LINEAE.

Char. Flores perfecti, regulares, 5- rarius 3-, (in *Radiola*) 4-meri. Cal. sepala 5 persistentia, aestivatione imbricata. Petala 5, aestivatione sinistrorsum contorta, caduca. Stam. 10, basi saepissime breviter monadelpha, 5 fertilia, 5 his alterna et petalis opposita sterilia, dentiformia vel abortiva; antherae introrsae basi vel dorso insertae. Styli 5. Capsula globosa 5 locul.; loculis dissepimento spurio in-v. complete bilocellatis, locellis 1 spermis. Sem. pendula. Embryo fere exalbuminosus, rectus v. subarcuatus. — Herbae v. frutices. Folia alterna, rarissime opposita v. verticillata, simplicia, integerrima, avenia, sessilia, exstipulata vel interdum basi biglandulosa.

Affinitas. Familia ex solo genere *Linum*, recentissime in plura diviso et ex *Radiola* Dillenii composita, *Geraniaceis* et *Oxydeis* arcte affinis, foliis et fructibus abludens. *Hypericineae* ex habitu, aestivatione floris, filamentis connatis et pro parte abortivis, calycibus margine glandulosis, numero partium floris et embryone affines; sed antheris apice glandulosis, filamentis fasciculato-connatis, loculis ∞ spermis, placentatione, seminibus tesselatis punctatis v. granulatis, plerumque horizontalibus v. adscendentibus, nec non foliis saepissime oppositis differunt. Aliquis adest cum *Alsinastreis* nexus, remotior cum *Cistineis* propter petala caducissima, contorta.

Usus. Caules *Lini* usitatissimi et utilissimi fibrae

tenacitate plurimis aliis plantis textilibus praestare, ideoque conficiendis vestimentis et chartae scriptoriae inservire notissimum est. Herba purgat. Semina inodora, saporis nauseoso-dulcis, in officinis sunt; integumentum exterius coriaceum splendens mucum copiosum suppeditat, emulsionibus involventibus et relaxantibus praeparandis idoneum; farina seminum ad cataplasmata emollientia frequentissimi usus. Oleum pingue e nucleo expressum, saporis ingrati, leniter purgat; artificibus pro vernice inservit. *Linum catharticum* saporis ingrati, salso amari, leniter purgat et olim officinale erat, recentius ut anthelminticum laudatur.

LXXVII. LINUM.

Quod Graeci λίνον, latini item *Linum* nominant, propter corticis et libri texturam, in filamenta recta s. lina divellendam. Genus C. Bauhini et Tournefortii e pluribus compositum esse, primo cel. Reichenbach demonstravit, nomen *Lini* ad typicam speciem Veterum optime restringens. Characteres differentiales sunt:

LINUM. Stigmata incrassato-clavata (petalis concolora). Antherae sub anthesi horizontaliter incumbentes. Folia basi eglandulosa. — *L. sativum* Trag. 1552! Dodon. et C. Bauh. = *L. usitatissimum* L. = *Linum* Plin. Colum. Virg. ad Brunf. 1530! Dodon.! Matth.! et plur. = λίνον Theophr. et Diosc., hinc inde colitur, et in ruderibus, ad vias circa urbem pluribus locis e rejectis seminibus enascitur.

LINOCARPUM s. CATHARTOLINUM. Stigmata capitellata. Antherae erectae. Folia basi eglandulosa.

152. *L. catharticum* (Dale 1705, Rupp. L.) = *Cathartolinum pratense* Rchb. = *Linum pratense, flosculis exiguis* C. Bauh.! = *Linum sylvestre catharticum* Gerard 1597, Johnson! Raj. = *Linocarpos* s. *Linocarpum* Thal. 1588! = *Helleborine* Gesner 1555 (non Diosc.).

Herba annua, glaberrima, e basi adscendente erecta, 2—10 poll. Folia omnia opposita, inferiora ovalia, superiora elliptica. Flores in dichotomiis axillares et terminales. Sepala elliptica, margine glanduloso-ciliata, capsulam subaequantia. Petala alba, fere 2 lin.

In graminosis siccis, argillosis, nec non in pratis humidis. Floret ab initio Junii ad initium Julii, interdum serius; fruct. mat. fine Junii v. initio Julii usque ad init. Sept. ⊙.

Hist. *spec.* Circa Duderhof! m. Junio (Amman mss. 1736, n. 82, ex synn. Gerard, Thal., C. et J. Bauh.); in arvis passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 48 s. *Lino cath.* ut seqq.); in arvis et pratis succulentis circa Krasnoje Selo, Zarskoje Selo! et passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 76, n. 216) et in viciniis m. Duderhof! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 239, n. 227); abundat in pratis humidiusculis (Weinm. Pawl. 1824, p. 149); in pratis humidis ad viam Peterhofianam!, ad montem Duderhof! (Turcz. 1825, n. 209); in pratis humidiusculis, siccioribusque, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 33, n. 222); in ripis Tosnae fluvii et pr. Lissino (Borszczow, Graff!); ad aquaeductum Taitzensem, pr. Gatschina, Lapuchinka, urbem Luga, Gorodetz, lacum Peipus, fl. Plüssa pr. Poljá.

Fam. XXIV. OXYDEAE.

Char. Flores regulares. Sepala 5, basi interdum connata, persistentia, aestivatione imbricata. Petala 5, libera v. basi cohaerentia, decidua, aestiv. contorta. Stam. basi monadelpha v. libera, 10, alternis brevioribus, rarius 5; antherae introrsae, dorso insertae. Styli 5, conspicui, distincti. Ovar. 5 loculare; loculis pauci- v. pluri-ovulatis; valvae ab axi persistente haud solutae. Semina superposita, pendula, albuminosa, integumento exteriori arillaeformi, elastice solubili. Embryo axilis, rectus v. curvatus; radicula supera. — Folia exstipulata, alterna, petiolata,

composita, saepe irritabilia, juniora longitudinaliter complicata, spiraliter involuta.

Affinitas proxima cum *Geraniaceis* jam a Linnaeo perspecta; at carpidia absque gynophoro centrali connata, loculi rarissime monospermi, folia composita exstipulata distinctionem suadent.

Qualitates. Acidum Oxalicum fere in omnium herbâ reperitur, hinc virtus refrigerans, antibiliosa et antiseptica. Acaulium tubera amylacea, edulia. *Oxys vulgaris* s. *Acetosella* saporis grati acidi, virtutis dictae causa olim et passim hodie officinalis.

LXXVIII. OXYS,

a sapore acido sic dicta, ab antiquissimo tempore usque ad Vaillantium planta vulgaris nostra fuit et typum generis *Oxys* apud Tournefortium efficit; unice hoc nomine variae species descriptae a Plukeneto, Commelino et Rajo, nec non Dodonaeo, Clusio et Lobelio. Etiam *Oxys* Plinii esse potest. Nemo ante Linnaeum et 1737 hoc sensu *Oxalis* dixit vel scripsit. *Oxalis* patrum (Dodon., Caesalp., Tabern., J. Bauh.) nec non Romanorum et ὀξαλίς Graecorum, nomen erat generale pro *Rumice Acetosa* et specc. affinibus; Dioscoridi et ipsi Plinio *sylvestre Lapathum: Oxalis* audit.

Char. gen. Stam. 10. Caps. sicca, plerumque 5 gona; loculis 5 dorso dehiscentibus. — Herbae acaules v. caulescentes, rarius suffrutices. Radix saepe tuberosa v. bulbosa. Folia saepissime palmato- 3—5 foliolata. Flores pedunculati solitarii v. umbellati.

153. *O. vulgaris* Clus. 1576 in descr.! = *Oxys alba* Lamarck = *Oxys Plinii* s. *Pliniana* Gesner 1561! Pena et Lobel. 1576! (sed genuina Plinii herba etiam *O. corniculata* L. esse potest) = *Oxalis Acetosella* L. = *Acetosella:* Heucher, Rupp. = *Oxytriphyllon* Trag. 1552 (vix Diosc.) = *Trifolium acetosum*: Mesue

ex Brunf. 1536! Matth. Dodon. Thal., Calabris *Juliola*, ridicule a barbaris corruptum in: *Alleluja* (Scaliger) = *Oxys:* Ruell. 1537! Fuchs 1542 c. ic.! Dod. Cord.! Raj. Tournef. Boerh. Vaill.

Herba 2—4 pollicaris, pilosa, uniflora, acaulis vel potius rhizomate filiformi ramosissimo repente et ad basim ramorum squamis carnosis instructa. Folia ternata, foliolis obcordatis. Scapus folia excedens, medio bibracteatus. Petala calyce 2—4 plo longiora, 5—7 lin., obovata, basi attenuata, alba vel rosea, venis purpureis, supra unguem lutea, rarius (β Linné, subcoerulea: C. Bauh.) lilacina!. Capsula ovata, 3—4 lin.

In nemoribus et sylvis humidioribus totius Ingriae copiose. Floret ab initio ad finem Maji; fruct. mat. fine Julii vel serius. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Deschisaux 1725, p. 9 sub n. *Oxys* s. *Alleluja*); ubivis frequens in sylvestribus, florere incipiebat sub medium Maji (Krasch. Mss. et partim in Gort.), praesertim in insula Basilii!, ubi 1757 circa finem Aprilis jam florentem legi (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 73 s. n. *Oxalis Acetosella* L. ut seqq.); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in sylvis umbrosis subhumidis ubivis frequens est, uti in insulis apothecaria!, lapidea, Basileensi! (Sobol. Petr. 1799, p. 106, n. 303); in ed. ross. I, 1801, p. 308, n. 315 excluditur ins. lapidea); in sylvis muscosis vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 215); ubique (Turcz. 1825, n. 299); in sylvis et nemoribus umbrosis, Aprili ad Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 49, n. 335).

Fam. XXV. BALSAMINEAE.

Char. Flores perfecti, irregulares. Cal. et cor. 4 mera (*Hydrocerae* 5 mera). Sepala 4 decussata; extima 2 minora, aequalia, viridia, caducissima; interiorum petaloideorum unum infundibuliforme, longe calcaratum, alterum late cordatum carinatum. Petala 4 inaequalia, symmetrica; majora basi cum minoribus ± cohaerentia et sic

corollam dipetalam fissam referentia. Stam. 5; filamenta cohaerentia, brevia, clavata, fructu accrescente a toro soluta et sublata; antherae pseudo-1 loculares, post dehiscentiam in stellam 5 radiatam combinatae. Capsula oblonga, 5 loc., 5 valv., loculis 1—5 spermis; valvulae a dissepimentis elastice dissilientes, semina dispergentes et columellam 5 alatam relinquentes; *Hydrocerae* drupa. Semina exalbuminosa, pendula, *Impatientis* et *Hydrocerae* in loculo solitaria, *Balsaminae* plura uniserialia, *Hydrocerae* verticillata. — Herbae plerumque annuae, tenerae, succosae. Folia simplicia. Stipulae nullae v. obscurae. Pedunculi axillares vel pseudoterminales, bracteati.

Affinitas. De explicatione floris *Balsaminearum* apud auctores multum disputatum est. Nostra ex *Impatiente* typicâ indigenâ, cum illa cell. E. Meyer et Reichenbach 1841 convenit. Qualiscumque ceterum sit, hodie omnes in affinitate arctissima *Balsaminearum* cum *Oxydeis* et *Tropaeoleis* conveniunt, perhibitam olim cum *Fumariaceis* negantes.

Qualitates exiguae, *usus* subnullus. Omnes succo aqueo turgent. *Impatientem* nostram olim pro diuretica et antiarthritica habitam, hodie exoletam, copiosius intussusceptam diabetem inducere, credunt.

LXXIX. IMPATIENS.

Impatiens sc. herba Dodonaeo 1583 primum sic dicta et *noli me tangere*, quia fructus maturi contactu levissimo dissiliunt et semina elastice explodunt, quod jam Tragum terruit. Rivinus generice distinxit inter *Impatientem* et *Balsaminam* quoad capsulam longam et brevem, ex aliis rationibus quoque Candollius; Linnaeus ambas conjunxit sub nomine *Impatiens*, ita

etiam recentissimi. *Balsaminae* nomen quidem antiquius, jam a Fuchsio et Trago propositum, sed extra foemiminam s. *hortensem*, etiam masculam s. *Momordicam* comprehendit, e cujus solum pomis immaturis oleum s. Balsamum vulnerarium conficiebatur; unde nomen.

154. *I. noli tangere* L. = *Balsamina lutea* C. Bauh. = *Impatiens* Dodon. 1583! = *Noli me tangere* Gesner 1552, 1561!, Camer. Thal. Besler = *Mercurialis silv.* 2 s. *Esula* (false) Trag. 1552 ic. prima!

Herba tenera, glaberrima. Caulis 1—3 ped. digitum crassus, succosus, geniculis tumentibus. Folia alterna, ovalia, acuta, grosse serrato-dentata. Pedunculi 3-∞flori, folio subjecti. Flores penduli, pollicares, citrini, fauce et in sepalo petaloideo maximo punctis kermesinis adspersi. Calcar apice sigmoideo. Noctu obdormit foliis pendulis laxis (Linné).

In fossis obumbratis, fruticetis et sylvis humidis ad fontes, pluribus locis copiose. Floret a fine Junii v. serius ad finem Aug.; fruct. mat. saltem a medio v. fine Aug. ⊙.

Hist. spec. Jam Deschisaux (1725, p. 9) in sylvaticis circa Petrop. copiosam vidit. In omnibus fere insulis, praesertim vero in ins. Petri! in locis humidioribus inter Filices! copiosissime provenit (Krasch. Ind. Mss. 1749, n. 215); ubivis locis humidis et sylvosis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 142); in sylvis et locis humidis arenoso-argillosis, umbrosis, uti: ad fabricam pyriam Ochtensem, in vico Strelina! et Catherinhofii! (Sobol. Petr. 1799, p. 208, n. 576), etiam in ins. Basileensi (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 186, n. 593); in sylvis, locis umbrosis, humidis, montosis, flor. Jun. Jul. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1818, p. 85, tab. XXVIII); in sylvis paludosis umbrosis vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 112); in ins. lapidea, prope Katherinhof!, Golodaja! (Turcz. 1825, n. 173); in sylvis umbrosis humidis copiose, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 28, n. 182); ad fl. Oredesh pr. Wuira, ad lacum Tscheremenetzkoje pr. monasterium; ad limites austr. occid. pr. Lotschkina.

Subclassis II. Polypetalae Calycanthae.

Petala plura disjuncta cum staminibus disco, basi calycis adnato, inserta — vel calyx ovario adnatus petala et stamina gerens. Calycis sepala, saltem basi, inter se connata.

Fam. XXVI. CELASTRINEAE.

Char. **Flores regulares, parvi, plerumque virescentes. Aestivatio cal. et cor. imbricata. Discus carnosus calycis fundum vestiens. Cal. persistens 4—5 fidus. Cor. petala 4—5, decidua. Stam. 4—5, perigyna, cum petalis alternantia; antherae introrsae, biloculares. Stylus brevis; stigma integrum v. lobatum. Fructus vel drupaceus carnosus indehiscens vel capsularis loculicide dehiscens: valvis medio septiferis et septis margine seminiferis. Semina erecta v. adscendentia, rarissime exarillata; integumentum raphe longitudinali percursum. Embryo in axi albuminis copiosi orthotropus. — Arbores v. frutices, subinde scandentes v. spinescentes. Folia alterna, rarius opposita, simplicia, integra, saepissime coriacea et glaucescentia. Stipulae parvae, caducissimae. Flores axillares, cymosi.**

Affinitas cum *Rhamneis* summa; differunt *Celastrineae:* aestivatione, staminum situ, fructu et embryone.

Qualitates affinitatem dictam corroborant. In plerisque substantiae amarae et adstringentes cum acribus, purgantibus et emeticis junguntur. Fructus carnosi, subinde edules; semina saepe oleo pingui plena. *Evonymi* species europaeae omni ex parte saporis nauseosi, odoris ingrati, alvum et emesin movent; e fructibus unguentum olim paratum ad pediculos capitis necandos; lignum flavidum variis artibus utile; fructus colorem flavum suppeditant.

(LXXX.) EVONYMUS

Plinii sive arbor εὐώνυμος Theophr. i. e. „nomine celebri" vel, ut Bodaeo placuit „arbor infelix" ex verbis Theophrasti nascitur in insula Lesbo, in monte Orcynio, cui nomen Ordyno et alibi; folia vel fructus gustati pecus et speciatim capras enecant. Descriptio in *Evonymum* Rec. non bene cadit, nonnulla potius *Nerium* leviter indicant, apud Dioscoridem primo obvium. *Ev. vulgaris* Clus. Lam. (*E. europaeus* α *tenuifolius* L. ex parte), referente Clusio, a capris imo maxime appetitur, quae ejus foliis avide et sine noxa vescuntur, quare in Pannonia Rosa arbor caprina dicitur. Sub *Evonymo* patres fere omnes (Matth. Dodon. Gesn. Lobel. Thal.) *vulgarem* intellexerunt, cui Clusius reliquas duas Europae mediae species addidit, ita ut ideam generis puram ante Tournefortium habuerit, melioremque C. Bauhino, qui *Coffeam* adjunxit. Linnaeus species a Clusio optime distinctas in *E. europaeum* coëgit et partim confudit, *E. Colpoon* (*Fusanum* L. sec. Endl.) generi suo admiscens. Petrus de Crescentiis, Bononiensis, auctor saec. XIV, *Evonymum* sub nomine *Fusanus* proposuit (*Fusano* s. *Fusaro*, *Fusain*, Spindelbaum), quod a tornitoribus ad fusos parandos jam illo tempore expetebatur.

Char. gen. Flores perfecti. viriduli. Caps. 3—5 locularis; valvis coriaceis dorso angulatis v. carinato-alatis.

Semina in loculis (saepissime abortu) 1, rarius 2—4, arillo succulento colorato ± inclusa. — Arbusculae v. frutices, ligno flavo, foliis oppositis, pedunculis axillaribus.

(155.) *E. verrucosus* Scop. 1772! = *E. europaeus γ leprosus* Linné fil. 1781! = *E. pannonicus* Tabern. 1590! (non Camerar. 1588!, qui *E. latifolium* admiscuit) = *E. alter* Clus. 1583 c. ic. bona! (e Pannonia, Moravia et sylva arcis Greitzenstein pr. Vindob.); a Linnaeo cum *E. europ. α tenuifolio* confusus.

Rami teretes, verrucosi (in *E. vulgari* tetragoni laeves). Petala 4 suborbiculata (in *vulgari* oblonga), viridia punctis sanguineis minutis adspersa (in *vulgari* deficientibus). Arillus sanguineus semen atrum dimidium tegens (nec totum semen rubens s. album, ut in *vulgari*). Folia oblonga vel elliptica serrulata. Capsula sub 4 loba, obtusangula, aptera, aurea.

In circulo Jamburgensi, ad fluv. Luga prope Chotnäje reperit D. Bode (A. Bode Holzgew. Eur. Russl. 1851, p. 66). ♄.

Obs. E. europaeus L. in sylvis montosis circa fl. Luga, fl. Majo, Jun., indicatur in Sobol. Fl. Petrop. 1799 p. 60, n. 173; edit. Ross. I, 1801, p. 189. n. 180, ubi, nescio quo jure, Gorter inventor citatur et rami laeves describuntur, quare forte *E. vulgaris*, in Livonia austr. indicatus.

Fam. XXVII. RHAMNEAE.

Char. Cal. aestivatione valvatus. Cor. petala aestiv. complicata, interdum deficientia. Stam. petalis opposita et ab iis tecta; antherae versatiles. Germen calyci ± adnatum, disco glanduloso saepissime immersum, 3- rarius 2- v. 4-loculare. Styli loculorum numero, ± inter se connati. Fructus 2—3 locularis, rarius 1 loc., nunc inde-

hiscens drupaceus, nunc capsularis. Semina in loculis plerumque solitaria; arillus nullus; albumen plerumque parcissimum. Cetera *Celastrinearum.*

Affinitas cum *Celastrineis* jam memorata. Accedunt etiam *Rhamneae* ad *Euphorbiaceas* respectu oeconomiae fructus, sed floribus perfectis, corolla et staminibus disco calyci adnato insertis, seminibus pendulis exarillatis multum differunt.

Qualitates et usus generatim ut in *Celastrineis. Rhamni catharticae* fructus carnosi, nauseoso-amari, purgant, rarius emesin provocant; simili efficacia cortex interior instructus; e baccis immaturis color viridis et flavus praeparatur. *Frangulae* cortex interior cum *R. cathartica* convenit, radicis validior, externe ad sanandam scabiem passim a plebe usitatur; ligni carbones ad pulverem sclopetarium aliis praeferuntur.

Characteres generici.

RHAMNUS. Calyx post anthesin deciduus, basi circumscissa persistente. Germen superum. Drupa carnosa vel coriacea, 2—4 pyrena. Semen externo latere exaratum, sulco deorsum ampliato. — Frutices v. arbusculae, fol. stipulatis, rarissime oppositis, axillaribus, virescentibus, racemosis, fasciculatis v. solitariis. Genus melius in plura dirimendum, quorum sequentes Ingriam intrant:

(LXXXI.) RHAMNUS (s. str.). Flores polygami, normaliter 4 meri. Stylus 2—4 fidus. Cotyledones involutae, naviculares. — Folia opposita, rarius alterna. Rami saepe spinosi.

LXXXII. FRANGULA. Flores ☿, 5 meri. Styli connati, stigma capitatum. Cotyledones planae. — Folia semper alterna. Rami inermes.

(LXXXI) RHAMNUS.

Ράμνος Theophr. et Diosc. (Plin. et Colum.) pro *Rhamno oleoide* et *saxatili* habetur, quare etiam *Rhamnus* Tournef. 1694, Haller, sive *Cervispina* Dillen. 1719, quae Linnaeo et Candollio tantum subgenus *Rhamni.* Apud Graecos et in versione prima latina Gazae *Rhamnus* generis foeminini, masculini apud plerosque patres et Linnaeum.

(**156.**) *Rh. catharticus* Dalech. 1587, C. Bauh., Raj. L. (lege *cathartica*) = *Rh. solutivus* Dodon. 1583 c. ic.! (nomen barbarum non admissum) = *Spina infectoria* Camer. 1586 cum sexus discrimine et bona icone! = *Cervispina* (Cord. 1561) *Cordi* et *Rivini* Rupp. = *Rhamni* alia species Trag. 1552 c. ic.! = *Rhamnus*, Gallis *Burgaspina* et *Neprus* dicta Ruell. 1537!

Frutex, interdum in Ingria arborescens, 2 orgyialis, cortice interiori flavo, in sicco rubro-fusco. Rami patentes rigidi, spinosi. Folia ovata, glanduloso-serrata. Flores viriduli, in axillis foliorum numerosi fasciculati. Drupa globosa, 4 pyrena (5 pyrena, floribus 5-meris saepissime in Germ. bor. occ. obs. Roth). — In Ingria glabrescit; tantum rami vernales, quorum stipulae petiolo aequilongae sunt, pubescunt.

In locis siccis, asperis, elevatis, substrato plerumque calcareo formationis Silurici et Devonici rarius: in ripa (etiam Ingrica) fl. Narowa ad cataractam; fl. Pljussa inter Poljà et Gawrilowskoje copiose cum *Tiliis* et *Ulmis;* circa lacum Tscheremenetz pluribus locis v. g. Gostkino, Petrowskoi Pogost, Iugostitzy, Nawolok; at pariter in colliculis mere arenosis ad lacum Peipus pr. Samogilje non parce (conf. R. Bullet. Acad. 1854, p. 215). Floret fine Maji v. initio Junii; initio et medio Julii penitus deflorata, fruct. semimaturis. ♄.

Hist. spec. Circa cataractas Narvae fluvii! (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 37; Weinm. Pawl. 1824, p. 111;

falso „Newae fluv." in Sobol. Petrop. 1799, p. 59, n. 171 et in ed. ross. I, 1801, p. 187, n. 178); Ingria (Georgi 1800, p. 791, n. 1 verosimile ex Gorter, loco potius ad Esthoniam pertinente); in sylvis prope Narvam, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 27, n. 169).

LXXXII. FRANGULA,

Matthiolo dicta ex vernaculo italico *Frangola*, nam ligni materies omnino fragilis et imbecilla est (Camer.). Genus *Frangula* a *Rhamno* diversum apud Tournef. 1694, Haller, Mönch, Reichenbach.

157. *F. Dodonaei* Rupp. 1718 (in indice) = *F. vulgaris* Rchb. = *F. Alnus* Mönch 1802! = *Alnus nigra* (Dod. Lobel.) *baccifera* C. Bauh.! = *Rhamnus Frangula* L.! = *Frangula* Matth. 1562, Dodon. 1583 c. ic.! Camer. 1586 ic. bona! = Faulbaum Trag. 1552 c. ic.! = *Avornus* Petrus de Crescentiis saec. XIV (teste Dodon.).

Frutex orgyialis et humilior, erectus. Folia basi ovata, apice acuminata, ovalia, late elliptica vel obovata, margine integerrima v. subrepanda. Pedunculi axillares subfasciculati. Calyx intus cum petalis albus. Drupa 2—3 pyrena, rubra, matura nigra, succo coeruleo.

In fruticetis et sylvis, praesertim humidis, in ripis depressis vel etiam elevatis fluviorum et lacuum, ubique copiose; rarius in arenosis (circa urbem Luga et lacum Peipus). Floret a fine Maji m. v. initio Junii usque ad med. Julii; fruct. mat. medio Jul. v. Aug. ♄.

Hist. spec. Inter Petropolim et Bronitz ubique m. Aug. (Gmel. mss. 1733, n. 139 s. n. *Frangula* Dodon.); in sylvis non admodum siccis frequens est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 37 s. n. *R. Frangula* L. ut seqq.); ubique in sylvis subhumidis uti: in m. Poclonnaja! et Pulcova! et in insulis apothecaria, lapidea, aliisque! frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 59, n. 172; in ed. Ross. I, 1801, p. 188, n. 179 locus Pulcova exclud.); in sylvis

et fruticetis humidis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 111); ubique (Turcz. 1825, n. 162); in sylvis et fruticetis ubique, Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 26, n. 170); ad cataractas fl. Wolchow; ad monasterium Tscheremenetz.

Fam. XXVIII. PAPILIONACEAE.

Char. Cal. 5 dentatus v. bilabiatus. Cor. irregularis, papilionacea, 5 petala. Petala libera v. rarius inter se et cum staminibus connata; posticum (vexillum) dissimile, aestivatione extimum, complicatum; lateralia duo (alae) inter se conformia; inferiora 2 plerumque (in carinam) coalita. Stam. 10, monadelpha vel (decimo libero) diadelpha, vel (in tribu *Podalyriearum* et *Sophorearum*) libera. Stylus et stigma simplex. Ovarium liberum, monophyllum; placenta unilateralis, juxta suturam vexilli posita. Fructus: legumen bivalve, 1 loculare vel (in *Hedysarearum* tribu) lomentum. Seminum funiculus ± distinctus; albumen nullum v. parcum; cotyledones plerumque crassae, pleurorhizae. — Folia alterna, plerumque trifoliolata v. pinnata, stipulata.

Affinitas. Papilionaceae septemtrionem versus mirum in modum numero specierum decrescentes, familiam summe naturalem et distinctu facillimam constituunt. Per *Caesalpinieas* tropicas in *Swartzieas* fere transeunt, quarum corolla saepe regularis Rosacea, petala et stamina receptaculo, rarissime calyci inserta sunt. In organis vegetativis (foliis et stipulis) aliquis adest cum *Rosaceis* nexus.

Qualitates et usus. Legumina et semina plurium

ante maturitatem muco et saccharo scatent. Semina matura specierum frequenter cultarum: *Ciceris*, *Fabae*, *Lentis*, *Pisi*, *Phaseoli* alq. amylum cum singulari glutinis specie (legumina) continent et cibum hominibus non nimis facilem suppeditant. *Vicia sativa* seritur pro pabulo columbarum, saginatione et pane crassiori. Farina seminum tusa duros tumores ad suppurationem cogit. Aliarum herba muco et saccharo referta, uti: *Trifolii* et *Medicae* species variae, praecipue cultae, gratum jumentis pabulum praebentes. Idem de *Viciis* nonnullis valet. *Melilotus officinalis* et affines sapore acri-aromatico et amaro-nauseoso, florum odore peculiari excellunt, in sicco evidentiori et permanente, tineis inimico; emplastris emollientibus et maturantibus conficiendis sub *M. citrinae* nomine in officinis servatur; flores odorem peculiarem et saporem repetunt non ab acido Benzoës, sed a peculiari Stearopteni specie, recentius Melilotina dicta, omnino identica cum Coumarina sive Camphora fabis *Tonka* contenta. *Loti corniculatae* proventus copiosior prata laeta indicat; virtus *Melilotis* similis, sed inferior. Folia *Astragali glycyphylli* sapore amaro et nauseoso-dulci adversus dysuriam olim in officinis erant; radix dulcis. *Vulneraria rustica* propter efficaciam adstringentem olim laudabatur. *Lathyrus sylvestris*, referente Linnaeo, ob foetorem a pecoribus negligitur; *L. pratensis* propter amaritiem. Semina *Lathyri maritimi*, ut herba ipsa, amariuscula; tamen in magna annonae caritate, quae contigit a. 1555, pisis his se suosque sustentasse, accolas litoris Aldeburgici et Orfordiensis, refert Gesner (lib.

de Aquat. 4, 256) ex epistola D. Caji et post eum J. Stow in Chronico suo (Raj.). *Trifolium pratense* colorem luteum, *T. agrarium* viridem, *Vulnerariae* flores coeruleum praebent, sed in arte tinctoria nunc vix adhibentur.

Conspectus generum indigenorum.

Tribus I. LOTEAE.

Cotyledones planiusculae; sub germinatione epigaeae, foliaceae, stomatiis praeditae.

Subtribus 1. **GENISTEAE.** Stam. normaliter monadelpha. Legum. 1 loculare.

⚹ ONONIS Theophr. Cal. profunde 5 partitus, persistens, fructifer apertus. Vexillum striatum. Carina acuminato-rostrata. Folia 3-, hebetatione 1-foliolata. — *O. repens* (inermis) L. Rchb., Koch, ad ostia Newae introducta, a. 1849, 50 floruit et fruct. mat. perfecit (Kühlewein!). *O. hircina* Jacq. non prius, quam Revaliae et in paroecia Sibbo in conspectum venit.

(LXXXIII.) VULNERARIA. Cal. 5-dentatus, marcescens, fructifer clausus et legumen includens. Folia imparipinnata, hebetatione 1 foliolata.

Subtribus 2. **TRIFOLIEAE.** Stam. diadelpha. Legum. 1 locul. Folia palmatim 3 foliolata (v. in exteris specc. 5 foliol.).

LXXXIV. LOTUS. Carina rostrata. Legumen saepe dehiscens et subteres, septis transversis mollibus. In *L. eduli* (§. *Krokeria* Mönch) legum. fere biloculare, sutura impressa.

LXXXV. TRIFOLIUM. Tubus staminum petalis ± adnatus. Corolla marcescens, persistens. Legumen calyce subinclusum, sub 1 spermum.

LXXXVI. MELILOTUS. Legumen breve turgidum, rectum. Ovarium ad stylum usque rectum.

LXXXVII. MEDICA. Legumen (excl. §. 1) compressum, in cyclos 1 — 5 contortum. Ovarium cum tubo staminum sursum curvatum.

§. 1. LUPULINUM. Legumen turgidulum, reniforme, apice contortum, inerme.

§. 2. MEDICA. Leg. dehiscens, falcatum vel in cochleam centro perforatum contortum, inerme.

§§. reliquae extraneae.

Subtribus 3. **ASTRAGALEAE.** Stam. diadelpha. Leg. 1—2 loculare. Folia impari-pinnata.

(LXXXVIII.) ASTRAGALUS. Carina mutica. Legum. ± complete biloculare; dissepimentum ex sutura inferiore introflexa formatum.

Tribus II. VICIEAE.

Cotyledones crassae, farinosae, sub germinatione hypogaeae, stomatiis destitutae. Folia (exc. Cicere) abrupte pinnata, setula vel cirrho terminata, interdum ad phyllodia (petiolos) reducta. Stylus fere semper apice pubescens. Stam. rarissime (in Viciis quibusd.) monadelpha.

Subtribus 1. Tubus staminum oblique truncatus.

⋇ CICER Plin. Stylus glaber. Folia impari-pinnata. Leg. inflatum 2 sperm., apiculatum. — *C. arietinum* Trag. 1539! Cord. Gesn. Lob. Dod. L. (ἐρέβινθος Antiq.) in ruderatis circa urbem a. 1844 leg. D. Kühlewein!

⋇ LENS Plin. Stylus tenuis, a dorso compressus, supra linea longitudinali pubescens, infra glaber. Legum. compressum, brevissimum, rhomboideum, 1—2 spermum, apice breve rostratum. Semina orbicularia, compressa. — *L. vulgaris* C. Bauh. Tournef. Rupp. (φακός

Theophr. Diosc.) frequenter colitur, in agris superstes et in ruderibus circa urbem rarius enascitur (Borszcz.)

LXXXIX. VICIA. Stylus a dorso v. latere compressus, in latere inferiori apicis valde barbatus vel circumcirca pubescens. Legum. apice oblique truncatum, rostratum.

Subtribus 2. Tubus staminum angulo recto truncatus.

⚹ PISUM Plin. Stylus basi geniculatus, triqueter, basi supra carinatus, infra canaliculatus, superne a latere compressus, suturâ inferiore villosâ. — *P. sativum* L. (πίσον Hipp. Theophr.) semel in ruderatis Petrop. visum (Borszczow!), ceterum frequenter cultum.

XC. LATHYRUS. Stylus a dorso compressus, sursum saepe dilatatus, suturâ superiore pubescens.

(LXXXIII.) VULNERARIA.

Herbam, ita ex vernaculo germanico Wundkraut a Gesnero 1561, C. Bauh. et Dillenio appellatam, in dignitatem generis evexit Tournefort, quod Haller et Mönch agnoverunt, recentiores (Candoll. Rchb. Endl.) tantum subgenere *Anthyllidis* L. Utrumque ex characteribus generice distingui posse, cel. Fries 1842 docet. Genus *Anthyllis* Rivini 1691 ortum est ex *Anthyllide* leguminosa Lobel. Clus. Camer., quae eadem planta cum *Vulneraria* Gesneri. Ἀνθυλλίς vero Dioscoridis duplex est; prima s. *Anthyllion* Plin. in salsis et apricis terris nascens non insulso gustu hodie *Cressa cretica* dicitur, ut jam Alpinus 1627 perspexit; altera cel. Fraas *Frankenia hirsuta* videtur.

(158.) *V. rustica* Gesner 1561! J. Bauh. c. ic.! Tournef.! Lamarck! = *Vulneraria pratensis* C. Bauh. 1623! Dillen. = *Anthyllis Vulneraria* L.! = *Anthyllis* Dodon. 1553 c. ic.! (non Diosc.).

Caulis adscendens, 5—8 pollicaris. Folia radicalia ova-

lia, interdum absque pinnulis, caulina pinnata, 1—4juga. Bracteae capitula, saltem superiora, haud aequantes, ad medium vel ultra 3—5 partitae. Corolla lutea, marcescens aurantiaca v. fere coccinea. Calyx fere semper apice coloratus. Indumentum in caule, calycibus et pagina fol. inferiori subsericeum, sub capitulis praecipue argenteo-sericeum, ita, ut ad *A. maritimam* Schweigger ex Hagen accedat, quae tamen statione, floribus ochroleucis, carina saepe punicea et ex Reichb. herb. norm. exsicc. n. 272 foliis lanceolatis differt. Haec est forma *calcarea* c. Narwam proveniens. Altera *arenaria* (Lugensis) erectior, major, saepe $1^1/_2$ ped., minus sericea; folia habet radicalia plerumque simplicia et majora, calycem raro coloratum, capitula in caule fractiflexo copiosiora; haec differt a *vulgari* forma extranea, quod nullibi versus basim caulis et petiolorum pube divergente tecta sit. In Fries herb. norm. Scand. X, 48 exhibita est duplex forma, quarum una cum nostra *calcarea* plane congruit et ex Gothlandia videtur, ubi pariter in rupibus calcareis crescit. Plantam litoralem a Krasch. indicatam non vidi.

Hist. *spec.* Ad ostium fl. Narowae in pineto; praeterea vidi nullibi; credibile tamen est, circa littus maris ubivis similibus locis crescere (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 111 sub *A. Vulneraria*, ut Sobol. Petr. 1799, p. 167, n. 459; ed. ross. II, 1802, p. 82, n. 472 et Falk Beitr. II, 1786, p. 223, n. 817, ubi false „Newa"); copiose in ripa Ingrica fl. Narowae versus cataractam, in pratis apricis substrato calcareo vel rarius in rupestribus adest forma *calcarea;* forma *arenaria* ex septemtr. urbis Luga in ericetis et arenosis ad margines pineti et viarum, unico loco, sed magna copia (conf. R. Bull. Acad. 1854, p. 215, 222, 223 s. *A. Vulneraria*). Initio et medio Julii florens utraque forma; *arenaria* praecocior, utpote init. Jul. c. fruct. maturis.

LXXXIV. LOTUS.

Λωτός, Bodaeo asserente, dicta ab antiquo λῷ: quod valde desideratur, expetitur, quodque odore, sapore et

colore placet; aegyptiam vero esse vocem Herodotus (sub *Nymphaea Loto*) docet; utrumque forte, si a Graecis in Aegypto agentibus nomen illud impositum. Homerus *Loton* primam nominavit inter herbas Deorum voluptati subnascentes; alibi μελιηδέα vocat, ubi „equi commedunt mellea dulcedine *Lotum*" (*Trifolium fragiferum* ex mente cl. Fraas). Praeter arborem *Lotum* (*Zizyphum* et *Diospyrum Lotum*, nec non *Celtin australem*) Graeci et Romani sub herba *Loto* generatim plures Leguminosas ad pabulum pecorum idoneas intellexerunt. *Lotus* Dioscoridi triplex: 1. *sativa*, λ. ἥμερος, hodie aut *Melilotus coerulea* aut (ex cl. Fraas) *M. italica;* 2. *sylvestris* s. Lybia, varie interpretata; a Pona pro *Loto ornithopodioide*, a Dodonaeo pro *Loto corniculata* (generis hodierni fons), e figura in Codice Caes. Diosc. antiquissimo a C. Bauhino pro *Loto hirsuta?*, a Gesnero pro *Trigonella corniculata*, a Tabernaemontano pro *Meliloto officinali*, a cel. Fraas vero pro *Trigonella elatiori* Sibth.; 3. *aegyptia*, hodie *Nymphaea Lotus.* Species quaedam hodierni generis *Lotus* hoc nomine apud Dodonaeum, Gesner, Dalechamp et Camerarium obveniunt; *Loti* plurimae apud C. Bauhinum etiam *Loto* Linnaei respondent. Ideam generis magis excultam apud Rivinum et Tournefort. invenimus. *Lotus* Linnaei Spec. plant. consistit ex generibus: *Tetragonolobo* Knaut, *Loto* Knaut (utroque in Linnaei gener. pl. 1737—1754 distincto) et *Dorycneo* Tournef. (a Linnaeo 1735—1748 pariter recepto). Nomina trivialia rectius genere foeminino scribuntur in Linnaei Spec. pl. ed. I, Fl. Suec. II et p. p. adhuc 1759; non aliter, ac apud plures patres, Virgilium et Plinium.

159. *L. corniculata* (glabra minor J. Bauh. 1651 ex syn.! Raj. Tournef.) L. = *Trifolium corniculatum* Dodon. 1566 c. ic.! = *Melilotus germanica* Fuchs 1542!

Caules solidi, procumbentes. Stipulae par foliolorum

mentientes. Foliolum terminale obovatum. Capitula 3—5 flora in pedunculis elongatis. Flores 5—6 lin., lutei. Legum. 8—12 lin. longa, 1 lin. crassa, 8—10 sperma. — Herba parce ciliato-pilosa, calycibus glabriusculis (α *vulgaris* Koch, Ledeb.); variat hirsutior (β *ciliata* Koch, Ledeb.) et cano-hirsuta (*L. villosus* Thuill.?). Planta ruderalis, ad ostia Newae advecta, ad *L. tenuifolium* Pollichii accedit ex foliolis angustioribus et acutioribus; sed caulis non semper fistulosus et foliola quaedam cum stipulis intercurrunt latiora et obtusiora. Memorabilior ceteris est varietas:

*maritima**, adulta glaberrima; folia succulenta, glaucescentia, saepe majora, foliolo terminali interdum obcordato; flores majores 7 lin., subinde carina v. vexillo sanguinei; legum. ad 15 lin. longa, $1^3/_4$ lin. crassa; semina majora; tamen in formam vulgarem hinc inde transire videtur. Haec var. crescit in litore arenoso marino pr. Oranienbaum! et in ins. Kronstadt! (rhizomate eximie laxo ramoso, subrepente), nec non in pratis maritimis ad Dolgoi Noss (florib. minoribus).

Hist. spec. Jamburgi! primum vidi, inde inferiora versus fl. Lugae! in pascuis vulgaris planta est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 117); Newa, in graminosis siccis (Falk Beitr. II, 1786, p. 229, n. 866); etiam in Strelinae pratis elevatis siccis et ad litus maris arenosum (Sobol. Petr. 1799, p. 176, n. 484; ed. ross. II, 1802, p. 102, n. 498; additur locus Krasch.); in pratis arenosis prope Strelnam et in declivibus pr. Oranienbaum, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 352); in maritimis arenosis pr. Strelna, Peterhof et Oranienbaum (Turcz.! 1825, n. 452, ex spec. orig. ad var. *maritimam*); in arenosis maritimis; Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 73, n. 489; a Ledebour in Fl. Ross. I, 1842, p. 561 ad α *vulgarem* citatur, sed diversa est et ad var. *maritimam* pertinet); in maritimis saepissime glabra; sed forma pilosiuscula quoque adest v. g. pr. Murina et Krasnoja Gorka (Hb. Graewenitz et Kühlew. ex Rupr. Diatr. Petr. 1845, p. 77); forma α *vulgaris* in loco quodam ex septemtr. urbis

Luga, in ericetis arenosis sat copiose; eadem rarius in β *ciliatam* et cano-hirsutam abiens, copiosissime in toto tractu ab Opolje saltem usque Tschirkowitzi; forma β *ciliata* copiose inter urbem Narwa et cataractam, in campis et calcareis apricis; forma *cano-hirsuta* parcius in arenosis infra urbem Narwa et in tractu inferiore fl. Luga; praeterea *Lotum* tantum vidi inter Gorodetz et Pljussa, nec non inter Tolbitzy et Lotschkina. Deest igitur in pluribus Ingriae plagis v. g. orientalibus et in regionibus substrato calcareo recentiori syst. silurici; in ditione Fl. Petrop. fere sola var. *maritima* adest. Floret a fine Maji (in maritimis plerumque serius) usque ad initium Augusti (in ruderibus adhuc medio Aug.); fruct. mat. initio Julii, sed legumina effoeta saepe in annum sequentem persistunt. ♃.

LXXXV. TRIFOLIUM.

Τρίφυλλον Dioscoridis Plinius *Trifolium* vertit, estque *Psoralea bituminosa.* Theophrastus, ut ajunt, *Trifolii pratensis* nusquam meminit, cum vulgaris planta sit, nusquam non obvia. Dioscorides λωτόν τρίφυλλον vocat. Scribonius Largus, Apuleji discipulus, primus *Trifolium* quoddam *pratense* commemorat. Evidentius *Trif. arvense* apud Plinium et Dioscoridem nomine *Lagopus* occurrit, cui plura *Trifolia* apud patres associata, ut inde genus *Lagopus* apud Rivinum 1691 exortum sit, citra *Trifolium*, quocum Linnaeus junxit. *Trifolii* species genuinae ceteroquin sub hoc titulo jam apud patres primos artis botanicae inveniuntur, sed quoque *Medicae*, *Meliloti*, *Loti* et aliae plantae heterogeneae foliis ternatis donatae, uti: *Psoralea*, *Menyanthes*, *Oxys*, *Hepatica* alq. Genus hodiernis limitibus constituit Tournefort., Linnaeus *Melilotum* admiscuit.

§. 1. LAGOPUS. Antiq. et patr. Rivin. Koch = *Lagopoda* Linné. Flores in spica subglobosa v. conicocylindrica, sessiles. Calycis faux interne linea elevata callosa et saepe pilosa, vel annulo pilorum obsita, demum

plerumque clausa. Legumen calycis tubo inclusum. Flores purpurei, albi.

160. *T. arvense* L. (non Tabern., quod *Medica lupulina*) = *T. arvense humile spicatum* s. *Lagopus* C. Bauh. 1623! = *Lagopus* Plin. Fuchs 1542 c. ic.! Matth. Camer. Rivin. (pes leporis: Lobel.) = λαγώπους Diosc.

Spicae cylindricae, cano-villosissimae, longe pedunculatae, basi nudae. Flores albi, minuti, dentibus calycinis aequilongis, plumosis distincte breviores. Folia lineari-oblonga, subintegerrima.

In arvis, agris, inter segetes, in apricis, arenosis, ruderatis, per totam Ingriam copiose. Floret ab initio Julii saltem usque ad medium Sept.; fruct. mat. ab initio Aug. ⊙.

Hist. spec. Passim in agris desertis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 115); in arvis et agris montosis, apricis, uti circa Sarskoje Selo et Murzincam (Sobol. Petr. 1799, p. 174, n. 478; ed. Ross. II, 1802, p. 97, n. 491); in locis sterilissimis passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 350); ubique (Turcz. 1825, n. 449); in locis apricis sterilibus, arvis et pascuis (Weinm. Petrop. 1837, p. 71, n. 470).

161. *T. pratense* Trag. 1552 ex ic.!, Matth., Dodon. 1566! Lobel. Tabern. usque ad Linné = *T. purpureum* Rivius 1543 (fide Afzel.) = *T. pratense purpureum* Fuchs 1542 c. ic. bona! — *T. pratense* titulus collectivus erat Fuchsio aliisque ad C. Bauhinum usque. Afzelius 60 icones varias h. sp. vidit, e quorum numero tantum 15 originariae; prima exstat in Röslin Herb. 1532 s. n. *Trifolium.*

Spicae globosae, demum ovatae, saepissime basi involucratae. Flores purpurei, rarius in β albi. Stipulae latae, ovatae, abrupte aristatae, albidae, pellucidae, venis violaceis pictae. Foliola ovali-oblonga, inferiora latiora, saepe retusa, emarginata, subintegerrima, profunde viridia, tenuia, saepe maculata, adpresse pilosa. Caulis adscen-

dens. Variat floribus saturatius purpureis (Strelna: Borszczow!).

β *sativum* Afzelius 1790!, Miller 1807! = *T. purpureum majus sativum pratensi simile* Raj. 1696, 1724! = *T. pratense*, quod seritur apud Brabantos, laetius et procerius Dodon. 1566! Planta culta v. efferata, major, caule saepe fistuloso, spicis subgeminis, quandoque basi nudis et exserte pedunculatis. Addit Afzelius: legumen saepe dispermum, stylus frequenter brevior, vexillum et alae magis divergentes, calyx villosior, dens infimus longior, foliola acutiora, tota planta glabrior. Cel. Reichenbach pro distincta specie habuit.

In pratis per totam Ingriam copiose; α rarius, aprica et calcarea magis amat. Floret a medio Majo v. Junio usque ad finem Octobris, modo si gelus non — 3°R. excesserit. Perenne!, at e seminibus satis primo anno floret et fructificat; *sativum*, jam Rajo observante, non adeo vivax est et durabile, nec seipsum serit, unde apud Koch bienne dicitur.

Hist. spec. Ubique a Petropoli usque ad Twer copiose, fl. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 77 ex syn. C. Bauh. Pin.); in pratis ubique frequens est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 115; Sobol. Petrop. 1799, p. 174, n. 477; ed. ross. II, 1802, p. 96, n. 490); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in pratis et ad agrorum margines sat frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 349); in herbosis ubique (Weinm. Petrop. 1837, p. 71, n. 472 cum var. β *minus*, quae nostra α typica videtur).

162. *T. flexuosum* Jacq. 1776 tab. 386 nec non descr. optima! = *T. medium* Linné (testante Afzel. 1790), Hudson 1762 (propter syn. Raji cit.) = *T. pratense purpureum majus* Raj. 1690 bene descr. = *T. majus* 3 Clus. 1583! 1601 icon optima, a Jacq. recognita (contra Afzelium, qui ex hac *T.* quoddam *rubens* β fecit).

Simile *T. pratensi*, sed flores saturatius purpurei, numquam albi, capitula numquam arcte sessilia; stipulae

lineari-lanceolatae, longe acuminatae, opacae; foliola elliptica vel lanceolata, tenuissime denticulata, laete viridia, firmiora, distincte penninervia; caulis plerumque flexuosus, ramosus.

In pratis montosis, ericetis, per Ingriam passim copiose, rarius in reg. demissa Petrop. Floret m. Julio, rarius initio Junii v. Augusto; fruct. mat. fine Julii et Aug. ♃.

Hist. spec. Jam ab Ammanio in Mss. post 1736 s. n. *T. pratense majus* indicatum videtur et m. Junio lectum circa Krasnoje Selo et Duderhof! (quo loco copiose adhuc viget); in insula, quae inter Catharinenhof et portum triremium, nec non in pratis insulae, cui a Petro nomen est, d. 25. Junii flor. legi (Krasch. Ind. mss. 1749 et Codex mss. 1751—54 e descriptione et loco; propter synonymiam dubiam a Gortero neglectum, conf. R. Diatr. Petr. 1845, p. 11); circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 73, n. 454 s. *T. flexuoso*); ad margines sylvarum in pratis elevatis, circa Sarskoje Selo (Sobol. Petr. 1799, p. 176, n. 483), at rarius; etiam nuper inveni ad fabricam pyriam Ochtensem et Pargelovii! sed parcissime (Sobol. ed. ross. II, 1802, p. 100, n. 496, in utraque edit. s. n. *T. flexuosum*); in pratis elevatis et in sylvis siccioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 349 s. n. *T. medium* ut seqq.); ubique (Turcz. 1825, n. 448); in campis et sylvis siccioribus lapidosis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 71, n. 471); Listsino, Luga, Gorodetz, lacus Tscheremenetz, Poljá, Narwa.

Obs. 1. Interdum *T. flexuosum* capitulis solito majoribus occurrit et *T. rubens* Auct. quorund. Fl. Petrop. (minime L.) sistere videtur, ut loca specialia quoque suadent. Indicatum fuit: circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, n. 455), speciatim in montosis sylvaticis Pargelovii (Sobol. Petrop. 1799, p. 173, n. 476), et prope Krasnoje Selo, at parce (Sobol. Petr. ed. Ross. II 1802, p. 96, n. 489); Ingria (Georgi 1800, p. 1191, n. 11); Petropoli (Longmire 1823, p. 195).

Obs. 2. *T. flexuoso* multo similior est *T. alpestre* Jacq. 1768 tab. 64 et 1778, tab. 433 (optime!), sed caulibus erectis, simplicissimis, capitulis omnino sessilibus, calyce 20-nervio villoso (nec 10-nerv. glabro) statim dignoscitur. Est etiam *T. majus* 2 Clus. 1583! et *T. acutum* Dorsten. 1540 ex icone! et descr.! (non Lonic. 1551 et Tabern. quibus *Melilotus coerulea* in mente erat; Afzelius haud rite syn. Loniceri ad *T. montanum* duxit). *T. alpestre* Linné 1763 cum *T. flexuoso* certissime confusum vel potius hoc ipsum erat, initio *T. pratensi* subsumtum, nec serius stricte distinctum, ut verba docent „ramis copiosissimis luxurians in satis", quae obs. Afzelio ad *T. pratense sativum* pertinent; nomen *alpestre* non meretur, judicante Jacquino.

Obs. 3. Quaestio, quale nomen praeferendum sit, *T. medium* aut *T. flexuosum*, specimen nomenclaturae botanicae selectissimum sistit. Afzelius *T. medium* dixit, quia 1) *T. medium* Linnaei 1761 ex loco cit. Jumkil idem est; 2) *T. medium* Huds. 1762 eadem species est, synonymo Raji fixa; 3) hoc nomine in herbario Linnaei et Suecorum contemporaneorum exstat; 4) quodammodo speciem mediam inter *T. pratense* et *alpestre* refert. Contra haec autem monendum, quod Jacquinus optimo jure *T. flexuosum* pro nova specie proponere potuit; quia 1) Linnaeus *T. medium* sine charactere aut synonymia in libro parum noto (Fauna Suec.) solum nomine et statione specialissimo proposuit, mox vero suppressit et manifeste 1763 et seqq. ad *T. alpestre* duxit vel potius cum illo inextricabili modo confudit, quapropter alibi apud Linnaeum non ocurrit (Richter Cod. Linn.); testatur hoc verbis Linnaei „etiam in Suecia" ubi *T. flexuosum* vulgare, *T. alpestre* Jacq. vero a cel. Fries demum Scaniae australi vindicatum, ubi imo rarius floret; 2) planta Hudsoni alia esse potuit, quam homonyma Linnaei; in edit. 2. Fl. Angl. Hudson (1778) *T. medium* suum in *T. alpestre* mutavit, est etiam *T. alpestre* Angl. (Lightfoot, Robs.

Relh.), nec immerito, nam etiam Linnaei, saltem pro parte; *T. alpestre* Jacq. Angliae exsul; 3) recognitio herb. Linn. et Suec. antiq., nec non loci Jumkil pr. Upsaliam, tempore Jacquini adhuc ignota et demum a. 1790 per Afzelium facta; 4) nomen *flexuosum* pariter optimum, si quidem his unquam pondus concedi potest. Speciebus affinibus operâ Jacquini melius cognitis, synonymia Anglorum ex distributione geographica inclarescente rectificata; quod verba Afzelii clare indicant „Jacquin is the first, who has given us a proper idea of *T. medium*".

※ § 2. VESICARIA Linné = *Vesicastrum* Ser. Rchb. = *Fragifera* et *Vesicastrum* Koch. Flores ut in § 3. Calycis faux nuda et exannulata; tubus cum dentibus 2 superioribus post anthesin valde auctus, inflatus, reticulato-venosus. Flores carnei, rosei.

※ *T. fragiferum* L. Circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, n. 456); speciatim in locis humidis circa Katharinhoffium et alibi frequens, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 174, n. 479; ed. ross. II, 1800, p. 98, n. 492); Ingria (Georgi 1800, p. 1193, n. 22). Synonyma mihi valde dubia, nam planta spontanea sinum Fennicum vix intrat; tamen a. 1849 ad ostia Newae fl. adparuit et fructificavit cum aliis ruderalibus saburra navium adportatis (Kühlew.!). ♃.

§ 3. TRIFOLIASTRUM Micheli 1729 ref. Seringe = *Lotoidea* Linné p. p. Flores in capitulo v. in spica subglobosa ± longe pedicellati, deflorati plerumque deflexi. Calycis faux interne denudata; dentes aequales v. 2 superiores longiores. Corolla post anthesin persistens, scariosa, vexillo complicato. Legumen sub 4 spermum, exsertum. Flores albi v. rosei. — Micheli in legum. exserto genus fundatum finxit. *T. montanum* in hac § anomalum, ad *Lupinastra* accedit.

163. *T. montanum* L. sp. pl. ed. I et II = *T. montanum album* C. Bauh.! (fide syn. Clusii), Raj., Tournef., Vaill. = *T. majus 1 albo flore* Clus. 1583 c. ic.! = *T. pratense album* Fuchs 1542 c. ic.! Gesner, Camer., Tabern.! et quoad max. part. synn. C. Bauh.

Caules ex rhizomate crasso adscendentes, villoso-sericei. Spicae subglobosae, denique ovales, exserte pedunculatae. Flores albi, condensati, subsessiles. Stipulae ovatae acuminatae. Foliola elliptica v. lanceolata, argute serrulata, subtus pilosa, penninervia, venulis ad fines incrassatis.

In campis siccis et elevatis, substrato calcareo systematis silurici et Devonici, copiose per Ingriam, excepto forsan orientali; rarius aberrans in regionem demissam Petrop. et vix in isthmum Kareliae. Floret ab initio Junii ad finem Julii et ultra; fruct. mat. versus finem Julii. ♃.

Hist. spec. Inter Petropolim et Twer ubique, fl. Aug. (Gmel. mss. 1733, n. 79 ex syn. C. Bauh. — an *T. repens*?); in insula, cui a Petro nomen est, ad rudera, occurrit et ad fluv. Luga! sed rarius (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 115); etiam in monte Pulcovo! et circa Murzincam et Ribacziam in pratis sylvaticis montosis (Sobol. Petrop. 1799, p. 174, n. 480; ed. ross. II, 1802, p. 98, n. 493 addito loco ex Krasch.); in pratis montosis Pulcowae! (Weinm. Pawl. 1824, p. 350); ubique (Turcz. 1825, n. 447); in pratis et pascuis siccioribus elevatis (Weinm. Petrop. 1837, p. 72, n. 475).

164. *T. repens* Rivin. 1691 c. ic.!, Linné (excl. syn. C. Bauh.) = *T. pratense album* Lob. et Pena 1570! (fide icon. in Lob. hist. sub n. *T. pratense*), Raj. et al. (non Fuchs 1542) = *T. album* Brunf. 1536 c. ic.!

Caules prostrati, radicantes, fere repentes, glaberrimi. Capitula subglobosa in pedunculis longissimis subradicalibus folia excedentibus. Flores albi, pedicellati. Calyx nigro-marginatus. Stipulae scariosae, abrupte cuspidatae.

Foliola obcordata, serrulata (contra tempestatem subrigere certum est, dudum observante Plinio 18, 35: Linné).

In graminosis, secus vias, in cultis, ubique copiosissime. Floret a fine Maji v. initio Junii saltem usque ad finem Sept. ♃.

Hist. spec. Ubivis in pratis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 115; Sobol. Petrop. 1799, p. 173, n. 475) et ad margines viarum (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 95, n. 488); in insula Kronstadt! (Georgi mss. 1795); ubique in pratis et ad versuras agrorum (Weinm. Pawl. 1824, p. 350); ubique (Turcz.! 1825, n. 445); abundat in pratis, pascuis sylvisque, Jun.—Oct. (Weinm. Petr. 1837, p. 71, n. 473).

165. *T. hybridum* Linné Fl. Suec. 1755! (inter *T. repens* et *pratense* infauste hybridum credidit), Fries herb. norm. Suec. VII, 36! = *Trifoliastrum* Micheli 1729, tab. 25, fig. 5 (fide Koch, cur non etiam fig. 2, ut Linné citat?) = *T. flore albo* Rivin. 1691 c. ic.! (Bertolonio quoque optima).

Caules adscendentes. Capitula subglobosa in pedunculis axillaribus folio denique duplo longioribus. Flores juniores albi, sub anthesi rosei, longe pedicellati; vespere suaveolentes. Calyx concolor. Stipulae ovatae, acuminatissimae. Foliola rhombeo-elliptica, obtusa, serrata, inferiora obovata, interdum emarginata.

In graminosis, fruticetis, secus vias recenter structas, solo fertili humidiori, in cultis et ruderibus, passim copiose; sat vulgare in omnib. reg. Fl. Petrop.; pr. Lissino, Hinkolowa, Arbonje, ad cataractas fl. Wolchow et alibi. Floret ab initio v. fine Junii ad init. Sept.; in siccioribus fine Julii jam defloratum, fruct. mat. ♃, ex sem. satum primo anno floret.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 73, n. 453); in pratis insulae apothecariae et lapideae et in hortis oleraceis saepe occurrit (Sobol. Petr. 1799, p. 173, n. 474); in pratis insulae lapideae,

in montosis et in aliis locis similibus (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 94, 95, n. 487); in montosis et pratis humidiusculis (Weinm. Pawl. 1824, p. 350); ubique (Turcz.! 1825, n. 446); in locis graminosis fertilioribus et in cultis passim (Weinm. Petr. 1837, p. 72, n. 474).

Obs. *T. elegans* Rchb. Fl. germ. exsicc. pro *T. hybrido* L. correxit Koch in Syn. ed. 1. Recentissime vero (1850) cel. Bertoloni statuit: 1) *T. Michelianum* Koch Syn. ed. 2, p. 1020 non esse genuinum Savii, sed *T. hybridum* L. Fl. Suec. et Wahlbg. in Italia rarissimum; 2) *T. hybridum* Koch Syn. ed. 2, p. 192, non esse verum Linnaei, in Fl. Suec. propositum, sed *T. elegans* Savi; 3) *T. elegans* Koch Syn. ed. 2, non esse genuinum Savii, sed speciem (Bertolonio) ignotam. Ansam procul dubio his rixis praebuit distinctio *T. elegantis* apud cell. Savi, Reichenbach, Koch et Bertoloni; nil enim, nisi lusus *T. hybridi* macrior esse videtur, ut jam Bertoloni suspicatus est. Foliola enim variant in planta Ingrica rotundiora emarginata, caulis in speciminibus vegetis glaber et inanis, in aliis vero puberulus fistulosus, sed medulla ex toto repletus est; legumina quidem Linnaeus semper 4 sperma exposcuit, sed variant in eodem loco et imo in eodem capitulo 4, 3 et 2 sperma; e quibus patet, plantam nostram cum Suecica et Linnaeana paulo limitata omnino identicam esse.

§ 4. LUPULINUM Rivin.! Knaut, Rupp. = *Lupulina* Linné = *Lotophyllum* Rchb. 1824 = *Chronosemium* Seringe 1825. Flores ut in § 3. Calycis faux interne denudata, dentes subaequales v. 2 superiores breviores. Corolla 5 petala, persistens, scariosa, vexillo convexo, margine anteriore deflexo et plerumque radiato-nervoso. Legumen in calyce stipitatum. — Flores (in nostris) aurei, mox fuscescentes.

166. *T. spadiceum* L. Fl. Suec. II, 1755 = *T. montanum* L. Spec. pl. ed. 1. 1753, n. 37, non n. 29, unde nomen necesse mutandum erat = *Lupulinum*

montanum (capitulis *spadiceis*) Rupp. 1726 fide cit. C. Bauh. = *T. montanum lupulinum* C. Bauh. 1620! clare jam Linnaeo, ex descr. „flosculi *spadicei*"; acc. a D. Furero (Senatore Fürer, Northusiano), qui in montibus supra Ilfeldam legit; *T. spadiceum* fuisse quoque Wallroth testatur in Linnaea 1840, p. 15; nec *T. badium* Schreb. simillimum, ut Hagenbach ex herb. C. Bauhini interpretatur.

Flores virginei aurantiaci, citissime saturate castanei (spadicei) in capitulis subsolitariis terminalibus cylindricis. Legumen stylo et pedunculo quadruplo longius. Linnaeus a *T. agrario* etiam distinxit calyce juniori pilosissimo et dentibus 2 superioribus obsoletis.

In pratis humidioribus, praesertim circa Petrop. in reg. demissa vulgatissime. Floret ab initio v. med. Jun. saltem usque ad med. Julii. ⊙ vel ♂ et ⊙, nec ♃.

Hist. spec. Petropoli (Siegesb. Primit. Fl. Petrop. 1736, p. 106 s. n. *Triphyllum pratense, capitulis spicatis ex luteo-fuscis Ingricum*); circa Duderhof et Krasno-Selo m. Jun. (Amman Mss. post 1736, s. n. *Trifolium lupulinum;* conf. *T. agrarium*); vulgatissima in insula pharmacopaeorum planta est, ita ut quaedam prata sola ea vestita esse videantur eminus; in campis siccioribus minus, quam in sylvis, ubi rarius et dodrantale (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 116; syn. a Linnaeo citatum, propter descriptionem fusiorem); vulgatissima in insula praesertim apothecaria planta est, tum in m. Poclonnaja et ad viam Sarscoseliensem in pratis sylvosis humidis frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 175, n. 482) et circa Strelnam! (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 100, n. 495); abundat in pratis humidis, Jun. ad. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 351); ubique (Turcz. 1825, n. 451); in sylvaticis turfosis et in pratis tam siccis, quam humidiusculis passim, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 72, n. 477).

167. *T. agrarium* C. Bauh. 1623! (ex nota et syn. Thalii), Linné! (excl. syn. Vaill. t. 22, fig. 3, quae ad

T. procumbens β *campestre*) non *T. agrarium* Dodon. 1583, ut L. et Bauh. citant, nam hoc *Medica lupulina* ex descr. evidenter! = *T. agrarium luteum capitulo lupuli majus* Moris. 1680 ic. bona! s. n. *T. lupulinum luteum majus* = *T. pratense luteum foemina, flore lupulino* J. Bauh. 1651 c. ic.! = *T. luteum alterum lupulinum* Thal. 1588!

Flores aurei, dein sordide fusci, in capitulis plerumque copiosis axillaribus subglobosis v. ovalibus. Legumen stylum et pedunculum subaequans. — Variat in siccissimis: fol. angustioribus; caulis junior simplex capitulo unico terminali.

In apricis siccis, graminosis elevatioribus, agris, circa Petrop. et hinc inde per Ingriam v. g. Kauschta, Lissino, Dolgowka, at semper parce. Floret a fine Junii v. prius, ad initium Augusti; fruct. maturi interdum jam initio Julii. ⊙.

Hist. spec. In pratis siccioribus et agris circa Duderhoff et aliis Ingriae et Finlandiae locis copiosissime m. Jun. et Jul. (Amman Mss. 1736, n. 85, fide synn. C. et J. Bauh.; forte *T. spadiceum* subest); in agris passim occurrit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 116); Newa, in graminosis siccis (Falk Beitr. II, 1786, p. 229, n. 864); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795; an *T. spadiceum* ibi commune?); in agris, cultis et pratis Pargelovii! et Ligovi! et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 175, n. 481; ed. ross. II, 1802, p. 99, n. 494; syn. a M. Bieberstein Fl. Taur. Cauc. III, 1819, p. 519, n. 1534 *T. campestri* Schreb. subscriptum, ut videtur, propter descr. Sobol.); in locis arenosis et inter segetes, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 351); in locis siccis, montosis v. g. Pargolae! (Turcz. 1825, n. 450); in pratis et pascuis apricisque sylvaticis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 72, n. 476).

Observ. *T. procumbens* L. in Ingria indicatum a Georgi 1800, p. 1193, n. 26, nec non subspecies β *T. campestre* Schreb. fide cit. Sobol. apud M. Bieberstein III, p. 513, tantum ex Esthonia occid. hucusque

rite cognitum, a *T. agrario* facillime dignoscitur: foliolo intermedio longius petiolulato, stipulis ovatis, legumine stylum 4plo superante.

LXXXVI. MELILOTUS.

Μελίλωτος Theophr. et Diosc., *Meliloton* Plinii etiam pro hodierna habetur. *Lotum aegyptiam*, Athenaeus scribit, Naucratitis civibus *Melilotum* vocari, propter melleum saporem, qui ex caule et radice deprehenditur, dum comeduntur; eadem est Herodoti. Valde diversa est *Melilotus graecanica* (*Trigonella corniculata* ex Fraas), sed pariter ab eo, quod ab apibus ad mel parandum petitur, nomen traxit, ut ex Aristotele IX, III colligitur. *Melilotus* ad multum tempus odorata permanet (Theophr.); laudatissima, quae in Attica, Cyzico et Chalcedone nascitur, quae quidem *Croco* similis odorataque est (*Mel. cretica* sec. Fraas); nascitur et in Campania (*M. neapolitana*) circa Nolam, in luteum colorem vergens et odore infirmo; adstringit (Diosc.). *Serta Campanica* Plin. est *Mel. alba*, in Graecia rarissima. C. Bauhinus sub *Meliloto* adhuc *Trigonellas* quasdam habet. *Meliloti* genus apud Rivinum 1691 et Tournefortium stabilitum; Linnaeus adhuc 1742 recepit, dein vero ut subgenus ad *Trifolium* amandavit.

168. *M. alba* Desrousseaux in (Lamck) Encycl. 1796 (jam Thouin 1788?), ut diversa a *M. offic. albiflora;* Thuill.! 1799 (nisi 1790) fide syn. Vaill. = *M. leucantha* Koch in Dec. 1815 = *Trifolium vulgare* Hayne 1809 tab. 32 opt.! (non *M. vulg.* Parkins., nec Trag., neque Willd. citari potest) = *Trif. Melil. officinale* β Linné = *M. candida* Trag. 1552! Dodon. 1566! in textu p. 192 (forte simul *M. offic. albiflora*, si talis existit), nec non Plinii 21, 11, nam alia species albiflora in Italia non provenit.

Flores albi, vix 2 lin. Alae carinam subaequantes, vexillo breviores (Desr.). Legumina ovali rotundata, deni-

que nigro-fusca, $1^1/_4 - 1^1/_2$ lin., monosperma. Caulis erectus. Calyx (ex Koch) fere aequaliter campanulatus. Variat grandiflora: floribus $2^1/_2$ lin.

In ruderibus Petropoli pluribus locis, copiose in urbe Kronstadt; prope Narwam urbem juxta vias, in apricis calcareis sterilibus ruderatis. Olim introducta et ante seculum adhuc rarissima. Floret a medio Junio ad finem Sept.; fruct. mat. fine Aug. vel prius. ♂ ♃, e sem. satis primo anno floret.

Hist. spec. Mel. albam Pharmacop. ex Åbo et Carelia habuit Linnaeus 1755 et 1748. — „*Melilotum flore albo* me olim legisse memini in insula, cui a Basilio nomen est, ultra 20 lineam circa rudera, sed forte e semine aliquo casu jacto enatam; nusquam enim praeterea vidi, quamquam magna cura investigaverim (Krasch. Codex Mss. 1751—2, n. 342; haec observatio et tota species a Gortero neglecta); in montosis Pargelovii, circa Oranienbaum et alibi (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 93, n. 486 s. *Trif. Mel. offic. var.* fl. albo; loca specialia partim ad *M. off. luteam* pertinere possunt, quacum junctam pertractavit); ad agrorum margines et in ruderatis (Weinm. Pawl. 1824, p. 348 s. n. *M. vulgaris* Willd. Enum., quae ambigua; sed fide syn. β Linné huc); in locis similibus ac *M. officinalis* Pers. (Turcz. 1825, n. 444 s. *M. vulg.* Willd.); in cultis et ruderatis parce, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 71, n. 469 s. n. *M. leucantha* Koch).

In ruderibus Petrop. initio Aug. 1851 omnino diversam *Melilotum* albifloram cum fruct. mat. et flor. ultimis detex. D. Borszczow, quam praevie notare liceat s. n.:

β *macrocarpa**, leguminibus $2—2^1/_2$ lin., oblongo-ellipticis, dispermis; sem. 1 lin. Forte est *M. arguta* Rchb. 1832 propter leg. ovali subulata, disperma, quam a *M. alba* praecipue distinxit: foliolis omnibus conformibus ellipticis, argute duplicato-circumserratis, floribus majoribus et aliis characteribus, minime in nostram cadentibus; neque legumina majora indicantur. A *Mel. offic.* β *albiflora* (Vaill.) Desr., Fries, Koch, mihi

plane ignota, (Ledebourii in Fl. Ross. est exacte spec. seq. n. 169 fl. luteis) nostra differt: legum. majoribus, maturis nigro-fuscis et petalorum proportione mutua, ut in *M. alba.* Similem plantam, a. 1778 cultam, vidi in herb. Pott. s. n. *Trif. Mel. offic.* γ L. cum syn. *Mel. vulgaris altissima frutescens flore albo* Raj. Suppl.; in hac legum. non nigrescentia, saepe monosperma, semin. $1^1/_2$ lin. (etiam si disperma). *M. taurica* M. Bieb. longe diversa est ab his omnibus species.

169. *M. officinalis* Desrouss. 1796 propter proportiones petalorum! eadem ac Kochii in Syn. edit. II, non I (Desr. legum. nigricantia describit et subdisperma, quae ita non sunt; forte cum *M. macrorhiza* tunc nondum distincta confudit) = *Trif. Mel. officinalis* W. Kit. 1802 ex analysi t. 26, α β opt.! = *M. arvensis* Wallr. 1822! = *M. diffusa* Koch apud Dec. 1815, teste ipso Koch (1839) ita confusa, ut extricari nequeat = *Trif. Petitpierreanum* Hayne 1809, tab. 33 optima! ut speciei auctor post Vaillantium (1727 n. 1) praecipuus sit; at minime *Mel. Petitp.* Willd. — Synonyma patrum dubia, excepto forte *M. vulgari* Trag. 1552 (propter legum. monosperma) et *Loto sylvestri* Tabern. 1590 c. ic. bona! (nam nostras 3 spec. vulgares distinguit); citatur a Wallroth huc: *Lotus urbana* Matth. 1554, Camer. = *Melil. sylvestris fl. luteo* Fuchs 1542.

Flores lutei, 2—$2^1/_2$ lin.; alae vexillum subaequantes, carina longiores. Legumina matura luteola, ovato-elliptica, $1^1/_2$ lin. longa, monosperma! (Vaill. Wallr. Rchb.). Caulis adscendens, ramis diffusis.

In ruderibus et fimetosis Petropoli et ejus vicinia, parce et rarior, quam *M. alba;* recentiori modo tempore introducta, a Krascheninnikowio ante seculum hic et speciatim in ins. Basilii nondum visa, nec alibi in Ingria recentius reperta. Floret ab initio Julii v. prius usque ad initium Sept. ♂, at e seminibus satis saepe primo anno fructificat.

Hist. spec. Ad cataractas fl. Wolchow, praeterea nusquam vidi (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 115 et Sobol. Petr. 1799, p. 172, n. 473, uterque s. *T. Mel. offic.* L. — hoc loco 1853 non amplius vidi); in montosis Pargelovii! circa Oranienbaum et alibi (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 93, n. 486 s. n. L.; loca specialia communia cum var. fl. albo); inter segetes montis Pulcovae et in sepibus circa Pawlowsk (Weinm. Pawl. 1824, p. 348, s. *M. officinalis* Pers.; syn. ambig.); ad domos, e. g. in ins. Golodaja, ad viam Peterhofianam (Turcz. 1825, n. 443 s. n. *M. officinali* Persoon); in sepibus et ruderatis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 71, n. 468 s. n. *M. officinalis* Willd., quae ad *M. macrorhizam* potius pertinet, uti Fl. Dan. t. 934 citata).

170. *M. macrorhiza* Pers. facta ex *Trif. macrorhizo* W. Kit. 1802, tab. 26! (sed pubescentiam legum. silent, leg. 1 sperma et caulem rubrum describ.) = *M. officinalis* (Hayne 1809 tab. 31 opt.! sub *Trifolio*) Willd., Decand., Fries, Rchb., Koch Syn. ed. 1; etiam Desf. 1800 et alior. (non Desrouss. 1796) = *Trif. Mel. officinale* α Linné Spec. pl. (nam legum. disperma acuta!), etiam Fl. Suec. et omn. hort. Pharm. Suec. ex Fries, nam *M. arvensis* Wallr. recentiori demum aevo cum *Trifolio sativo* introducta in Sueciam = *Mel. vulgaris altissima frutescens fl. luteo* Tournef. Inst. rei herb. 407 et H. Pl. Paris. (fide specim. herb. Petiveri!), ideoque etiam γ Linné! = *Melil. n.* 2! Vaill. 1727, p. 125 charact. optimi! qui speciem suam recognovit in: *M. vera*, *Loto urbana* Tabern. 1590 tab. 510! (figura ostendit foliola angustiora linearia characteristica!) = *Mel. germanica* v. *officinarum* appellata: Dodon. 1566! in textu (propter legum. nigra latiuscula). Reliqua synn. patrum dubia et speciei praecedenti communia, ut: *M. vulgaris* (Park. Buxb.) *fl. luteo* J. Bauh., Moris. = *M. germanica* Lobel. ic. = *Mel. vera* Gesner 1561 = *M. lutea* Gesner 1553 = *Fragaria* Brunf. 1536 c. ic. rudi.

Flores lutei, $2^1/_2$—3 lin., petalis omnibus aequilongis. Legumina (ovaria) pubescenti-pilosa (in 2 praec. specc. glabra), matura fusco-nigra, $2^1/_2$ lin., disperma. Semina latiora, ad radiculam profundius emarginata, fere reniformia (nec ovalia et radiculâ adpressâ paulo tantum dentata, ut in 2 praeced. specc.). Foliola superiora oblongo-linearia.

In ruderibus circa Petropolim a. 1849 cum florib. et fruct. immat. leg. D. Borszczow! Forte non rara, sed hucusque praetervisa et cum specie praecedente confusa, ut synonyma quaedam Auct. Fl. Petr. strictius huc citanda essent. In ins. Moon Esthon. vere spontanea ex D. Schmidt. ⊙, ♂, saepe primo anno fructificat et emoritur.

LXXXVII. MEDICA.

Μηδική (sc. πόα) Arist., Theophr., Strabo, sive *Medica* Varro, Virgil., Plin., Columella „externa etiam Graeciae, ut a Medis advecta per bella Persarum, quae Darius intulit“ (Plin.), nunc *Medica sativa* audit; Gesnero *vera*, Clusio *legitima* erat. Morisonus *Medicas*, specierum numero sensim multiplicato, in *falcatas* et *cochleatas*, genere diversas separavit; haec fere subgenera recentiorum: *Falcago* Rchb. et *Spirocarpos* Seringe (*Medica* Rchb.). Vox *Medicago* ante Tournefortium ignota erat, quod quidem ex indice in Codicem Linnaeanum vix crederes. Tournefortio autem *Medicago* genus diversum a *Medica*, comprehendens *M. radiatam* L., *circinnatam* L., *nummulariam?* et *arboream* L.; plene igitur respondet generi *Hymenocarpus* Willd. Linnaeus *Medicam* Tournef. et patr. adhuc a. 1735 agnoscens, mox vero (1737) cum *Medicagine* Tournef. conjungens, contra sensum Tournefortii et auctoritatem omnium patrum, nec non antiquorum, nomen recentius introduxit significatione perversa; *Medicago* enim, Tournefort ait, etymologice est planta ad *Medicam* accedens. Ideoque Haller,

Miller et Mönch (usque ad a. 1804) contra Linnaeum *Medicam* retinuerunt.

§ 1. LUPULINUM Ruppius = *Lupularia* Seringe emend. = *Lupulina* Gren. et Godr. 1848 (non L.).

171. *M. lupulina* (L.) Mönch = *Lupulinum minimum* Rupp. ed. Haller 1745! = *Medica pratensis lutea* Plukn. 1696! = *Melilotus minima* Rivin. 1691 c. ic.! = *Trif. luteum lupulinum* Gerard. ed. Johns. 1633 sec. Raj. = *Trif. agrarium* Dodon. 1583! = *Trif. pratense luteum* Fuchs 1542 c. ic. minus bona, si huc, ut C. Bauh. et L. credunt = *Melilotum minus* Brunf. 1531 et 1536 c. ic.!

Legum. matura nigra, 1 lin., reticulata, monosperma. Flores flavi, $^3/_4$ lin., in racemis densis pedunculatis folia superantibus. Caulis procumbens. — Variat herba ± glanduloso pubescente, racemo paucifloro et β *M. Willdenowii* Bönngh. 1824! legum. pilosis, pilis rigidulis, divaricatis, glandulosis, articulatis. In α typicâ legum. glabra sunt v. adpresse pubescentia; sed β facile primaria et typica esse potest, ut ex verbis Linnaei 1762 videtur „legum. pilis rigidis subhispida".

In ruderatis Petropoli parce et recentius forte introducta ex ins. Kronstadt, ubi copiosior; adest utraque forma, sed α rarior; β in calcareis subruderatis pr. Narwa. Floret a fine Junii v. prius, usque ad init. Sept.; fruct. mat. medio Julio v. serius. ⊙.

Hist. spec. In pratis siccioribus circa Petropolin (Weinm. Pawl. 1824, p. 354); in insula Kronstadt! et ad viam Peterhofianam ex Prescott (Turcz.! 1825, n. 453); in pratis ad viam Peterhofianam ex D. Prescott (Weinm. Petrop. 1837, p. 74, n. 490).

§ 2. MEDICA Antiq. et Dodon. = *Falcata* Rivin. = *Falcago* Rchb. 1832.

172. *M. falcata* (L.) Miller = *Falcata* Rivin. 1691! = *Medica sylvestris frutescens s. Trif. falcatum* Moris. 1680 = *Medica frutescens* C. Bauh. 1623! Park. Raj. = *Medica fl. luteo* Clus. 1583 ic. opt.! = *Medica sylvestris* Gesner ed. Kyber 1553! J. Bauh.! Raj. — Cel. Fries 1842 demonstravit, hanc ex 2 speciebus compositam esse, nimirum ex:

M. falcata (Linné; *M. procumbens* Besser, Dec.), cui legum. leviter modo falcata; flores pallide flavi, corymbosi; vexillum ovatum, basi modo badio-striatum; caulis procumbens; et

M. silvestris (*M. falcata* Smith, Rchb. et pl. auct.), cui: legumina annularia vel semicircularia; flores majores 5 lin., magis racemosi, flavi aut virescenti-violacei; vexillum oblongatum totum atroviride, striatum; caulis saepe erectiusculus; quae igitur magis ad *M. sativam* accedit, ut *Trifolium pratense* ad *T. sativum*.

Specimina Petropolitana hoc sensu potius ad *M. falcatam*, quam ad *M. silvestrem* pertinerent, propter flores corymbosos et caulem procumbentem; sed paullo recedunt floribus minoribus 3 lin. (in specc. *M. falcatae* Herb. norm. Suec. $4—4^1/_2$ lin.), in sicco aurantiacis et vix striatis; leg. mat. non vidi.

Petropoli modo parce (R. Symb. 1846, p. 229 s. *M. falcata* L.); mox copiose in duobus locis circa urbem observata; sc. 1847 et prius juxta viam ferream Zarsko-Seliensem (Kühlew.!) et 1852 ad canalem Obwodnoi circa viam Mosquensem (Borszczow!). Recentius igitur introducta, sed spontanea in litore elevato Esthoniae Glint dicto copiosissime et luxurians, usque ad Türsel pr. Narwam (Wied. et Web., Seidlitz in litt.). Initio Junii et Julii m. florens reperta. ♃.

⚹ *M. sativa* Gesner ed. Kyber 1553! Dalech.! Moris. (L.) = *Medica* Dodon. 1566 ic. opt.! Hac quondam Hermolao, Marcello Vergilio, Aug. Gallo et aliis testibus, plena erat Venetia, sed pridem per Gothos periit, reservata autem in Hispania, inde denuo in agrum

Neapolitanum, quasi postliminio introducta fuit; ceterum Tiguri primo apud D. Gesnerum e semine peregrino provenit (J. Bauh.). Petropoli indicata fuit: in pratis ad viam Peterhofianam, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 354), quo loco quotannis seritur. Dignoscitur praecipue a *M. sylvestri* (*falcata*): legum. spiraliter tortis, subtricyclis, floribus violaceis (Gesner), caule fistuloso, suberecto.

(LXXXVIII.) ASTRAGALUS.

Ἀστράγαλος Dioscoridis est planta fusius quidem descripta, sed nondum rite extricata, in Pheneo Arcadiae copiose crescens. Val. Cordo et Thalio *Orobus tuberosus* L. erat, cel[o] Fraas rectius *Orobus sessilifolius*, at flores parvi et radix *Raphani* neutri convenit. Plurimi etiam patres pro *Lathyro tuberoso* frustra explicabant. Nomen a seminis forma talum referente vix accepit, verosimilius ex forma radicis, cui (ex Dioscoride) appendices adnatae solidae, praedurae ceu cornua inter se implicitae. Rauwolff 1583 *Astragalum* Dioscoridis in planta vulgo *Radix Christiana* dicta quaesivit, quam Linnaeus primo pro *A. Christiano* habuit; sed flores Dioscorides describit purpureos. Ideoque stamina generis *Astragali* hodierni referri tantum possunt ad *A. Mompellianum* Clus. 1576 (*A. hamosum* L.) aut ad *A. syriacum* Lobel. 1576. *Astragalus* C. Bauh. minime purum sistit genus, plures enim *Astragali* veri sub *Cicere* alibique latent. Linnaeus multo melius fecisset, si in conjungendis generibus Riviniano-Tournefortianis *Tragacantha* et *Astragalus*, nomen illud praeposuisset; τραγάκανθα Theophr., Diosc. (Plin.) indubie est *Astragalus*, et quidem *aristatus* L'herit. aut *creticus* Sibth.

(173.) *A. glycyphyllos* Boerhaave 1727! Linné = *Glycyrrhiza sylvestris* Gesner 1561, Clus. c. ic.!, Dalech., Camer., Raj. et Officin. Icon optima apud Rivinum 1691 s. n. *Astragalus;* non mala ap. Morison. sect. 2, tab. 9, fig. 8.

Caulis 2—3 ped., adscendens, subglaber. Foliola ovata in 5—6 jugis. Stipulae subintegerrimae, ovatae, superiores lanceolatae, inter se et cum petiolo non connatae. Racemi pedunculati folio breviores. Flores ochroleuci, $^1/_2$ pollic. Legum. subtriquetra, arcuata, pedunculo intra calycem $1^1/_2$ lin.!, ultra tubum calycis exserto.

In arce urbis Narwa, in declivibus graminosis, med. Jul. c. flor. et fruct. fere maturis; ceterum frequentius in finitimis Livoniae locis v. g. Heiligensee, pariter in collibus. ♃.

LXXXIX. VICIA.

Vicia Varronis, Ovidii, Plinii et Columellae, βιχίον vel βιχίδιον Galeni est *Vicia sativa.* Nomen trahit a vinciendo, ut Varro scribit, quod cirrhis suis plantas adstantes vincire solet. Linnaeus *Fabam* C. Bauh. Riv., Tournef. et *Craccam* Rivini cum *Vicia* C. Bauh., Riv., Tournef. conjunxit; recentiores quidam *Arachydnam* C. Bauh. et ex parte *Arachum* s. *Craccam* C. Bauh. addiderunt; alii genera plura distingunt. Characteres ex stylo admissi in hac tribu ad genera sic dicta naturalia suffulcienda, ita quidem subtiles et ancipites, ut genera plura v. g. *Cicer*, *Lens*, *Pisum*, hodie parum melius stabilita videantur, quam tempore Plinii.

§. 1. ERVOIDES Gren. et Godr. ref. = *Lenticula* Endl. 1840 (non Micheli) = *Ervilia* Koch 1835 (non Link, neque Plin.). Pedunculi elongati pauciflori. Flores parvi. Stylus fere glaber. Legum. 2—6 sperma.

174. *V. tetrasperma* Schreb. 1771! Loisl. Koch = *Ervum tetraspermum* Linné = *Cracca minor siliquis gemellis* Rivin. 1691 c. ic.! = *Vicia s. Cracca minima siliquis glabris* J. Bauh. 1651 c. ic.! multo meliori, quam ap. Morison = *V. segetum singularibus siliquis glabris* C. Bauh. 1623 (teste Moris.).

Legumina tetrasperma glabra. Flores 2 lin., laete lilacini, alis et carinâ albi. Pedunculi subuniflori, capillares, longitudine folii 3—4 jugi. Semina matura atra.

Leguminibus linearibus apice rotundatis non rostratis valde compressis a *Viciis* reliquis recedit et ad *Lentem* vergit. — Ludit in eodem caule pedunculis 2 — 3 floris, legum. 3 v. 5 spermis.

In ruderibus Petropoli, variis locis, sed admodum parce (Turcz.! Horaninow! Borszczow!). Floret a fine Junii v. serius, ad init. Sept.; fruct. mat. interdum initio Julii, alias ne Augusto quidem. ⊙.

Hist. spec. Occurrit passim per totam Ingriam, sed rarius, quam *V. Cracca* (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 114 s. *Ervo tetrasp.* L. ut seqq.); occurrit passim in agris et inter segetes, sed rarius, quam *V. Cracca* (Sobol. Petrop. 1799, p. 171, n. 471 ex Krasch. transscripta, quare suam forte s. n. *V. monantha* admisit; alias haec explicatu difficilis); in agris Crasnoselii (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 92, n. 484); inter segetes circa Petropolim, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 339); vidi in herbario Kastalskiano (Weinm. Petrop. 1837, p. 73, n. 487).

Obs. *Vicia monantha* quae longe abest a genuina Retzii, et nil forte nisi *V. tetrasperma* uniflora, indicata fuit: in Ingria, circa Petropolin (Rudolph ex Georgi 1790, n. 443 et 1800, p. 1170, n. 18); in agris circa Crasnoje Selo et montem Duderovium, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 171, n. 470); in agris circa Crasnoje Selo, Sarskoselo et Duderovo rarius (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 91, n. 483); Petropoli (Longmire 1823, p. 195). Jam in Diat. Petrop. 1845, p. 76 pro erronea declaratur.

175. *V. hirsuta* Koch = *Ervum hirsutum* L. = *V. segetum* cum siliquis plurimis *hirsutis* C. Bauh.! = *Cracca minor* Tabern. 1590 ic. mediocris! Rivin. = *Aracus* s. *Cracca minima* Lobel. 1576, 1581! icon ex Dodon. (non Pena et Lobel. 1570, quae *V. tetrasperma* ex descr., ut J. Bauh. jam monuit) = *Craccae alterum genus* Dodon. 1553, 1566 c. fig. opt.! = *Vicia 4 minima* Trag. 1552 (sec. J. Bauh., alias vix cognoscenda).

Legumina oblonga disperma strigoso-hirsuta. Flores

$1\frac{1}{2}$ lin. albido-coerulescentes. Pedunculi 4—8 flori, plerumque longitudine folii sub 6 jugi. Semina mat. olivacea fusco-marmorata. — Variat legum. mat. nigris in pedunculis fructif. folia longe excedentibus (var. culturâ in typum mutatur!) et pedunc. 1—2 floris saepe in eodem caule cum multifloris.

Inter segetes, in cultis et ruderibus Petropoli frequens et copiose, alibi in Ingria passim usque ad fl. Wolchow. Floret a fine Junii v. prius, saltem usque ad medium Sept.; fruct. mat. jam initio Julii. ☉.

Hist. spec. Habitat cum *Vicia sativa* (i. e. speciatim) inter segetes ad pagos Kasatschia et Ochta (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 114 s. *Ervo hirsuto* L. ut seqq.); tum inter segetes ad Goreloy Cabac et in hortis cultis (Sobol. Petr. 1799, p. 172, n. 472; ed. ross. II, 1802, p. 92, n. 485; addito loco Krasch.); inter segetes vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 339); inter segetes et in pratis prope Lachtam; occurrit etiam ad fossas in regione urbis Wiburgensi (Turcz. 1825, n. 442); in cultis et ruderatis (Weinm. Petr. 1837, p. 73, n. 488).

§. 2. CRACCA Rivin. Pedunculi elongati multiflori; legumina pendula polysperma. Cell. Grenier et Godron *Craccam* ut genus proprium admittunt: stylo a latere compresso, superne circumcirca pubescente, diversum a *Viciis* genuinis (§. 3), quibus stylus dorso compressus fere planus, saepe in latere inferiore apicis valde barbatus; sed *V. sylvatica* hoc respectu a *Craccis* removeri non potest.

176. *V. multiflora* C. Bauh.! Raj., Tourn., Lamarck! = *V. Cracca* L. p. p., Roth = *Cracca* Rivin. 1691 c. ic.!, an Ruell.?, certe non *Cracca* Plin., nam *V. multiflora* C. B. in Italia deest et *V. villosa* β *glabrescente* Koch (*dasycarpa* Ten. Bertol.) repraesentatur; *Cracca* videtur vox depravata ex ἄραχος Theophr. *Aracha*, *Araca*, ut jam Ruellius suspicatur; plantam Theophr. pro *V. pseudocracca* Bertol. habet cel.

Fraas = *Aracus* Tabern. 1590 c. ic.! = *Galega sylvestris* Dodon. et *V. quaedam sylvestris* Gesner 1553 sec. C. Bauh. et Haller, alias vix recognoscendae = ἀφάκη Theophr., Diosc. (sec. Fraas huc, nec ad *Lathyrum Aphaca* L.; at forte species alia ex affinitate *V. multiflorae*).

Stipulae angustae, semihastatae, integerrimae. Flores 4—5 lin., subcyanei. Hilum vix dimidiam seminis peripheriam occupans. Legumen maturum pallidum, turgidulum, abruptius acuminatum, 10 lin. v. brevius. Racemi folia sub 10 juga aequantes v. superantes. Foliola adpresse pubescentia, nervis primariis angulo acutissimo egredientibus et margini contiguis. Variat: β *leptophylla* Fries 1818 foliolis angustioribus, lineari-lanceolatis, firmioribus, subsericeis; γ *platyphylla:* foliolis latioribus, ovato-oblongis obtusis v. fere ovalibus, tenuioribus, glabrioribus.

Inter segetes, in agris, graminosis, ad sepes et fruticeta; β in siccioribus; γ in umbrosis, sylvaticis, interdum cum *V. sylvatica;* per Ingriam copiose. Floret a fine Maji v. initio Junii ad medium Aug.; fruct. mat. a medio Julii v. serius. ♃.

Hist. spec. Petropoli ad sepes et in dumetis, Jul. (Amman mss. 1734, n. 25 s. n. *V. perennis incana, multiflora* Bot. Monsp.; syn. ambiguum quidem, sed ex loco Ammani huc); inter segetes passim et maxima copia (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 113 s. *V. Cracca* L. ut seqq.); in insula Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis et inter segetes atque in hortis ubique et maxima copia (Sobol. Petrop. 1799, p. 170, n. 467; ed. ross. II, 1800, p. 89, n. 480); in dumetis et pratis siccioribus frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 338); ubique (Turcz.! 1825, n. 439); in pratis et fruticetis sylvaticis, praesertim autem inter segetes (Weinm. Petr. 1837, p. 73, n. 485).

Observ. Var. β *leptophyllae* similis est *V. tenuifolia* Roth, Mosquae indicata; dignoscitur praecipue: lamina vexilli paulo majoris elongata, ungue suo duplo longiori (in *V. multiflora* aequilongo). *V. villosa* Roth, in Fen-

nia fere tota indicata, a specc. villosioribus *V. multiflorae* differt: lamina vexilli ungue suo duplo breviori et praecipue leguminibus 5 lin. latis, elliptico-subrhombeis, oligospermis, hilo $^1/_8$ ambitum seminis occupante. Utraque a Linnaeo *V. Craccae* suae subsumta.

177. *V. sylvatica* L. = *V. multiflora maxima perennis tetro odore*... Plukenett 1691, tab. 71, fig. 1 optima! = *V. Bathoniensis maxima sylvatica* Merrett 1667 et *V. sylvatica multiflora maxima* How 1650, fide Rajo = *Viciae pulchrum genus multiflorum, Galega* quibusdam J. Bauh. 1651 c. fig. D. Agerius ex Apenninis! dedit 1595 et 1600; syn. a Hallero recognitum, et 1742 icone optima in tab. 14 stabilitum.

Stipulae semilunares, inciso-multidentatae, dentibus setaceo-cuspidatis. Flores 6—7 lin., albidi, vexillum venis coeruleis pulchre pictum. Hilum $^2/_3$ peripheriam seminis occupans. Legumen maturum fuscum compressum, aequalius acuminatum, pollicare v. longius. Racemi laxi, folia sub 8 juga superantes. Foliola ovalia retusa, tenuia, glaberrima; nervis primariis angulo semirecto egredientibus et ad marginem excurrentibus.

In sylvis caeduis praecipue elevatis, inter frutices, in umbrosis copiose, a fl. Luga infra Jamburg usque ad fl. Wolchow, a Gorodetz ad Petropolim, ubi praesertim in reg. elevata calcarea; in demissa tantum ad litus elevatum australe sinus Fennici (copiose circa Oranienbaum); in reg. syst. Devonici c. Gatschina, Hinkelowa, Lissino. Floret initio Junii et m. Julio, rarius ultra medium Aug.; fr. mat. medio Julio v. Aug. ♃.

Hist. spec. Petropoli spontanea (Siegesbeck Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 37 s. n. *Cracca perennis, sylvestris,* floribus albis, lituris nigris eleganter variegatis); circa Duderhoff! m. Jun. (Amman Mss. post 1736 s. n. *V. multiflora sylvatica*); ad sepem horti Imperatorii, qui est in Strelna, prope viam regiam, in magna copia crescit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 113; in Cod. mss. Krasch. 1751—4 legitur: florentem et fructum nondum

ferentem 11 Jul.); in sylvis umbrosis montosis Pulcovi, Duderovi! Strelinae et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 170, n. 466), etiam Peterhofii (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 88, n. 479); in montosis sylvaticis (Weinm. Pawl. 1824, p. 338); in montosis Duderovii! (Turcz.! 1825, n. 438); in sylvis umbrosis montosis (Weinm. Petr. 1837, p. 73, n. 486.

§. 3. VICIA Riv. Pedunculi abbreviati, pauciflori. Legumina erecta v. deflexa, polysperma,

178. *V. sepium* Rivin. 1691 ic. opt.!, L. = *V. sepium* (*perennis:* J. Bauh.! Raj.) *folio rotundiore acuto* C. Bauh. 1623! Moris., Tournef. = *Aphace* vulgo *Vicia sylvestris* Fuchs 1542 ic. opt.!

Foliola ovato-oblonga. Racemi axillares breve pedunculati, 5- rarius 2-flori. Calycis colorati dentes inaequales tubo suo triplo breviores. Flores dilute et sordide violacei; vexillum venis saturatioribus pictum. Legum. glabra, matura fusco-nigricantia, intus splendida, lineari-rhombea, $1^1/_4$ poll. longa, $3^1/_2$ lin. lata. Semina $1^1/_2$ lin. (grisea, fusco-maculata); hilum ultra dimidium seminis ambitum occupans. — Variat *angustifolia* et (c. Lissino) *parvifolia*, foliol. fol. super. apice non truncatis, neque emarginatis.

Ad sepes, in pratis nemorosis, fere ubique copiose. Floret a fine Maji m. vel plerumque ab initio Junii ad Jul.; fruct. mat. med. Aug. ♃.

Hist. spec. In sylva ad fl. Strelnaja ex Krascheninnikow, et passim in umbrosis ad viam, quae Petropoli Peterhofium tendit! (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 113); ubique in sylvis herbosis, in pratis insulae lapideae aliarumque! et ad sepes hortorum frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 171, n. 469; ed. ross. II, 1802, p. 90, n. 482); ad sepes et in pratis (Weinm. Pawl. 1824, p. 339); ubique (Turcz.! 1825, n. 440); in dumetis, sylvis, ad margines agrorum, Majo—Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 73, n. 484).

179. *V. sativa* (Trag. J. Bauh.) L. = *V. sativa vulgaris semine nigro* C. Bauh.! et alior. = *V. vulgaris sativa* Clus. 1583! in textu, J. Bauh. 1651 c. ic. bona, in descriptione semper *V. sativa* vocatur = *V. major* s. *sativa* Trag. 1552! = *Ervum* Brunf. 1536 c. ic.! = βιχίον, βιχίδιον in Pergamo: Galenus = *Vicia* Varro, Ovid., Plin., Colum. — Ruell., Dodon. 1566 ic. opt.! Clus., Lobel., Raj., Rivin.

Foliola omnia conformia, obovata v. late cuneata, truncato-emarginata. Calycis pallidi dentibus aequalibus longitudine tubi. Flores axillares, 1—2, sessiles; vexillum coeruleum, alae purpureae. Legumina dense et breve puberula; matura pallida, compressiuscula, linearia, $1^1/_4$ — $1^3/_4$ poll., $2^1/_2$ lin. lata. Semina 2 — $2^1/_2$ lin., globosa subcompressa; hilum vix $^1/_3$ seminis ambitum occupans.

Colitur et Petropoli inter segetes et in ruderibus quasi sponte occurrit, sed rarius. Floret a fine Junii ad med. Sept.; fr. mat. cum vel absque floribus med. Julio v. serius. ⊙.

Hist. spec. Petropoli (Longmire 1823, p. 195; an *V. angustifolia*, ut auctt. seqq.? quibus haec spec. deest); inter segetes et ad margines viarum, Majo ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 338); ubique inter segetes v. g. pr. Lachtam (Turcz. 1825, n. 441); inter segetes, aestate (Weinm. Petrop. 1837, p. 73, n. 483, genuina, fide cit. Fl. Dan. t. 522 et distincta l. c. *V. angustifolia*).

180. *V. angustifolia* Rivin. 1691 c. ic.! (foliolis fol. sup. elliptico-lanceolatis), Roth 1788! (foliolis fol. sup. linearibus ut in Schkuhr 1796, tab. 201), Hooker 1829 in Engl. Bot. t. 2614 (est forma Rothiana, foliolis anguste linearibus, apice non emarginatis, $^1/_2$—1 lin. latis), Forster (est forma Riviniana) = *V. Bobartii* Forster 1831 in Engl. Bot. t. 2708 (est forma Rothiana minuta, uniflora, facie *V. lathyroidis*, foliol. parvis et paucis in Ingria nondum observata) = *V. sativa* β *nigra* Linné 1763 = *V. sylvestris*, flore ruberrimo, siliqua longa nigra Bobart in Raj. 1696 (fons *V. Bobartii*) = *V. vul-*

ga is sylvestris, semine parvo et nigro frugum J. Bauh. 1651 descr. optima! etiam formam Rothianam ut var. distinguit „fol. angustissimis ac tenuissimis longiusculis“ = *V. vulgaris, acutiore folio, sem. parvo nigro* C. Bauh. 1623! (Forster ad *V. Bobartii* citat) = *V. sylvestris* Lobel. 1581 c. ic.! (imitatio fig. ex Dodon.) = *Craccae primum genus* Dodon. 1566 ic. bona! inde etiam *V. semine rotundo nigro* C. Bauh. 1623! (forma Rivin.) = *Vicia* Fuchs 1542 c. ic.! (forma Rivin. foliis omnibus conformibus, ut in *V. angustifolia* Fl. Dan. t. 1340, sed foliol. paulo latioribus).

Species cultura minime in *V. sativam* mutatur. Dignoscitur praecipue ab hac: floribus plerumque minoribus, fere unicoloribus kermesinis, legum. angustioribus, turgidis, maturis atris et intus argenteo-splendentibus, seminibus duplo minoribus, numquam compressis. Folia in eadem planta heteromorpha, inferiora plerumque foliolis *V. sativae*, superiora foliolis angustioribus et longioribus. Reliquos characteres ex legum. maturis patulo-divaricatis, glabris et jugis fol. paucioribus non semper commendarem.

Recentiores auct. cum hac confundunt *V. segetalem* Thuill. Fl. Paris. ex descr., Seringe ex cit. Engl. Bot. t. 334 (*V. angustifoliam* Rothii, Thuillier pro *V. peregrina* in Fl. Paris. sua habuit, ut specim. Thuill. ad Mertens 1807 missum et patria docet); cultura pariter constans et media quasi est inter *V. angustifoliam* et *V. sativam*, legum. maturis subglabris, plerumque pallidis, turgidis et semin. magnis *V. sativae* cognoscitur; foliola vero *V. angustifoliae* Rivin. rarius Rothianae; haec in Ingria deest.

In ruderibus et inter segetes Petropoli, utraque forma; Lissino, ad ripam fl. Wolchow. Floret initio Julii usque init. Sept.; fr. mat. init. Aug. et Sept. ⊙.

Hist. spec. Ubique a Petropoli ad Twer, m. Aug. et Sept. partim fr. mat. (Gmelin mss. 1733, n. 81 ex syn. C. Bauh.) inter segetes et in ripa Newae fl. inter Kasatschiam et Ochtam (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 113

s. *V. sativa α*; ex syn. J. Bauh. plene ad *V. angustifoliam* pertinet, quam tunc temporis Linnaeus nondum a *V. sativa* distinxit; in Codice Krasch. mss. 1751—4 loco synn. Linnaei adest syn. Halleri, ad *V. angustifoliam* spectans; planta Krasch. et Gorteri minime *V. sativae* subscribi potest, ut in Ledeb. Fl. Ross. I, p. 665 factum; huc quoque citanda *V. sativa* Sobol. Fl. Petr. 1799, p. 170, n. 468; ed. ross. II, 1802, p. 90, n. 481, nam praeter verbum „rarius", loci speciales ex Krasch. transcripti; alias descr. et tab. Fl. Dan. citata *V. sativam* veram designat); in agris et fruticetis rarius, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 73, n. 482 s. *V. angustif.* Roth, Schkuhr t. 201 et Fl. Dan. t. 1340 satis bona; additur var. β *major*).

⁜ §. 4. **FABA.** Pedunculi ut in §. 3. Semina oblonga compressa; hilum terminale in latere breviori seminis (nec laterale in margine longiori). Herbae succulentae, cirrhis simplicibus brevissimis v. nullis. — *V. Faba* L. = *Faba vulgaris* Fuchs = *Faba* Plin., Matth., C. Bauh. = κύαμος Iliadis, Hippocr., Theophr. frequenter colitur et ex hortis oleraceis rejecta hinc inde enascitur.

XC. LATHYRUS.

Λάθυρος Theophr., a λά-θουρος, quod venerem excitat, latinis (Plin., Colum., Pallad.). *Cicercula* dicitur, estque *Lathyrus sativus* (C. Bauh.), L. et *Lathyrus* Ruell. 1537, Dodon. Genus *Lathyri* apud C. Bauhinum satis purum, sed *Orobum* L. non includit, quod recentissime a cell. Wimmer et auct. Fl. Gall. factum, cum *Orobus* non aliter differat, quam cirrho foliorum deficiente v. mucroniformi, ut jam Koch monuit, nota parum gravis et imo inconstans (v. g. in *L. viciaeformi*). Ὄροβος Hippocr., Arist., Theophr., Diosc., Galen., quo boves saginantur, Virgilio, Plinio et Columellae *Ervum* audit et pro *Ervo Ervilia* L. jam diu habetur; est *Orobus* Matth. 1565! Lobel; est quoque genus *Ervum* Rivin.! et Linné (quoad speciem et cha-

racterem in syst. pl. ed. VI „germen transverse plicatile"); sed *Ervilia* Plin. pro *Lathyro Cicera* L. interpretatur.

Species Ingricae omnes radice gaudent perenni, pedunculis axillaribus longis multifloris et petiolis omnibus folioligeris.

181. *L. pratensis* Rivin. c. ic.!, Rupp., L. = *L. luteus sylvestris dumetorum* J. Bauh. 1651 ic. bona! = *L. sylvestris* (fl. luteis Thal. 1588!) *luteus folio Viciae* C. Bauh.! = *Ervum sylvestre minus* Gesner ed. Kyber 1553! Fide J. Bauh. primum apud Tragum in ed. germ. 1539 obvenit.

Flores flavi. Caulis apterus. Folia unijuga. — Variat heic: herba±villosula et florum vexillo aurantiaco (Borszczow!).

In pratis, ad sepes et ripas ubique copiose. Floret a fine Maji v. init. Junii ad init. v. rarius finem Aug.; fr. mat. fine Jul. ♃.

Hist. spec. Non procul a Tossna (Gmel. mss. 1733, n. 80 ex syn. C. Bauh.); circa Duderhof! m. Jun. (Amman mss. 1736, n. 80 ex syn. Bauh. utrq., Moris.); frequens in pratis laetioribus; flor. fine Junii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 112); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); frequens in pratis laetioribus, ut circa fabricam pyriam Ochtensem, Catharinhoffii! et in insulis Newae! fl. (Sobol. Petr. 1799, p. 168, n. 461; ed. ross. II, 1802, p. 84, n. 474); in pratis humidiusculis passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 337); ubique (Turcz. 1825, n. 435); in herbosis tam siccis apricis, quam humidiusculis turfosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 73. n. 481).

182. *L. sylvestris* Dodon. 1553, 1566! ex ic. 1583!, Clus. 1601 c. ic.!, Linné = *L. sylvestris major* C. Bauh! Tourn. Vaill. = *Ervum rufum* s. *sylvestre* Fuchs 1542 ic. bona!

Flores rosei, purpureo-picti; vexillum dorso viridulum. Hilum 2 lin. longum, fere dimidium semen ruguloso-gyrosum cingens. Folia unijuga, foliolis anguste lanceolatis. Caulis et interdum petiolus late alatus, prostratus

vel inter frutices scandens. Radix crassa, lignosa, multiceps. — In Koch Syn. ed. 2. petiolis anguste alatis ab affinibus spec. distinguitur, sed latitudo alae nimis variat et saepe petioli late alati, rarius apteri sunt, ut in icone *L. sylvatici!* apud Rivinum 1691.

In sylvis montosis et fruticetis elevatioribus reg. elevatae Fl. Petrop. substrato calcareo syst. silurici, hinc inde copiose (Nicolskoje, Pawlowsk, montes Duderhof, Bornitzy, Arbonje, Lapuchinka) usque ad fl. Luga (ex Krasch.) et fl. Pljussa pr. Poljà; alibi in Ingria rarior: Kauschta in siccis apricis, circa Gorodetz; adest etiam in parte diluviali antiquiori isthmi Kareliae frequens ex Turcz. et (pr. Koltuschi) Kubarkin, sed reg. demissam alluvialem non intrat. Floret fine vel rarius jam medio Junii usque ad finem Julii m.; fructus tarde maturant, nonnulli initio Aug., alii fine v. serius et legumina seminibus foeta subinde in Majum anni sequentis persistunt. ♃.

Hist. spec. Duderhof! (Gmel. sen. ex spec. in herb. Acad.! cum synn. C. Bauh. et Linné Cliff., Fl. Suec. ed. 1 in schedula autogr. paulo post a. 1745 scripta); circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 73, n. 437); in sylvis montosis c. Petr. ex Boeber (Sobol. Petrop. 1799, p. 168, n. 462); rarius in sylvis et pratis montosis pr. Krasnoje Selo! (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 85, n. 475); in sylvaticis montosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 337 et Petrop. 1837, p. 72, n. 479); in montosis Duderowo! Pargola! Murina, ad pag. Rjabowa (Turcz.! 1825, n. 436).

β. *L. sylvestris latifolius* Clus. 1601! (ex agro Frankfurtiensi) = *L. latifolius* L. Fl. Suec. (non Spec. pl. et C. Bauh.). Foliola late lanceolata vel ovalia, ceterum non diversus a typo. Petropoli rarius occurrit forma extrema foliolis ovalibus retusis $1\frac{1}{2}$ poll. latis, frequenter vero adsunt formae transitoriae ad typum in iisdem stationibus citatis. Huc pertinet *L. latifolius* Auct. Fl. Petrop. (excl. syn. nonn.), indicatus: ad fl. Luga, praesertim autem in montosis Duderhofii! (Krasch. ed.

Gort. 1761, p. 112); Newa (Falk 1786, p. 224, n. 824); Ingria (Georgi 1800, p. 1167, n. 11); circa montem Pulcovum et Crasnosaelii (Sobol. Fl. Petrop. 1799, p. 169, n. 463; ed. ross. II, 1802, p. 86 n. 476, additis locis ex Krasch.). Synn. Falk et Gorteri in Ledeb. Fl. Ross. I, 1842 p. 684 ad *L. latifolium* Auct. recent. citantur, speciem australem, floribus majoribus laete purpureis unicoloribus diversam; excludenda sunt, ut jam Ledebour suspicatus est. Porro synn. Gorteri et Sobol. pro *L. heterophyllo* L. declaravit Weinm. 1824, sed haec species in Ingria deest. Varietatem *L. sylv. latifolii:* stipulis multo latioribus (2—3 lin. latis) et petiolis alatis, ex agro Petrop. in Diatr. Petr. 1845 p. 76 memoravi.

⁂ *L. heterophyllus* L. Suec. a prioribus tantum foliis superioribus 2—3 jugis differt, et in Suecia, teste Fries, omnino specie distingui non potest, cultura quoque in illos mutatur. Ex Ingria numquam *L. sylvestrem* fol. 2 jugis vidi. In Synops. ed. 2 Koch *L. heterophyllum* specie admittit et β. *unijugum* a var. *latifolia L. sylvestris* distinguit: colore glaucescente, alis petiolorum aeque latis atque caulis et stipulis latioribus longioribusque. *L. heterophyllus* L. indicatus: Petropoli (Boeber ex Georgi 1790, n. 438); Ingria (Georgi 1800 p. 1167, n. 12; syn. in Ledeb. Fl. Ross. I, p. 685 admissum; sed planta omnino dubia pro Ingria, ne dicam pro Rossia tota); in vallibus et montibus Pargelovii et Ossinova Roschczae (Sobol. Petr. 1799, p. 169, n. 464; ed. ross. II, 1802, p. 87, n. 477); ad radices montis Duderhofii et Pulcovae, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 337, an *L. sylvestris latifolius?* propter syn. Gort. et Sobol.). In Diatr. Petr. 1845 p. 76 potius propensus fui, *L. viciaeformi* β. *latifolio* subscribere.

183. *L. viciaeformis* Raj. 1686, cujus icon apud Plukenett 1691, tab. 71 melior, quam Ruppii (detect. a Willisello ad oppid. Southwark in prato Peckhamfield); Gilib. 1792! = *L. palustris*, *flore Orobi nemo-*

rensis verni Rupp. 1718 c. ic.! (ad var. *latifoliam* accedit) = *L. palustris* L. 1753 (ex arbitrio praeposuit nomen ex Ruppio, qui pro indescripta specie habuit).

Flores coerulei. Hilum 1 lin. longum, $^1/_4$ seminis laevissimi marmorati ambitum occupans. Legumen rectum, quam in *L. sylvestri* brevius et angustius (18 : 3—4 lin.) sub 8 spermum castaneum. Folia 2 — 3 juga, foliola (in typo) lanceolata cuspidata, $1^1/_2$ lin. et latiora. Caulis medio saltem alatus; petioli apteri. Rhizoma tenue repens. — Var. β. *latifolius* Lambertye 1846; foliola oblonga vel ovalia, ad 6 lin. usque lata, tenuiora. Saepe cum typo mixtim crescit et formis intermediis jungitur. Variat etiam heic 1) cauliculis sterilibus tenuibus, interdum apteris, fol. unijugis; 2) foliis quibusdam 4 jugis; 3) calycis dente intermedio ± longo; 4) rarissime petiolis ecirrhosis, nonnumquam anguste alatis.

In pratis humidis et paludosis, ad ripas; Petropoli tantum in regione demissa litorali, in insulis extimis circa ostia Newae fl. usque ad Oranienbaum et ins. Kronstadt; utraque forma, β. copiosior. Praeterea circa ostia fl. Luga (α); in graminosis sylvaticis humidis pr. Sholtscha (β) et copiose ad ripas lacus Tscheremenetz circa monasterium in fruticetis humidis (tantum β. eximie). Floret fine, rarius initio Junii, m. Julio, raro Aug.; saepe medio Julio defloratus; fr. mat. init. Aug. v. serius. ♃.

Hist. spec. Ad ripas Newae! ubi plures efficit insulas circa Petropolin, Julio (Buxbaum Cent. IV, 1733, p. 27, tab. 46 forma *latifolia!* pro nova specie descr. s. n. *Clymenum majus foliis longis striatis*); in ins. rotunda! (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 165); passim in pascuis humidis Ingriae (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 112 s. n. *L. palustris* L. ut omnes seqq.); in locis paludosis et pascuis humidis circa Catharinhoffium! et ad viam Peterhofianam! (Sobol. Petr. 1799, p. 169, n. 465; ed. ross. II, 1802, p. 87, n. 478); in pascuis humidis (Weinm. Pawl. 1824, p. 337); in paludosis maritimis ad viam Peterhofianam! etiam ad ripas Newae! (Turcz.! 1825, n. 437 ex spec. Turcz. ad α); in pascuis et fruticetis humidis, Jun.

ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 72, n. 480 cum forma b., quae β. *latifolia*).

184. *L. pisiformis* (Linné 1753!, L. fil. 1763 tab. 20 opt!; primo apud Linnaeum 1748 ex Sibiria, in horto Upsal. cultus obvenit sub n. *Lathyrus* n. 8.; tum apud Haller 1753, in horto Götting. cultus, a Martino e Sibir. missus; adest etiam in Gmel. Fl. Sibir. IV, tab. 1 sub n. *Lathyrus* 4, forte ante Linnaeum, sed 1769 demum editus ut in Codice mss. Kraschen. circa a. 1750 Petropoli detectus et pro nova specie descriptus, sed a Gortero non recognitus et consulte omissus. Historia speciei communia quaedam habet cum illa *Silenis tataricae;* conf. supra pag. 158.

Calyx cinereo glaucus. Flores albo-viriduli; alae apice cum vexillo intus sordide roseo-lilacinae, venis saturate violaceis pictae. Legumina e castaneo nigricantia, $1\frac{1}{2}$ poll. longa, 2 lin. lata. Hilum $\frac{3}{4}$ lin. longum, $\frac{1}{6}$ seminis marmorati peripheriam cingens. Folia superiora 3-5 juga, foliolis ovalibus, tenuibus. Stipulae magnitudine foliolorum, majores $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$: 2 poll., subdentatae. Caulis (cum petiolis) apterus vel anguste alatus, erectus, ad alas ciliatus. Radix tenuis, (ex Gmel.) transverse repens. — Variat foliolis late vel anguste ovatis vel oblongis; foliorum infimorum foliola fere semper minora et angustiora, interdum linearia sunt.

In Ingria rarissime et tantum substrato calcareo syst. silurici. Exstat in Codice Mss. Kraschen. 1751—4 s. № 326 «*L. ped. multifl.*, cirrhis polyphyllis, foliol. ovatis» e montibus Duderhovii, unde spec. deflor. accepit. Neque a Gortero, neque ab aliis commemoratur. In Diatr. Petrop. 1845 p. 76 primus annuntiavi, singula specimina in umbrosis montis Duderhof diversis locis et annis inventa esse a D. D. Weisse, Graewenitz et Karpinski; post hac in sylvis ejusdem montis plura specc. obs. D. D. Borszczow et Kubarkin, medio Julio omnino deflorata, legum. nondum plene maturis, initio Sept. vero seminibus maturissimis. A. 1851 in fruticetis umbrosis

montosis inter Arbonje et Jermolino parcissime vidi, sed 1853 ibi frustra quaesivi; fine Jul. jam diu deflor. legum. dehiscentibus, sem. nondum plene maturis. Copiose vero 1853 in tertia quadam statione, in umbrosis ad marginem sylvae, secus viam inter Kolódesi et Androwa, inter frutices, in graminosis et ad fossas infundibuliformes profundas valde memorabiles, fine Junii optime florentem et partim defloratam inveni (conf. Bullet. Acad. Pet. 1854, p. 224). ♃.

185. *L. maritimus* Bigelow 1824! Fries 1835! = *Pisum maritimum* L. = *Pisum marinum perpetuum* Munting 1702, tab. 230 opt.! = *Pisum laponicum littoreum floribus subcoeruleis:* D. Rudbeck in Petiv. hort. sicc.; Raj. 1704 = *Pisum spontaneum maritimum anglicum* (Gerard ed. Johns. 1636) Parkinson 1640 quoad descr.! nam icon ex Tabern. petita ad *Viciam pisiformem* pertinet = *Pisum marinum* Raj. 1686! Linné 1737! Prima mentio plantae fit apud Gesner, vide supra p. 248.

Flores roseo-purpurei (in sicco coerulei). Legumina brunnea, dense pubescentia, linearia, 2 poll. longa, 4 lin. lata. Hilum seminis helvoli unicoloris, ut in *L. sylvestri*. Folia sub 4 juga; foliolis ovalibus, mucronatis, firmis. Stipulae magnae ($^1/_2$: 1 poll.), inaequaliter cordato-hastatae. Caulis apterus, angulatus, decumbens. Radix profunde repens, ramosa. — Variat eodem loco pubescens v. glaberrima (unde europaea et canadensis distingui non potest, ut apud L.), microphylla, stipulis dentatis et integerrimis.

Copiose in litore arenoso maritimo insulae Kronstadt, nec non inter Peterhof et Oranienbaum. Floret a fine Junii saltem ad initium Aug.; fr. mat. fine Aug. v. prius. ♃.

Hist. spec. Ad lacum Ladoga (Georgi 1800, p. 1163, n. 2 s. *Piso mar.* L.); ad litus arenosum ins. Kronstadt sat copiose 1844; D. Kühlewein in litore pr. Oranienbaum unico loco non parce 1845 (R. Diatr. 1845,

p. 76 s. *Lath. mar.;* ibi plures stationes vicinas ex sinu Fennico addidi, ne planta cuidam extranea appareat).

186. *L. vernus* Bernh. (ante 1821), Wimmer = *Orobus vernus* L. = *Orobus sylvaticus (purpureus) vernus* Thal. 1588 tab. 6 optima! (C. Bauh. Raj. Tourn.) = *Orob. pannonicus* I Clus. 1583 c. fig. opt! (nomen collectivum pro 4 spec.)

Petioli semper ecirrhosi, 3—4 jugi; foliola tenuia, ovato-lanceolata, acuminata. Stipulae semisagittatae, modicae. Flores (et saepe calyces) laete purpurei, post anthesin azurei. Legum. *L. pisiformis.* Hilum 1 lin. longum, $^1/_3$ seminis ambitum cingens. Caulis apterus erectus. Radix fibrosa, multicaulis.

Interdum eximie latifolius, foliolis ovatis, abruptius acuminatis, ad 2 poll. latis (in ins. Walamo); in borealioribus fere haec tantum, quare saepius de differentia cogitavi; cf. Fl. Samoj. n. 86. Auctores enim optimi extranei folia tantum 2—3 juga, foliola angustiora et pedunculos 4 floros indicant, quod jam rarius Petropoli conspicitur; heic racemus frequenter 7—12 florus. Monstrositatem heic obviam notare licet: petiolo communi bijugo, apice folio terminali instructo et simul bifurcato: partitionibus (petiolis partialibus) iterum bijugis, ita ut in toto adsint foliola 13.

In sylvis umbrosis, caeduis et mixtis, nemoribus, praesertim elevatioribus copiosissime per Ingriam; rarissime in reg. demissa Petropoli. Floret toto mense Majo, rarius fine Aprilis et init. Junii; locis nonnullis serius, a fine Maji usque ad med. Junii; fruct. mat. fine Junii, interdum ad finem Julii usque clausi. ♃.

Hist. spec. In montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 112 s. n. *Orobus vernus* L. ut omnes seqq.); in sylvis umbrosis montosis Duderhovii!, Pulcovo, Ossinovae Rosczae, circa urbem Gatczinam!, pagum Colodeci!, circa fabricam pyriam Ochtensem (Sobol. Petrop. 1799, p. 168, n. 460; ed. ross. II, 1802, p. 83, n. 473); in sylvis montosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 336);

in sylvis ad viam Peterhofianam, Murinae, in montosis Pulcovae et Duderhovii! (Turcz. 1825, n. 434); in umbrosis sylvaticis, primo vere (Weinm. Petrop. 1837, p. 72, n. 478).

Observ. Species proxima et commutatu facilis est *O. alpestris* Fl. Alt. (non W. Kit.), s. n. *L. Frolovii* (Fisch.) restituenda, non semper foliolis angustioribus, oblongis obveniens; sed distinctissima rhizomate longe repente, calyce valde gibberoso inaequilatero, floribus majoribus, in sicco purpureis, 7 lin. usque ad angulum carinae longis (in *L. verno* tantum 5 lin., rarissime 6 lin.).

Fam. XXIX. DRUPACEAE.

Char. Flores 5-meri, saepe praecoces v. coëtanei. Cal. liber, deciduus. Petala aestivatione convolutiva. Germen superum liberum, unicum. Stylus terminalis simplex. Drupa sarcocarpio carnoso v. coriaceo fibroso; putamine osseo vel lignoso bivalvi, abortu saepissime 1-spermo. Semen pendulum; radicula supera. — Frutices v. arbores, interdum spinescentes; foliis simplicibus; stipulis liberis, caducis; petiolis saepissime basi v. apice glandula instructis. Reliqua *Rosacearum.*

Affinitas tanta cum *Rosaceis*, ut jus familiae diversae *Drupaceis* jam a Linnaeo concessum, a quibusdam (Jussieu, Dec., Meisner) abrogetur. Differunt praecipue fructu semper drupaceo, germine solitario, saepissime quoque calyce deciduo et praesentia acidi hydrocyanici in omnibus partibus amaris specierum plurimarum.

Qualitates et usus. Familia nobis fere exotica; e nu-

merosis formis sub coelo mitiori in usum hominum cultis unica *Cerasus acida* hyemem iniquam fert et hinc inde plantatur vel efferata obvenit; cerasa acida citra emolumentum domesticum officinalia sunt; sarcocarpium acidum nitricum cum saccharo, calce et lixiva admixta, jungit; folia et semina modicam acidi hydrocyanici quantitatem continent et pariter in usum officinalem veniunt; gummi, quod e truncis vestustis, cortice laeso, effluit, arabico licet qualitate inferius, substitui potest; lignum ob duritiem et colorem praestantissimum. *Pruni sylvestris* flores odorati amari purgant; cortex adstringens, amarus, febrifugus; fructus acerbissimi, gelu vero tacti edules, asservari, nec non ad acetum et atramentum parandum adhiberi possunt. *Padi racemosae* fructus, licet non edules C. Bauhinus et multi post eum contendant, heic sine noxa comeduntur, majori quantitate alvi stypsin faciunt; sarcocarpium dulce, aliquatenus acidulum et amariusculum; putamen vero austerum et amarissimum, acido hydrocyanico plenum, ut folia et flores; cortex officinalis, quoad aetatem variae indolis; ramorum seniorum amaro-adstringens, roborans; hornotinorum vero, ut folia trita, odoris amygdalarum, destillatione aquam largitur acido hydrocyanico refertam; Fennones, referente Linnaeo, decocto corticis saturatissimo luem veneream curant; lignum flexibile et tenax opificibus inservit, tritum odoris tetri.

Genera *Drupacearum*, ex mente plurium auctorum, vix characteribus sufficientibus distincta, potius sectiones naturales unius referunt.

XCI. PRUNUS. Drupa carnosa indehiscens. Puta-

men laeve v. rugosum, foraminulis destitutum. — Flores albi, rarius rosei.

(§. 1.) PRUNUS. Drupa pruinosa. Putamen utrinque acutum, compressiusculum, ad margines subsulcatum. Folia juniora convolutiva. Flores solitarii v. gemini e gemmis aphyllis.

§. 2. CERASUS. Putamen subglobosum. Folia juniora conduplicata. Flores gemini v. umbellati e gemmis aphyllis v. subfoliaceis.

§. 3. PADUS. Putamen ovatum, ceterum ut in §. 1. Calyx non caducus, ut in *Ceraso*. Racemi! basi foliacei.

XCI*. PRUNUS.

Prunus Plin. et Colum. varietates cicuratas *P. domesticae* et *insititiae* comprehendit. *Prunus sylvestris* Plinii eadem est ac patrum et Milleri sive *P. spinosa* L. *P. insititia* κοκκυμηλέα Theoph. et Diosc. audit; *P. sylvestris* vero ἀγριοκοκκυμηλέα Diosc., sive σπωδιάς Theophr. ex auct. Athenaei, sive προῦμνος in Asia ex Galeno. Sunt, qui προύνη (vel προῦμνον?) Theoph. IX, 1 ubi de gummate arboris obiter agit, pro *P. domestica* habeant. Nullum saltem dubium, quod Tournefort nomen „*Prunus*" rite pro genere suo et praesente stabiliverit.

(187.) *P. sylvestris* Plin. Colum. — Brunfels, Fuchs 1542 fig. opt! ad β. *coëtaneam* (1. Trag. c. fig!), Dodon., Matth., Gesner, Camer. fig. opt! (α. typica, ut in fig. apud Trag.), Dalech. C. et J. Bauh!, Raj., Tourn, Blackw. — Miller 1768 = *P. spinosa* L) 1762 et Rec. (nemo ante L.); in L. Spec. pl. ed. 1. (1753. cum *P. insititiâ* adhuc confusa, ut apud patres quosdam.

Pedunculi floriferi subsolitarii, glabri. Petala 2 lin. Ramuli hornotini pubescentes. Fructus globosi, erecti. Folia parva, elliptica, serrata; adulta supra tantum ad co-

stam mediam et infra in axillis nervorum pubescentia. Flores in α typica praecoces.

Terminus speciei boreali-orientalis. In apricis sterilibus ad cataractam fl. Narovae, sed tantum in ripa sinistra, indubie sponte adsunt frutices annosi, tortuosi, 3—6 pedales, ramis divaricatis spinosis, vepreta densa efformantes; alii frutices, forte efferati, in convalle Joachimi prope urbem Narwa, paulo graciliores sunt et ramos etiam annotinos pubescentes praebent. (Conf. R. in Bull. Acad. 1854 p. 214 (81) s. n. *P. spinosa coëtanea*). Singulare, quod ambobus locis tantum proveniat var. β. *coëtanea* Wimm. et Grab. 1829 floribus unacum foliis fine Maji evolutis; item, quod fructus rarius, si umquam perficiat. Cis Narowam haud conspicitur, sed cum passus tantum aliquot a limitibus politicis distet, e Fl. Ingriae excludere ridiculum foret.

XCI**. CERASUS.

Cerasus, si Plinio credimus, a Cerasunte Ponti municipio nomen accepit. *Cerasi* ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia; ad urbis annum DCLXXX is primum vexit e Ponto annisque CXX trans oceanum in Britanniam usque pervenere (Plin.) Haec Romanis erat opinio vulgata. Intelligi debet varietas quaedam cicurata nobilior *C. dulcis*, nam sylvestris in Italia aderat et gulis Romanorum corruptorum parum grata fuisset; talis apud Celsum, Virgilium et Marcellum memoratur. *Cerasorum* apud Graecos antiquiores mentionem fuisse, ex Athenaeo colligitur, ubi narrat, Diphilum Siphium, qui sub Lysimacho rege, uno ex Alexandri successoribus vixit, multis annis Lucullo antiquiorem, *Cerasorum* meminisse. Κέρασος Theophr. ad 24 cubita crescit et adeo crassa est, ut bicubitalem ambitum e radice compleat; evidenter est *C. dulcis* s. *P. avium* L., nam *C. acida*, incongrue *P. Cerasus* a Recent. appellata, numquam in arbores magnas excrescit et in Graecia rarissime obvenit. Apud Romanos

succus acidus *Cerasorum* nullibi adnotatur, potius fructus dulces Propertius vocat. *C. acidam* forte sistit λακάρτη vel λακάϑη Theophr. solo nomine inter arbores citata, quae in planitie Macedoniae vegetant et quae (propter stolones?) multiplicatu facillima. Linnaeus et multi post eum genus *Cerasi* Tournef. et C. Bauh. cum *Pruno* conjunxerunt, sed Haller, Miller, Mönch, Persoon, Lamarck, Decandolle, Seringe, Meisner, Fries et alii genus ex integro admittunt.

⋇ 188. *C. acida* (Trag! Dalech! Tabern! c. fig.) Gärtner 1800!, Fries! = *C. Caproniana* Decand. 1815 et *Cerasa Aproniana* Plinii, saltem Trag! C. Bauhino approbante; = *C. vulgaris* Gerard 1636!, Miller = *C. sativa* C. Bauh! = *P. Cerasus* L. 1762; in Spec. pl. ed. 1. (1753) hoc nomine etiam *C. dulcem* Gärtn. subsumsit, sive *P. Ceras. δ. dulcem* L., quam mox (1755) s. n. *P. avium* distinxit umbellis sessilibus et fol. subtus pubescentibus, quamque Scopolius majori jure *P. Cerasum* appellavit.

Drupae acidae. Umbellae floriferae plerumque ramo hornotino elongato foliaceo insidentes. Petioli eglandulosi. Folia glabra, nitida, subcoriacea, late elliptica v. obovata, utrinque acuminata, turionum majora pubescentia. Radix stolonifera.

In Scandinavia et Germania tantum spontanea facta; hinc eodem jure in Floram Ingriae recipienda; nam non solum frequentius culta (praecipue c. Narwam), sed etiam efferata hinc inde obvenit v. g. Petropoli (R. Diatr. Petr. 1845 p. 27 s. *P. Ceraso* L.), speciatim pr. Duderhof!, et Pulcowo; copiose in ripa elevata fl. Luga pr. Jamburg, ubi fruticeta subspontanea ad $1^1/_2$ orgyias alta efformat (Conf. R. in Bull. Acad. 1854, p. 214 s. *P. Ceraso*). Floret ultra medium v. fine m. Maji et primis Junii diebus. ♄.

XCI*** PADUS.

Πάδος Theophrasti est „arbor in umbrosissimis proveniens“ (plura non dixit Th.). Rob. Constantinus

(1584 vel prius) et Dalechamp 1587 pro *Ceraso racemosa* Lobelii habuerunt. Conjecturam suam in eo fundarunt, quod hanc Allobroges *Putier* i. e. putidam arborem (germ. Faulbaum) vocitent, Sequani vero *Pudis*, quasi *Padis*, voce *Pado* corrupta. Et Plinius ex Metrodoro Scepsio refert, Padum fluvium hoc nomen accepisse „quoniam circa fontem arbor multa sit *Picea* (?), quae *Pades* gallice vocatur". Sed nunc constat, *Padum* Dalechampii neque in Graecia, neque in Italia (nisi ad fontes Padi fluvii) inveniri, ubi *Mahaleb* ejus vices agit, quae cel. Fraas *Padus* vera Theophrasti et *Cerasus macedonica* Plinii videtur. Forte populi Galliae dicti utrasque confuderunt stirpes ibi indigenas. *Padum* Dalechampii patres plurimi (Gesner, Lobel, Pena, Clusius, Tabern., Gerard, Caesalpinus, Besler, C. et J. Bauhinus) pro *Cerasi* specie habuerunt, ut recentiores fere omnes, qui *Cerasum* a *Pruno* distinctam ponunt. Linnaeus primus cum *Pruno* junxit et ejus auctoritati adhuc multi obtemperant. Pro genere vero sui juris agnoverunt Rajus, Ruppius, primo etiam Linné; Haller omnes fere differentias hodiernas cognovit et distinctionem a *Ceraso* ursit, ut Miller, Mönch, Gärtner, Host et alii. Tournefort ad genus *Laurocerasi* amandavit, quocum imo testa in vertice seminis callosa et ceteris characteribus genericis convenit. Nomen *Padus* pro generico defenderi eo magis potest, si *Mahaleb* ejusdem generis est, quod nonnulli affirmant (Koch, Ledeb.), alii negant (Haller, Rchb.), cum ad *Cerasum* transferant. *Mahaleb* revera intermedia fere est utrisque generibus, sed propter putamen ovatum acutum et flores saepe exacte racemosos exordium sistit seriei valde naturalis, speciebus exoticis ditissimae, cui *Padi* nomen servari potest. Alias propter putamen rugulosum *Pado* Dalechampii exclusive proprium, petala serrata non emarginata etc. *Pseudoligustrum* Dodonaei et Rudbeckii esset.

189. *P. racemosa* (Lamarck 1778 s. *Pruno!*) =

Cerasus racemosa Lobel. et Pena 1570, 1576! Dalech. Dum.-Cours. = *Ceras. avium* Clus. 1583! et *Padus avium* Miller, Gärtn. Mönch! = *Padus vulgaris* Host = *Padus germanica* (Rupp!) Borkh. = *Padus Theophrasti* (quae non est) Dalech. 1587 = *Cer. Padus* Dec. Fries = *Prunus Padus* L. — Figura ap. Dalech. pessima; icon bona apud Gesner fig. 170, 171, a Schmiedel 1754 edita.

Frutex arborescens, amoene frondosus, rarius arbor elevata. Folia decidua, oblonga, ovalia vel obovata, basi rotundata v. cordata, apice acuminata, margine argute duplicato-serrata, glabra, serotina autumno firmiora subtus glaucescentia. Petiolus versus apicem biglandulosus. Flores odoratissimi, numerosi in racemis longis, primum erectis, deinde pendulis. Drupae magnitudine pisi, nigrae, globosae, sapidae; albae, virides v. rubrae nondum hic observatae, neque acerbae, ut alibi indicantur.

In sylvis et fruticetis humidis, ad ripas, per totam Ingriam frequens et copiose. Floret a medio, rarius initio v. fine m. Maji, fine Junii deflorata; fine Julii v. initio Aug. fruct. maturi partim delapsi. ♄, ♄.

Hist. *spec.* In insula rotunda! et ubivis in sylvis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 77 s. *Pruno Pado*, ut seqq.); in insula Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in insulis lapidea!, crucis!, rotunda! et ubivis in sylvis, Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 114, n. 322; ed. ross. I, 1801, p. 331, n. 334); in sylvis umbrosis, Majo (Weinm. Pawl. 1824, p. 229); ubique (Turcz! 1825, n. 316); in sylvis et fruticetis humidis frequentissime, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 51, n. 342).

Fam. XXX. **ROSACEAE.**

Char. Flores regulares, perfecti, 5-, rarius 4-meri, ☿, interdum unisexuales v. apetali. Cal. aut liber tubo bre-

vissimo, aut supra ovarium elongatus, urceolatus, interdum omnino clausus; sepala basi saltem connata, interdum bracteis totidem alternantibus aucta, aestivatione plerumque valvata et in fructu saepe persistentia. Cor. petala 5 v. 4, libera, decidua, sepalis alterna, aestivatione imbricata. Stam. cum petalis calyci inserta, libera, saepissime 20 et plura. Styli tot, quot ovaria, terminales v. laterales. Ovaria libera vel inter se et cum calyce connata, plura, rarissime solitaria, matura sicca (excepto *Rubo*). Semina erecta v. pendula. Embryo exalbuminosus, orthotropus, cotyledonibus carnosis. — Herbae fere semper perennes, suffrutices vel arbores. Folia vel imparipinnata, vel digitata, vel lateralibus abortientibus simplicia. Stipulae (excl. *Pomaceis*) petiolo adnatae, rarissime nullae.

Affinitas quaedam adest cum *Leguminosis*, propter folia composita, stipulas, calycem, numerum quinarium floris, albuminis defectum et cotyledones crassas; sed flores semper symmetrici, stamina libera et germina saepissime plura differentiam evidenter docent. *Fragariearum* porro adest analogia cum *Ranunculaceis* v. g. *Potentillae* cum *Ranunculo*, *Sieversiae* cum *Pulsatilla;* inter *Spireas* et *Saxifragaceas* tanta affinitas, ut vix nisi albuminis defectu differant. *Pomaceae Myrtaceis* proximae sunt.

Qualitates eximiae, *usus* multiplex. Substantiae adstringentes generatim in omnibus partibus praevalent, in quibusdam speciebus accedit resina et oleum aethereum pauca quantitate. Lustrentur singulae species indigenae. *Ulmariae* radix et folia odore modico aromatico Aurantiorum, sapore austero et amaro; flores odorati, acidum

salicinum continent; radix anthelminthica creditur. ***Filipendulae*** tubera recentiora odore debili florum Aurantiorum, sapore dulci, nec non amaro-aromatico; in annonae caritate propter notabilem amyli copiam ad panem conficiendam idonea sunt. Herba *Agrimoniae* ***Eupatoriae*** odore modico, sapore amaro adstringente et paullo aromatico, inter remedia tonico-stimulantia olim habebatur; lanas colore luteo durabili tingit. *Alchimillae vulgaris* similis qualitas in herba et radice. ***Geum urbanum*** radicem *Caryophyllatae* officinalem largitur, recentem primo vere odore *Caryophyllorum aromaticorum*, sapore amaro adstringente et aromatico; acidum tannicum, oleum aethereum, gummi et resinam continet, moderate roborat simulque incitat, unde in febribus intermittentibus vernalibus vel etiam rebellibus, cortice Peruviano contraindicato, in stadio reconvalescentiae, febribus nervosis et septicis exantlatis, praecipue vero in diarrhoeis et dysenteriis atonicis propinatur. Radix *Gei rivalis* amara quidem est et adstringens, sed absque aromate. *Caryophyllatae* radix cerevisiae additur, ut fermentationem acidam inhibeat. Herba ***Potentillae*** *anserinae*, ***reptantis***, *argenteae* et *palustris* olim in officinis erant, propter virtutem adstringentem et efficaciam in diarrhoeis et dysenteriis; has vero longe antecellit herba, praecipue vero radix *Tormentillae* hodieque officinalis, inodora, sapore valde adstringente, acido mimotannico plena, quasi *Catechu* vel *Ratanhia* indigena; usitatur quoque ad corium subigendum, quod simili modo ac radix *Pot. palustris* colore rubro tingit. Rustici decoctum radicis contra diarrhoeam et dysenteriam in auxilium vocant. ***Fragarum***

fama notissima pendet e receptaculis carnosis, cibum aromaticum deliciosum utplurimum salubrem suppeditantibus; rarius ex idiosyncrasia in quibusdam individuis tormina vel exanthema Urticariae simile provocant; Linnaeus asseverat, se usu fragarum a podagra prorsus liberum per plures annos evasisse. *Fragariam sylvestrem*, *F. moschata* in hortis frequenter culta praecellit magnitudine fructus nec non sapore et tragemata mensae largitur. *Rubi* generatim fructibus succosis refrigerantibus utiles et grati sunt. Baccae sic dictae *Rubi Idaei*, copiose etiam culti, continent acidum citricum et malicum cum saccharo, gelatina et aromate nuptum; sitim et aestum febrilem temperant, pro secundis mensis prae caeteris sese commendant, acetum, aquam, et syrupum exhibent frequentissimi usus in medicina; infusum e fructibus siccatis ad anhydrosin levandam populare. Mora magis aquosa *Rubi Chamaemori* digestu facillima, dummodo recentia, aromate quibusdam locis suavissimo, inter bellaria et fructus conditos non infimae dignitatis. Multi baccas *Rubi arctici* propter aroma exquisitum praeferunt, e quibus, pari modo ac *R. saxatilis* nimis acidis cum spiritu vini temetum praeparatur. *Ruborum* reliquorum fructus minus copiose obvii. *Rosae caninae* calyces baccati muco, saccharo, gummi, resina, acido citrico et malico, nec non substantia adstringente gaudent; a nuculis liberati et cum saccharo cocti in usum domesticum veniunt; nuculae comosae purgant et helminthas propellunt, tostae loco *Coffeae* inserviunt; petala siccata adstringunt; lignum a fabris scrinariis expetitur, frutex a hortulanis ad insitionem et opus topiarium; in hac praesertim specie *Cyni-*

pum ictu gallae gignuntur olim pro panacea habitae, fungi *Rosarum* v. *Bedeguar* s. spongiae *Cynosbati* dictae. Reliquae *Rosarum* species indigenae fere cum hac conveniunt. *Pomacearum* flores decore *Rosas* saepe aemulantur; lignum duritie et colore excellit; praecipue vero propter fructus horaeos in exteris terris varietatibus innumeris sese commendant et ubique in consortio hominum degunt; e cicuratis tantum *Mali* arbores clima Ingricum ferunt. E pomis *Mali sylvestris* acerbo-acidis validius adstringentibus vinum et acetum paratur; lignum *Pyro communi* praefertur, licet minus durum sit; cortex colore citrino tingit. *Aucuparia* baccas progignit austeras, adstringentes, acido malico nimis foetas, nisi gelubus iteratim expositas, inedules, ad vinum et acetum idoneas; vidi saccharum ex iis paratum; lignum durum et tenax; cortex tannina dives. *Crataegi* fructus fere inutiles, ab avibus tantum expetiti propter nuculas; lignum *Buxi* fere duritie, ab opificibus exquisitum; cortex colore flavo tingit; frutex ad opus topiarium ab antiquissimo tempore adhibitus, in Ingria tamen *Cr. sanguinea* praefertur; rami stricti baculis et fistulis conficiendis idonei sunt.

Conspectus tribuum et generum.

Trib. I. SPIREAE. Flores perigyni, ovaria supera. Carpidia verticillata, sicca, capsularia, introrsum (sutura ventrali) dehiscentia, saepissime libera. — Suffrutices, rarius herbae. Folia saepe simplicia, interdum exstipulata.

XCII. SPIRAEA. Cal. lobi imbricati. Petala 5 aequalia. Stam. 10—∞, libera, disco in basi calycis adnata. Ovaria sub 5, rarissime abortu solitaria vel (in *Filipendula*) plura, 2—∞ ovulata. Carpidia tot quot ovaria, rarius basi coalita. Semina aptera.

Trib. II. FRAGARIEAE. Flores perigyni, ovaria supera. Stam. plerumque 20, rarius pauciora. Carpidia saepissime ∞, 1 ovulata, nucamentacea v. drupacea, receptaculo spiraliter insidentia. Semina saepe pendula, radicula supera. — Genera pleraque herbacea perennia, rarius fruticosa.

XCIII. GEUM. Cal. 5 partitus, extus bracteolis 5 duplicatus. Petala 5. Stam. ∞. Carpidia in receptaculo cylindrico capitata, longirostria, cum stylo basi intorto v. geniculato deciduo articulata. Sem. adscendentia; radicula infera.

XCIV. POTENTILLA. Cal. 4—5 partitus, extus bracteolis totidem duplicatus. Petala 4 v. 5. Receptaculum convexum v. conicum, exsuccum. — Flores (in nostris specc.) aurei v. flavi.

XCV. (PSEUDO-) COMARUM. Cal. 5. partitus, extus 5 bract. Petala 5. Receptaculum post anthesin auctum, subglobosum, carnoso-spongiosum, nuculis non immersis. — Flores rubri. An potius sectio naturalis inter *Potentillas* et *Fragarias*, suadente *P. Fragariastro* = *F. sterili* conjungendas? ut Crantzio videbatur; pari jure *Potentillae* albiflorae (*Fragariastrum* Ser. in Dec.) a reliquis generice separari possunt, ut Wallroth monuit.

XCVI. FRAGARIA. Flores 5 meri, ut in prioribus, sed receptaculum post anthesin auctum, carnoso-succulentum, demum saepe deciduum, nuculis semiimmersis. — Flores numquam lutei.

XCVII RUBUS. Cal. 5 partitus ebracteolatus, laciniis aestivatione saepissime imbricatis. Petala 5. Carpidia succulenta, drupacea, supra receptaculum conicum subcarnosum in baccam spuriam (morum) deciduam connata (rarissime pauca et libera). — Suffrutices aculeati, rarissime herbae inermes. Flores numquam lutei.

Trib. III. ROSEAE. Flores epigyni, ovaria infera. Carpidia ∞, uniovulata, nucamentacea, tubo calycis carnoso pomaeformi prope fundum spiraliter inserta et inclusa. Sem. semper pendula. — Frutices, saepe aculeati.

XCVIII. ROSA. Petala 5, basi non maculata. Carpi-

dia ad latus stylo oppositum comosa. — Folia semper impari-pinnata.

Trib. IV. POMACEAE. Flores epigyni, ovaria infera. Carpidia 2—5, 2—∞ ovulata, verticillata, matura membranacea v. chartacea dehiscentia vel ossea indehiscentia, abortu interdum monosperma, pulpa carnosa circumdata, calyce omnino obducta et coronata. Sem. adscendentia, radicula infera. — Arbores v. frutices, saepe spinosi, foliis simplicibus v. impari-pinnatis, stipulis liberis caducis.

(XCIX.) CRATAEGUS. Carpidia 1—5 ossea, biovulata, matura 2 v. 1 sperma in pomo parvo carnoso ovali v. globoso. Discus fructum coronans contractus, parvus. — *Mespilus (germanica)* tantum differt disco dilatato fere latitudine fructus.

(C.) COTONEASTER. Characteres *Crataegi*, sed discus pomi parcius carnosi dehiscens (ut nuculae versus apicem appareant: Linné), carpidia numquam solitaria, semper monosperma. Flores (sec. Reichb.) polygami. — Cel. Bertoloni differentiam a *Mespilo* negat, sed in hac discus magnus et nuculae ubique carne succulenta circumdatae; in *Cotoneastro* nuculae omnino liberae inter se, sed calyci dorso adhaerent.

CI.) MALUS. Styli 5 basi subcoaliti. Carpidia 5 cartilaginea v. chartacea, matura disperma in pomo valde carnoso, globoso-depresso, basi intruso. — *Pyrus* differt: stylis totidem liberis et pomo clavato, turbinato v. subgloboso, sed basi haud umbilicato.

CII. SORBUS. Styli 2—5, liberi. Carpidia totidem, membranacea, tenuissima, mollia, disperma. Pomum baccans, globosum v. turbinatum. — Pedicelli ramosi, corymbum constituentes. Folia aut simplicia serrata v. pinnatisecta, aut impari-pinnata.

Trib. V. SANGUISORBEAE. Flores saepissime perigyni, ovariis semisuperis v. inferis; aut apetali saepe polygami et tetrameri — aut petaloidei 5-meri et ☿. Stam. in apetalis 4 v. pauciora; in petaloideis ∞, ante annulum faucis calycis inserta. Ovaria 1—2, rarius 4,

uniovulata, matura nucamentacea, calyce indurato inclusa. Herbae, fere semper perennes.

CIII. AGRIMONIA. Cal. turbinatus, apice spinulis uncinatis multibracteolatus, limbo 5 partito. Petala 5. Stam. 15—20 (Dodecandria: Linné). Ovaria 2, stylis totidem terminalibus, stigmatibus subbilobis. Sem. pendulum. — Flores racemoso-spicati, lutei. Folia interrupte pinnata. Genus mediante *Acaena* intime cum *Sanguisorba* connexum.

⚹ SANGUISORBA. Flores apetali, polygami, capitato-spicati. Cal. tubus 4 angularis, bracteis 3 cinctus, limbus 4 partitus. Stam. 4, laciniis limbi opposita. — *S. ingrica* Sweet Hort. brit. edit. 2. (1830) p. 193 et edit. 3 (1839) cur. G. Don p. 229 ex errore quodam nomen accepit, et ex Flora Ingrica jam in Diatr. Petr. (1845) p. 42 deleta est. An propter flores albidos *S. tenuifoliam* Fisch. coram habuit, in hortis cultam? Descriptio etiam apud G. Don desideratur. E proximis speciebus *S. officinalis* c. Mosquam, Rigam et in Esthonia occid., nec non *S. polygama* Nyl. c. mare album, Lapponia fennica et in ditione Uralensi a $62^1/_4{}^0$.

CIV. ALCHIMILLA. Cal. tubulosus, subcampanulatus, 8 fidus, laciniis alternis paulo minoribus. Petala nulla. Stam. 1—4, laciniis minoribus opposita. Ovaria 1—4. Styli totidem laterales, stigma capitellatum. Semen adscendens. — Flores in corymbis terminalibus viriduli, fauce luteoli.

XCII. SPIRAEA.

Σπιραία, σπειραία Theophrasti est frutex acrocarpicus. Cum plura non dixerit, sane ardua res erit statuere, an eadem sit ac *Spireon*, apud Plinium (21, 9) obiter memoratum, cujus folia coronamentis apta sunt, aut *Viburnum Lantana* ut Dalechamp 1587 et J. Bauhinus defendit, aut *Ligustrum vulgare* ut cel. Fraas quaerit. Id saltem certum est, *Spiraeam* Tournef. omnino aliud genus esse, in Graecia et Italia desidera-

tum (*S. ulmifolia* in Rumelia et *S. flabellata* Bertol. in Italia rarissime obveniunt). Fons generis hodierni est *Sp. salicifolia*, quam Clusius cum dubio pro *Spiraea* Theophrasti proposuit et C. Bauhinus genere distinxit. *Spiraea* Tournef. hanc et alias species fruticosas comprehendit. Species herbaceas, quas Tournefort sub generibus diversis: *Filipendula*, *Ulmaria* et *Barba caprae (Aruncus* s. *Drymopogon)* habuit, in unum *Filipendula* dictum junxit Linné 1735—48 et Haller. Tandem hoc quoque ad *Spiraeam* transtulit Linné 1753, quod aetas postera forte revocabit.

§ 1. SPIRAEA Clus. C. Bauh. Tourn. Ovaria ∞ ovulata. Discus inferne cum calycis tubo connatus, superne liber. Carpidia erecta. — Frutices foliis exstipulatis simplicibus. Flores umbellati v. corymbosi (*Chamaedryon* Seringe) aut paniculati (*Spiraria* Ser.).

⋇ *Sp. salicifolia* L. = *Sp. salicis folio* Tournef. = Frutex spicatus *foliis salignis* C. Bauh! = *Speiraea* (*Spiraea* in indice) *Theophrasti* forte: Clus. 1601 c. fig!; pl. viva e Silesia ad Clusium missa 1586. Petropoli locis nonnullis subspontanea (R. Diatr. Petr. 1845, p. 27), profuga v. superstes ex hortis; frequentissime plantatur. Flores paniculati, rosei.

§ 2. ULMARIA (Clus. Tournef.) Mönch, Cambess. = FILIPENDULA Linné, Haller. Ovaria 2-ovulata. Discus obsoletus. Carpidia rostrata, recta v. contorta. — Herbae ♃, foliis (interrupte) pinnatisectis, stipulatis, cymis terminalibus proliferis, Ceterum ovaria inter se libera, ovula pendula, flores ☿, ut in § 1.

190. *Sp. Ulmaria* L. = *Ulmaria palustris* Mönch! = *Ulmaria vulgaris* Park. Moris. = *Filipendula Ulmaria* Berg. 1750! = *Regina prati* Dodon. 1583 c. fig. ex Clusio! „folia infra inalbicant" = *Ulmaria* (a foliorum forma) Gesner 1553! (test. Haller), Clus. 1583 c. fig! et plur. patr. = *Barbula caprina prior* Trag. 1552!

Radix longa, fibrosa. Caulis 2—4 ped. aequaliter polyphyllus. Folia 3—4 juga, pinnis lateralibus ovato-lanceolatis, inaequaliter serratis, foliolo terminali majore palmato 3—5 fido. Carpidia sub 5, glabra, contorta. — Variat : α. foliis subtus niveo-tomentosis (*Sp. glauca* Schultz 1819), vel β. cano-tomentosis (*Sp. Ulmaria* Schultz), vel γ. concoloribus glabris (*Sp. denudata* Presl 1819); quaelibet harum formarum iterum varietatem *parviflorum* filamentis brevioribus enititur, quae sexus differentiam indigitare videtur.

In fruticetis et pratis humidis umbrosis ubique copiose, β. rarius. Floret fine Junii et m. Julio, rarius medio Junio et initio Aug. vel serius; medio v. fine Aug. deflorata fruct. semimaturis, saepe abortivis. ♃.

Hist. spec. Inter Ischoram Newae et Twer; flor. et fr. Aug. et Sept. (Gmel. mss. 1733, n. 71 ex syn. Clus.); passim in sylvis, praesertim ad ripas umbrosas fl. Nevae! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 78); in insula Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ins. apothecaria!, lapidea! et ubique, locis a Krasch. ind. (Sobol. Petr. 1799, p. 116, n. 327; in ed. ross. I, 1801, p. 340, n. 339 excluditur ins. lapidea); in sylvis, fruticetis et pratis humidis (Weinm. Pawl. 1824, p. 234); ubique (Turcz. 1825, n. 318); in sylvis et fruticetis arundinetisque humidis; Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 51, n. 345).

191. *Sp. Filipendula* L. = *Filipendula vulgaris* Clus. 1583! 1601 (fig. ex Lobelio) et plur. usq. ad Mönch! = *Oenanthe* (Fuchs 1542 fig. opt! Tübingae in monte austriaco copiosiss.) *Filipendula* Lobel 1576 c. fig.!; an οἰνάνθη Diosc? quae in petris nascitur = *Filipendula* Ruell. 1536! Dorsten. 1540 c. fig! Dodon. 1553 c. fig! et pl. patr.

Radix incrassata fibrosa, fibris singulis medio vel fine tuberoso-incrassatis, veluti glandes e filis numerosis pendere videantur (unde nomen). Caulis 1—1½ ped., ima basi polyphyllus. Foliorum pinnae crebrae, omnes conformes, parvae (glabrae), oblongae v. ellipticae, inciso-

pinnatifidae. Carpidia sub 15, hirta, recta. Flores albi, saepe 6 petali. — Variat alibi fl. rubicundis et pubescens.

Rarissima. In pratis ad fl. Luga (Georgi 1790, n. 310; Sobol. Petrop. 1799, p. 116, n. 328; ed. ross. I, 1801, p. 341, n. 340); in isthmo Kareliae pr. Manachtinam unico quidem loco, sed copiosam: (D. Kühlewein ex R. Diatr. Petr. 1845, p. 61); circa Pilowo pagum a. 1840, 1 (D. Simaschko ex R. Symb. 1846, p. 230). Floret versus finem Junii; fr. maturi medio Aug. ♃.

XCIII. GEUM.

Graecis antiquis radicis *Caryophyllatae* virtus et herba imo, utpote in Graecia rara, ignota fuisse videtur. *Geum* ex Plinio habet radiculas tenues, nigras, bene olentes. Gesner 1553, Turner, Matthiolus, Lobelius et Clusius in *Caryophyllata* vulgari, Romae copiose crescente, recognoverunt. Linnaeus nomen *Geum* his autoritatibus fultus, restituit et loco *Caryophyllatae* Tournef. et patrum posuit, quae nomen suum accepit ab odore radicis *Caryophyllis aromaticis* simili. Genus ipsum jam apud C. Bauhinum et imo Clusium fixum erat, sed *Sieversiam* ad Willdenowii tempus usque inclusit.

Diu tantum 2 species vulgares in Fl. Petrop. cognitae erant. Monographia cell. Fischer et Trautvetter 1837 emissa *G. macrophyllum* accessit et mox *G. strictum* praetervisum, nec non *G. intermedium*. Non inutile igitur credidi, stirpes alias nostris simillimas, quarum patria hucusque latet, in sequente clavi analytica characterum essentialium ex monographia cel. C. A. Meyer (Ind. sem. hort. Petrop. XI Supplem. 1846) desumta, obiter indicare, sperans fore ut indicia plurium jam perspecta extra dubium ponantur.

A. Calycis laciniae in flore reflexae. Styli articulus superior inferiori (rostro carpidii) distincte brevior. Carpidia piloso-hirta.

a. Receptaculum subglabrum, pilis paucissimis adspersum . . . . *G. macrophyllum.*
b. Recept. setulis brevibus densissime pubescens. Petala suborbiculata aurea :
Robustum, carpidiorum capitulum oblongum . *G. strictum.*
Gracilius, carpid. capit. subglobosum (*G. spurium*).
c. Recept. pilis longis pilosissimum. Petala oblonga calyce minora, flava. Stylus subhispidus . *G. urbanum.*

B. Calycis laciniae in flore erecto-patulae.
a. Recept. fruct. sessile v. subsessile. Folia radicalia pinnatipartita : laciniis 3 v. 5, superioribus subaequalibus; petala calyce breviora v. subbreviora.
* Petala G. rivalis. Carpidia G. urbani. . (*G. rubellum* F. et M.)
** Petala subrotunda v. obovata, basi sensim attenuata, ungue laminâ multo breviore :
Stylus hispidus. Capitula fructif. et receptaculum G. urbano subsimilia. . . . . . . (*G. brachypetalum.*)
Stylus plumoso-hirtus :
Petala subrotunda sessilia. . . . (*G. Willdenowii.*)
Petala in unguem attenuata. . . *G. intermedium.*
b. Recept. fruct. (intra calycem) longe stipitatum. Petala calyce paulo longiora v. breviora, subito in unguem lamina fere longiorem angustata.
Stylus deciduus, rostro carpidii paulo brevior. Petala rubescentia v. fulva. . . . . *G. rivale.*
Stylus persistens rostro carpidii duplo brevior. Petala alba. Calyx pallidus . . (*G. pallidum* F. et M.)

⚹ *G. macrophyllum* Willd. 1809; an *G. japonicum* Thunbg. 1784? descr. ad specc. minora quadrat (Meyer).

Species reliquis multo robustior, setis lutescentibus hirsutissima. Caulis lateralis a basi ad medium usque aphyllus. Folia radicalia interrupte lyrato-pinnatipartita : lacinia terminali maxima reniformi, lateralibus numero-

sis minoribus; fol. caulina subreniformia lobata. Petala flava, obovata, calycem aequantia, 2—$2^1/_2$ lin. Rostrum 2 lin., carpidio duplo longius, stylo hispido subquadruplo longius.

Petropoli, an ex hortis aufugum? (Fischer et Trautv. in Ind. sem. III hort. Petr. 1837, p. 36); Pargolae locis duobus in fossis ad vias parce, sed quasi sponte a. 1840 et 1843 leg. Kühlewein! et Horaninow!; in regione urbis Wiburgensi (Graff ex R. Diatr. Petrop. 1845 p. 64, 28); recentiori tempore copiosius c. Pargolam adparuit et 1848 etiam in ins. apothecaria repertum. Floret a medio Junio; initio Aug. flores ultimi cum fruct. semimaturis. ♃.

192. *G. strictum* Aiton 1789 = *G. aleppicum* Jacq. 1786 tab. 93!, recentius in Armenia jam repertum, restitutionem sui juris sperat = *G. canadense* Murray 1775 (non Jacq. 1773).

Caulis fere ab ima basi foliosus, unacum pedicellis setis lutescentibus hispidus. Folia caulina pinnatipartita, superiora ternata, infima saepe varie dissecta. Petala $3^1/_2$—4 lin. Rostrum 2 lin. carpidii longitudine, stylo hispido duplo longius. Distinctissimum a *G. urbano*: caule robustiori, pedicellis crassioribus, forma petalorum, receptaculo, capitulis fruct. ovalibus majoribus hirsutioribus, carpidiis numerosioribus etc. Variat Petropoli: β. *parviflora*, petalis 2 lin. et:

γ. *glabrescens* * caule superne cum pedicellis glabrescente, foliis et stipulis margine setoso-hispidis; fructus plene maturant; quasi passus ad *G. spurium*.

Petropoli (H. Mertens! mss. 1823 et ex Koch Deutsch. Fl. III, 1831, p. 550; vidi specc. a Mert. fil. 1823 lecta in via Pulcoviensi et in ins. lapidea, in herb. Mert. patris, ad Koch missa; conf. *G. intermedium* Turcz.); nunc minime rarum, tum locis urbi proximis ad vias, fossas et rudera, tum remotioribus v. g. Oranienbaum, Lissina (R. Diatr. Petr. 1845, p. 64); frequens quoque in tota Ingria circa pagos, v. g. Bornitzy, Dy-

litzy, Wyra, Gorodetz, circa lacum Tscheremenetz, Lotschkina, in arce urbis Gdow. Floret a medio v. fine Junii, per integrum m. Julium, rarius usque ad finem Augusti; fruct. mat. fine Aug. et Sept. ♃.

Obs. G. hispidum Fries 1817 ab ipso cel. Fries c. Petropolim indicatum 1841 et in Summa veg. Scand. 1845, p. 45, 164, est omnino species a *G. stricto* diversa; spec. in Fries Herb. norm. V, 53 exhibita habitum diversum exhibent, staturam minorem, flores pauciores, folia radic. minora, lobis obtusioribus, caulina etiam superiora pinnatisecta. (Conf. R. Petr. 1845 l. c.) Ejusmodi specimina in Ingria nondum vidi, etiam humiliora et contracta habitu a Suecicis alieno gaudent. Planta Petropolitana nullo charactere ab americano *G. stricto* differt (C. A. Meyer 1846).

⚹ *G. spurium* Fisch. et Mey. 1846 sistit stirpem verosimiliter hybridam inter *G. strictum* et *urbanum*, nam semina paucissima maturescunt et characteres inter ambas species fluctuant. Forma α. *urbano-strictum* magis ad *G. strictum* accedit, sed folia caulina media et superiora tantum tripartita sunt, interdum indivisa lobata, petala $2^1/_2$ lin., receptaculum brevius. Forma altera β. *stricto-urbanum G. urbano* similior, sed magis glabrescens, cujus indicia Petropoli adsunt, differt ab hoc: petalis rotundioribus et carpidiis, quae in utraque formà illa *G. stricti* referunt. Penitiora apud C. A. Meyer l. c.

193. *G. urbanum* Gesner 1561! L., Murray, Hayne IV, t. 33 opt! = *Geum Plinii* (Pena et Lob.) Clus. 1601 c. fig! = *Caryophyllata vulgaris* Pena et Lobel. 1570! Clus! C. Bauh! et plur. usque ad Lamck = *Cary. urbana* Gesner 1553! Scopoli = *Cary. hortensis* Fuchs 1542 fig. bona! formae parviflorae, fol. caulinis ternatis = *Caryophyllata* Brunf. 1531 c. fig! Matth. 1558 c. fig!, Dodon., Camer. 1586 fig. bona!

Radix tenuis, subodora, intus rufa, extus nuda. Caulis cum ramis gracilis, minute pubescens et molle pilosus. Folia caulina (infimis exceptis) tripartita vel (in β.

simplicifolia C. A. Meyer 1846) simplicia aut trifida. Petala 2 lin., interdum paulo majora v. in floribus serotinis minora, ut in aliis speciebus. Capitula fructifera globoso-subovata. Rostrum $2^1/_2$—3 lin. carpidio distincte et stylo hispidulo quadruplo longius.

In umbrosis viridariorum, sylvis saepe calcatis, fruticetis et sepibus, nec non in ruderatis per omnes regiones Fl. Petrop. passim copiose et alibi in Ingria v. g. Nicolskoje, Gorodetz, Lotschkina. Floret a medio Junii v. serius ad autumnum, imo initium Octobris usque; fruct. mat. initio Aug. v. serius. ♃.

Hist. spec. Ad ductum aquarum Ladogensem (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 82); in sylvis umbrosis circa fabricam pyriam Ochtensem, Strelna!, ad viam Peterhofianam et passim, Jun. (Sobol. Fl. Petrop. 1799, p. 121, n. 341; ed. ross. I, 1801, p. 356, n. 353); in locis herbosis ad sepes (Weinm. Pawl. 1824, p. 244); ubique (Turcz! 1825, n. 332); in fruticetis, sylvis et dumetis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 53, n. 360 cum 2 varr. β. *hispidum* et γ. *hirtum*, forte ad *G. strictum* et *G. intermedium* referendis; conf. Whlbg. Suec.).

⨳ *G. brachypetalum* Seringe 1824, cujus pariter indicia Petropoli (c. Kalamäkki) adsunt, habitum offert *Gei urbani* robustioris grandiflori, sed propter sepala erecto patula ad aliam sectionem pertinet. *Geo intermedio* Ehrh. (α F. et M.) omnino valde similis, sed differt petalis obovato-subrotundis, basi vix attenuatis et stylo. Petala 3 lin. calycem fere aequantia. Semina optime maturat ideoque vix hybrida species. Huc citandae essent: *Cary. sylvestris* Fuchs 1542 fig. bona! quae *C. vulgaris* flore majore C. Bauh.; Rajus 1686! Petiver H. Brit. tab. 40 f. 2 (rudis); sed forte petalis false expressis ad *G. intermedium* (α) pertinent, ut Ehrhartio et Smithio videbatur; alias ex calyce reflexo *G. spurium* indicarent.

194. *G. intermedium* Ehrh. 1791 et coll. pl. exs. ex Hanover; Hayne! IV, 1816, tab. 34, figg. cum *; Hor-

nemann 1827 in Fl. Dan. tab. 1874! (sed stylus usque ad apicem plumosus).

Caulis pubescenti-pilosus. Folia radicalia simplicia, 3-v. pinnatipartita: laciniis paucis, superioribus 3 v. 5 subaequalibus. Fol. caulina 3-partita v. 3-fida. Flores declinati. Calycis laciniae patulae. Petala flava v. subtus purpurascentia, obovata, basi distincte attenuata, calyce breviora vel ei aequilonga. Receptaculum sessile v. subsessile, pilosissimum. Carpidia numerosa hirta, in capitulum subglobosum congesta. Rostrum carpidio duplo —, stylo plumoso hirto superne nudo 3—4-plo longius. (Mey. l. c.) — Species protea, forsan hybrida vel adhuc collectiva. Cel. Meyer l. c. distinguit α. *brachypogon* (*Ehrhartianum* typicum) habitu *G. urbani*, petalis 3 lin., stylis plumoso-hirtis, brevibus, in flore rostrum subaequantibus; β. *dolichopogon* (*G. intermedium* Fl. Dan. l. c. Fries herb. norm. VI, 50) habitu *G. rivalis*, caule robustiori pedunculis brevioribus, sepalis majoribus, floribus magis nutantibus, petalis 4 lin., stylis dense plumosis 1—2 lin. in flore rostrum distincte excedentibus. Adsunt tamen specc. inter α et β. media. Smith in Fl. Angl. 1800 primum sub *G. urbano* β., alterum sub *G. rivali* β. distinxit.

Hucusque tantum in ditione Fl. Petrop. rarissime repertum, locis generatim *G. rivali* convenientibus, sed non semper in consortio ejus, saltem numquam aliarum specierum, unde hybriditas difficilius explicatu. Majori copia recentissime c. Gatschinam a D. Borszczow reperta specc. medio Junii florentia partim et deflorata satis conformia multo magis ad β, quam ad α referenda sunt, quamvis petala rarius 4 lin., saepius 3—3$^1/_2$ lin. et stylus tantum 1 lin., minus dense plumosus sese exhibeat; flores in vivo obs. D. Borszczow patentes, nec campanulati ut in *G. rivali*, petala saturate flava, dein fulva; pedunculi et caules superne villoso-pubescentes eglandulosi. Ab his parum modo diversum specimen in Symb. meis 1846, p. 232 memoratum e Bablowa, 9 Junii c. flor. primis, petalis flavis 4 lin. obovatis, in unguem sensim! attenuatis, caule tantum pubescente, nec piloso,

apice glanduloso, ita ut, petalorum forma excepta, adhuc magis *G. rivale* assimulet. Tertium in Diatr. Petr. 1845 p. 64 exhibitum specimen e via Peterhofiana (a D. Horaninow) differt a praecc. calycibus magnis, petalis 5 lin. pallidius flavis extus rubentibus; caule apice glanduloso cum priori convenit, a *G. rivali* vero capitulis fructificantibus sessilibus, stylo 1 lin. pilosulo superne nudo et petalis obovatis in unguem sensim angustatis conspicue differt. Specc. e Gatschina simillima sunt iconi *G. intermedii* Willd., sed petalis abrupte in unguem contractis diversa. Icon in Fl. Danica cit. excepto colore florum et stylo melius convenit. Specc. in Fries herb. norm. VI, 50 ab omnibus nostris differunt petalis angustioribus, fol. caulinis integris v. tantum lobatis. *G. intermedium* Petrop. in herb. D. Kühlewein asservatum in Diatr. cit. nunc ad manus non est, an α *Ehrhartianum?*; *G. intermedium* Turcz. Petrop. 1825 n. 334 ex spec. orig. est *G. strictum* (sive *G. intermedium* M. Bieb. et Besser). Ad *G. intermedium* forte pertinet *G. rivale* β. caule altiore, floribus flavis Weinm. Pawl. 1824, p. 244.

Obs. G. Willdenowii Fisch. et Mey. 1846 = *G. intermedium* Willd. Hort. Berol. 1816 tab. 69, quod distinctum ab *Ehrhartiano* proposuit, videtur hybridum inter *G. strictum* et *G. rivale*, ideoque in Ingria indagandum est. Ab omni *G. intermedio* differt petalis obovato-subrotundis sessilibus.

195. *G. rivale* Gesner 1561! L. = *Cary. montana* I Clus. 1583 fig. opt.! = *Cary. aquatica* Gesner 1553 (fide Haller), Camer. 1586 c. fig! = *Benedicta sylvestris* Trag. 1532! e sylva mont. Gegenbacensi supra Offenburg oppidum.

Rhizoma digitum crassum, longum, inodorum, fusco-brunneum squamosum et cicatricosum. Caulis pilosus, superne glandulosus. Folia radic. interrupte lyrato-pinnatipartita: lacinia terminali maxima vel 3—5 majoribus, subaequalibus; fol. caul. tripartita v. ternata. Flores nutantes campanulati. Petala purpurascentia hinc inde pal-

lide fulva, calyce atropurpureo paulo v. vix breviora, 3—4 lin., lamina subreniformis. Receptac. pilosissimum. Carpidia fere 2 lin. piloso-hirta in capitulum subovatum congesta. Rostrum basi hirtum, carpidio duplo —, stylo ad apicem usque plumoso $1\frac{1}{2}$ longius. — Monstrositas frequens sepalis foliiformibus, petalis 5 v. ∞ refert *G. aquaticum Gesneri* Clus. 1583 fig. opt! = *G. rivale* β. Linné = *G. hybridum* Wulfen in Jacq. 1781; Jacq. Icon. pl. rar. tab. 94!

Ad ripas et fossas, in pratis humidis, subsylvaticis, praecipue in regione demissa Fl. Petrop. ubique copiosissime usque ad ostia fl. Luga. Floret a medio v. fine Maji ad medium Junii, rarius m. Julio; fruct. mat. a fine Junii v. serius. ♃.

Hist. spec. In palustribus locis circa Duderhov! Junio m. sed rarius (Amman mss. 1736, n. 84 ex syn. Bauh. utrq.); in palustribus frequens (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 82; Krasch. praetervidit); in pratis humidis et ripis Newae fluvii! in insulis apothecaria!, lapidea!, Camenoy Nos et ad ductus aquarum passim, Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 121, n. 342; in ed. ross. I, 1801, p. 358, n. 354 excluditur loc. Camennoy Nos); in pratis et fruticetis humidis, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 244 cum varr. β. caule altiore fl. flavis — an *G. intermedium* β? et γ. flor. proliferis); ubique (Turcz.! 1825, n. 333); in pratis, sylvis, fruticetisque humidis, Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 53, n. 359).

XCIV. POTENTILLA.

Nomen aevo medio obtinuit ab eximiis viribus herbae potentis; apud Brunfels et plures patres *P. Anserinam* designabat, apud Simonem Januensem 1498 vero *Tormentillam*. Linnaeus genus *Potentilla* e Tournefortianis: *Quinquefolia* et *Pentaphylloide* composuit, recentiores addunt *Tormentillam* Tournef. et Linnaei. C. Bauhino *Potentilla*, *Quinquefolium* et *Tormentilla* genera diversa erant. *Potentilla* et *Tormentilla* Romanis

vocabula ignota erant. *Quinquefolium* vero, scribit Plinius ex Theophrasto, nulli ignotum est; Graeci vocant *Pentapetes*, sive *Chamaezelon*, sive *Pentaphyllon.* Πεντάφυλλον apud Theophrastum, Dioscoridem et Cassianum Bassum ex descriptione adhuc clarius in *P. reptantem* L. quadrat; Theophrastus etiam πενταπετές appellari docet. Πεντάφυλλον Hippocratis duplex, album et nigrum; hoc pro *P. reptante* sumunt, Fraas pro *P. hirta;* quid vero *album* sit, non satis constat.

§. 1. TORMENTILLA. Flores alares, 4—5 meri.

196. *P. Tormentilla* (Scop. 1772) Schrank 1789! Sibth. 1794 = *Torm. erecta* L. (saepius decumbit) = *Torm. sylvestris* C. Bauh. 1623 et herb.! Tournef. Linné 1737! = *Heptaphyllon* Ruell. 1537! s. *Heptaphyllum* Fuchs 1542 fig. bona! Gesner et al. = *Tormentilla* Brunf. 1530 fig. bona! et plurr. patr. ante C. Bauh. — Planta jam aevo medio cognita, *Heptaphyllon* s. *Tormentilla* dicta, quod pulvis radicis dentium tormentum placat; vide Hermolaum Barbarum, Simon. Januensem et Manardum.

Flores 4-meri, rarius 5-meri; petala $1^1/_2$—2 lin. Caules subadscendentes, ramosi. Folia caulina sessilia ternata. Stipulae digitato-incisae. Carpidia laevia, maturissima lineis elevatis tenuissimis symmetrice striato-rugulosa. — Variat β. robustior, caulibus duplo crassioribus, ramis divergentibus, foliolis latioribus oblongo-obovatis, bracteolis fere longitudine sepalorum: *T. divergens* Rchb. exsicc. n. 2248! sed specimina adsunt intermedia. Videtur: *T. alpina* Pers. et Camerarii 1588! e montibus Tyrolensibus, radice multo majore odoratiore et rubicundiore, quam *T. vulgaris*, figuras radicis exhibuit Camer. 1586. — γ. foliis etiam superioribus petiolatis, petiolis 2—3 lin., stipulis minoribus, parcius incisis. *P. procumbens* Sibth. = *T. reptans* L. ab hac var. differt floribus plerumque duplo majoribus, stipulis angustioribus, folio-

lis brevioribus obovatis, argute et profundius incisis, sericeo-hirsutis.

In ericetis, pratis sterilibus subhumidis muscosis, ad margines sylvarum, ubique copiosissime; γ. Petropoli rarissime. Floret a fine Maji v. medio Junio ad Aug. et rarius usque ad finem Sept.; fruct. mat. a fine Junii v. serius. ♃.

Hist. spec. Ubique inter Petrop. et Twer, flor. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 41 ex syn. C. Bauh.); in sylvis ad arborum radices fl. et fr. Jul. Aug. (Amman mss. 1735, n. 57 ex syn. Dodon. et Bauhinorum); pratis delectatur; in sylvis, nisi loca aprica sint, occurrit nusquam; fl. sub finem Maji (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 81 s. *Torm. erecta* L. ut omnes seqq; — „saepissime occurrit caulibus declinatis; corollis 4 petalis hic invenitur rarius quam 5 petalis"); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis apricis sylvosis satis copiose: uti in regione Wiburgensi ultra nosocomia, circa coemeterium St. Johannis, in ins. apothecaria! et passim, Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 120, n. 340); et ad m. Poclonnaja atque in insulis Newae! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 355, n. 352); in graminosis, ad margines sylvarum et in pascuis vulgaris, fl. Jun. ad Aug. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 29, tab. X); in sylvis, fruticetis, pascuis sterilibus sat frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 244); ubique (Turcz! 1825, n. 331); in ericetis, pascuis sterilibus, graminosis ubique, Jun. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 53, n. 357).

(197.) *P. reptans* L. = *Quinquefolium majus repens* C. Bauh. 1623! et eo teste: *Pentaphyllon repens* Camer. 1588; etiam apud J. Bauh. et Tourn. *repens* audit = *P—on Dioscoridis* Tabern. 1590 c. fig! = *P—m vulgare* (Trag. 1552!), Lobel. 1576 c. fig! = *Q—m majus luteum* Fuchs 1542 fig. opt! = *P—m minus* Brunf. (fide C. Bauh.) Synn. Graecorum et Roman. conf. supra, p. 314.

Flores 5-meri (rarius ex Fries 4-meri); petala 3 lin.

Caules flagelliformes prostrati, simplices ad genicula singula 2—∞ phylli. Folia petiolata, quinata, subpedata. Stipulae ovatae v. oblongae, integrae. Carpidia granulata. — Formae tetramerae similis est *P. procumbens* Sibth., quae autem differt: foliis ad genicula solitariis et carpidiis striato-rugosis. Similior adhuc *P. mixta* Nolte, iisdem notis et caulibus ramosis, foliolis minoribus densius pubescentibus recedit.

Frequentissime circa lacum Tscheremenetz, ad ripas, vias et fossas; copiose quoque in ripis arenosis fl. Luga ab urbe Luga ad Jamburg usque (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 222); in ditione Fl. Petrop. semel tantum specimen sterile ad ostia Newae in rudera advectum recentiori tempore adparuit. Ceterum olim, errore, indicata fuit: ad ductus aquarum cum *P. argentea* non infrequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 81; inspecto Ind. mss. 1749, n. 117 mihi videtur, Krascheninnikowio sub oculis fuisse *P. intermediam*, tunc in scriptis botanicis nondum obviam; dicit „petala calyce breviora, vix emarginata"); ad ductus aquarum circa viam Peterhofianam frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 120, n. 338; ed. ross. I, 1801, p. 353, n. 350; jam H. Mertensio in mss. 1823 aenigma fuit); Ingria (Georgi 1800, p. 1037, n. 18); in locis apricis et ad vias copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 243; potius *P. Anserina*, quae l. c. omissa est et 1837 loco illius posita). Initio et medio Julii partim florens, partim deflorata, fruct. nonnullis maturis. ♃.

§. 2. QUINQUEFOLIUM = PENTAPHYLLUM. Flores subcorymbosi, 5-meri, lutei.

* Caules laterales subscaposi ex radice ♃, multicipite. Folia radicalia quinato-digitata.

198. *P. verna* Linné Fl. Suec. ed. II 1755 (prius cum *P. aurea* et *opaca* confudit), Wahlenbg. Fl. Lapp. Carpath! Upsal. Rupr. Petr. p. 61 ubi plena restitutio et

defensio nom. Linn. = *P. salisburgensis* Haenke in Jacq. 1788 et ic. rar. pl. tab. 490! specim. vegetum grandifolium opt! in descr. petala ungue concolore; rara in alpib. Kartal et Geschlös = *P. maculata* Pourret 1788 (fide Lehm.) = *Fragaria villosa* Crantz 1769, tab. 1, fig. 2 (mediocris) ex alpib. Austr. ad pedem m. Geflötz, in ascensu m. Waxriegel et in Schneeleiten; locis recentius verific. a D. Neilreich = *Q—m minus repens aureum* J. J. Scheuchzer 1723 „petala aurea ad ungues crocea." in descr. egregia (fide Crantz).

Planta ex planitie Germaniae et Galliae, quam omnes auctores pro *P. verna* sibi habent, est species ab hac omnino diversa, in Rchb. Fl. germ. exs. n. 2074 et Fries Hb. norm. IV, 66 ex Oelandia exhibita, sec. Lehmann dicenda: *P. minor* Gilib. (*P—m* s. *Q—m minus* Tabern. 1590 c. fig.). Jam Sieber in herb. Fl. Aust. n. 160 *P. vernam* Linnaei in *P. salisburgensi* Hänke recognovit et Wahlenberg 1812—20 idem docuit. Verba Linnaei ipsa hoc evidentissime confirmant: „radix inferne latis squamis ferrugineis! vestita; caules multi decumbentes, non repentes, adscendentes!, purpurascentes! vix manifeste pilis adspersi; stipulae latae!; planta adultior fere glabra! evadit"; loci natales idem probant „in alpibus Lapponiae et Helvetiae vulgaris" porro „in Europae pascuis siccis frigidioribus"; porro synonymum Fl. Lapponicae, ubi nulla *P. verna* Fl. Germ. adest, sed *P. salisburgensis*, quae etiam (nec illa) circa Holmiam! et Upsaliam (Hb. norm. Suec. III, 47!) crescit.

P. verna nostra a *P. minori* jam primo aspectu virore laetiori cognoscitur, tota planta etiam glabrior adparet, quia pili molliores sunt. Caules fere semper purpurascunt et dense pubescunt, sed numquam pilis longis adpressis vestiti sunt. Folia supra vel glabra sunt vel pilis longis mollissimis tecta, sed nequaquam pilis brevibus densis obsiti. Stipulae omnes, etiam radicales ovatae, obtusissimae breviores. Flores quidpiam majores, evidentius aurei coloris, ungue macula crocea. Rhizoma valde characteristicum, magnum, longum, ex collo largo di-

stiche scapos floriferos plures emittens, e stipulis residuis nigrum, mundum, ad collum vero fusco-spadiceum. Rhizoma *P. minoris* plane aliud, distincte characterem radicis habet. Specimina Ingrica omnia a *P. sabauda* Vill. Dec. (*P. rubente* Vill.) aliena sunt, licet plerumque non tam vegeta, quam in planta a Jacq. t. 490 depicta; nonnulla referunt var. *minorem:* foliis parvis breve petiolatis, floribus interdum minoribus, petalis vix 2 lin.

In pratis plerumque apricis, elevatis, declivibus, non raro turfosis vel in graminosis siccioribus, substrato calcareo systematis silurici inferioris, hinc inde copiose, a Narwa, Jamburg et Tschirkowitzi ad Petropolin usque, ubi non raro e regione elevata v. g. Duderowo (R. Petr. 1845 p. 16, 61), Gorelowo, Koirowa, secus fluv. Strjelka et Ligowka in reg. subdemissam aberrat. Floret fine Maji et initio Junii; flores vespere clauduntur; fructus mox perficiuntur et decidunt. ♃.

Observ. 1. *P. verna* Auct. Fl. Germ. sive *P. minor* Gilib. pro Ingria nondum satis constat. Unicum quidem specimen ex Fl. Petrop. olim a D. Nippa asservatum vidi in Hb. Kühlewein (conf. R. Diatr. Petr. 1845 p. 62), sed locus specialior non adscriptus erat. Haec species ceterum indicata: in collibus graminosis siccis prope Gatschinam, Majo flor. (Weinm. Pawl. 1824, p. 243) ubi tantum anno 1828, nec posthac reperta (Weinm. in Linnaea 1836, p. 222); porro in pascuis elevatis siccis pr. Koirowam; Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 53, n. 356 teste cit. Sturm Fl. Deutschl.), sed in loco saltem altero tantum *P. salisburgensis* var. parvifolia micrantha! crescit (Borszczow).

Obs. 2. *P. aurea* L. prope Goreloi Kabak cum *Primula farinosa* (Turcz. 1825, n. 328) certe erronea (R. Petr. 1845, p. 61) et teste spec. ex loco hoc in herb. Turcz. est *P. salisburgensis.* Ad hanc vulgo *P. aurea* Engl. Bot. et Fl. Dan. t. 114 citatur, sed specc. a Borrer et Hornemann e Britannia et Groenlandia, ad *P. sabaudam* Vill. Dec. pertinent.

Obs. 3. *P. opaca* Petropoli indicata in Longmire Catal. 1824, p. 194 pariter erroneis adscribenda.

Obs. 4. *P. patula* W. et Kit. ex Elisabethengrund pr. Petropolin (Koch Fl. Deutsch. III, 1831, p. 527, et ex hoc fonte in Ledeb. Fl. Ross.), teste schedula cum planta ipsa in Herb. Mertens asservata, ad Kochium olim missa et iterum remissa, vera quidem est, sed ex „Elisabethgrad" (in Rossia merid.) a Boschniak lecta, ut jam in Diatr. Petrop. 1845, p. 63 suspicatus sum.

** Caules terminales foliosi ex radice ♃ multicipite. Folia 3-5-7-nato-digitata, vix pinnatisecta. — Formae quaedam *P. intermediae* transitum faciunt ad sect. seq.

199 *P. Goldbachi* Rupr. Diatr. Petrop. 1845, p. 63, 62 s. *P. elongata Goldbachii* * plene exposita = *P. intermedia* γ. *elongata* Seringe in Decand. 1825 (fide syn. Goldb.) = *P. elongata* Goldbach in Flora 1820 Beil. p. 20 solum nomen, fide specim. 1820 ad M. Bieberstein missi, Mosquae in umbrosis collium m. Majo flor.; non *P. elongata* Besser ined.? (e Podolia), quae teste Sprengel 1827 eadem ac *P. virgata* Lehm. 1820.

Rhizoma *P. vernae* praecedentis, sed 2—3 plo crassius. Caules suberecti vel basi parum adscendentes rubri, a medio dichotome et erecto ramosi. Stipulae inferiores lanceolatae acuminatae, superiores ovali-ellipticae, integerrimae, rarius bidentatae. Folia radicalia et caulina media 5-, rarius 7-nato-digitatis, superiora ternata. Petioli, caulis et pedunculi cum calyce pilis longis divaricatis densis. Foliola subtus pallidiora, pilosa, margine inciso-dentata, dentibus erecto-patentibus vel conniventibus. Petala 3 lin. sepalis distincte longiora. Carpidia $1/_2$ lin., matura rugulosissima. Ludit: α *elongata*, typica, pedalis et major; et β *humilior*. Vidi ex Holmia a cel. Fries miss. (R. Symb. 1846, p. 230), e Sibir. occ. Omsk et ex Iberia (in Hb. M. Bieb.). Varietas insignior est:

γ. *tomentosa*. Caulis vix pedalis, apice tantum ra-

mosus. Foliola 5-v. 7-nata, subtus piloso sericea et densissime pubescenti-tomentosa. Petala 2 lin. crocea, sepalis paulo tantum longiora. Carpidia paulo minora, quam in typica. Ex nullo adhuc alio loco Rossiae vidi.

Petropoli rara quidem, sed certe indigena est, jam a Kastalsky et recentius a D. Karpinsky inventa (R. Diatr. Petr. 1845 p. 62); in vicinitate proxima urbis in pratis siccioribus cum *P. intermedia*, initio et medio Junii cum flor. et fruct. mat. (Kühlewein!); etiam ad fl. Tossna sed alio loco, quam γ. Var. γ. rara in apricis montis Pulcowo 19 Jun. deflorata; copiosior in ripa declivi aprica siccissima fl. Tossna pr. Turowo, initio Junii, rarius fine Maji floribus primis (Borszczow! Conf. Bullet. Acad. 1854, p. 213 s. n. *P. Goldbachi*). ♃.

Obs. *P. Goldbachi* inter Ingricas tantum formis minoribus, paucifloris et microphyllis *P. intermediae* β. interdum similis est, sed inter alia differt: floribus majoribus, croceis, pilis horizontalibus, etiam in apice caulis non erecto-patulis aut adpressis, praecipue habitu gracili; foliolum intermedium numquam trifidum. Inter extraneas certe proxima est *P. thuringiaca* Bernh. in Link 1822 (*P. adscendens* Wolff ex Rchb. et ex spec. 1805 culto a Wolff ipso!) et a cel. Meyer (Fl. Wjatka 1848 p. 56 n. 289) conjungitur; specimina quae examinavi thuringiaca spontanea (e Suhl) habitu quodam peculiari a *P. Goldbachi* recedunt, foliis radic. magnis, omnibus regulariter 7-natis, subtus concoloribus, serratura foliolorum et stipulis latioribus, crebrius dentatis; an forte culturâ in illam transeat, vix dicam. — *P. Nestleriana* Tratt. 1824 (*P. intermedia* Nestler 1816, tab. 8 fallax, Schleich! Seringe! Koch ed. 1) sec. specc. helvetica et culta differt a *P. Goldbachi:* caule proceriori pallido, fol. majoribus, subtus concoloribus, fere semper 7-natis, calyce fructifero majori, praecipue vero serraturis etiam fol. supremorum profundioribus, arcuatis, patentibus vel divaricatis. — *P. chrysantha* Trevir. 1818 sec. specc. ex horto Wratislawiensi ante 1822 accepta, pariter aliena est habitu robustiori, caulibus pallidis, a medio patenter

diramificatis, paucifoliis vel fere aphyllis scapiformibus, fol. rad. maximis, longe petiolatis, foliolis etiam fol. supremorum dense et acute insiso-serratis, (non linearibus, sed) ellipticis, pedicellis inferioribus longissimis, floribus majoribus, petalis 4 lin. — *P. incisa* Desf. 1804, quam antea pro specie forte homonyma e descr. habui, ex icone apud Nestler omnino alia ac *P. Goldbachi*, fere *P. patula* W. K., caulibus scapiformibus, fol. caulinis parvis ternatis *P. vernae*.

200. *P. argentea* L. = *Q—m folio argenteo* C. Bauh. 1623 et herb! = *Q—m minus* Camer. 1588 fig. opt! = *P—on canum polyschisum* Thal. 1588! „fol. supra nigricantiora, subtus cana“ = *P—on alterum exiguum* Trag. 1552!

Caules cum pedunculis et calycibus albo-tomentosi. Folia quinato-digitata; foliola supra sordide virentia, subtus nivea, acute pectinato-incisa, laciniis margine revolutis. Petala $1\frac{1}{2}$ lin. calycem subaequantia. — Variat floribus sulfureis (cop. circa Arbonje), fol. rad. 7-natis (var. *septemsecta* Meyer Fl. Hanov. excurs.); foliolis bis laciniatis (γ. *dissecta* Wallr. 1822), latioribus v. angustioribus; porro:

β. *P. incanescens* Opiz! ex Rchb. 1832 = *P. impolita* Rchb., an Whlbg. 1814? non Koch. Folia caulina supra incana, subtus nivea, anguste laciniata.

γ. *serotina* * = *P. inclinata var.* e Perecop M. Bieb. Suppl. Fl. T. Cauc. 1819, p. 357, n. 1001! ex spec. origin. = *P. argentea* β. *virescens* Hartm.? (at non Whlbg.). Foliola subtus sordide cinereo-tomentosa, minus profunde incisa, dentibus paucioribus, margine vix semper revolutis. Petala saepe saturatiora, 2 lin.

In siccis, apricis, declivibus, lapidosis praecipue calcareis, ad margines viarum, in arenosis, ubique copiosissime. Floret et fruct. a medio vel fine, rarius initio Junii ad Julium, rarius usque ad finem Augusti; β. hinc inde: Narwa, Jamburg, Pargolowo (Wiburg, Imatra), fine

Junii et serius fl. et fr.; γ. in arenosis: Goroshanka, Schlüsselburg, fine Jul. et init. Aug. fl. et fr. ♃.

Hist. spec. A Petropoli usque ad Bronitz ubique, flor. Aug. (Gmel. mss. 1733, n. 42 ex syn. C. Bauh.); circa Duderhof et Krasno Selo (Amman mss. post 1736 s. n. *Pentaphyllum subtus canum; —* videtur *P. argentea*); ad ductus aquarum non infrequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 81); in montosis siccis sabulosis, in monte Poclonnaja! Pulcowa! et in insula lapidea, Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 119, n. 337), etiam Pargelovii! et Strelinae (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 352, n. 346 excl. ins. lapid.); ad margines agrorum viarumque et in ruderatis copiose, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 243); ubique (Turcz. 1825, n. 327); in locis graminosis siccis sterilibus apricisque, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837; p. 53, n. 355).

201. *P. intermedia* Linné Mant. I (1767) excl. synn. et patria; Wahlenb. 1814! α; Fries Hb. norm. VII, 51 planta Linnaei ex horto Upsal. spontanea; Rupr. Diatr. p. 63 (tota species c. varr.).

Media inter *P. argenteam* et *norvegicam;* verbo, esset *P. norvegica*, si non radix esset perennis et folia subradicalia quinata (Linné). Caulis, pedunculi et calyces molle et adpresse puberuli v. pilosiusculi, nec divaricato hirsuti vel fere hispidi ut in *P. norvegica*, quae numquam folia quinato-digitata habet, in reliquis vero exacte convenit, excepta forte radice. Formas varias Petropoli obvias in 3 principales dispesco.

α. *typica* = *P. virescens* Fries: foliis tenuioribus, subtus concoloribus, glabrescentibus vel sparse pubescentibus; corymbo largo, ramosissimo. Habitus *P. norvegicae* elatioris, cui saepe radice subsimplici et foliolo intermedio trisecto convenit.

β. *canescens* = *P. intermedia* β. Whlbg. 1814 = *P. intermedia* Presl 1819! (transitus ad α, etiam Petrop. obvius!) ex spec. auct. 1820 ad Mertens misso = *P. canescens* Lej. 1824, an Besser? = *P. inclinata* (vix

Vill.) Auct. plurr. Koch, Ledeb. potissimum. Habitus magis *P. argenteae*, sed nusquam albo-tomentosa; caulis purpurascens; corymbus modice ramosus, interdum depauperatus; folia firmiora, foliola profundius incisa, margine revoluta, serraturis apice fere semper sphacelatis, supra sericeo pubescentia, subtus discoloria, tenuiter cano-pubescenti-tomentosa et ad nervos prominentes subsericeo-pilosa. Haec ut α. ludit pinnatifido-digitata: foliolo intermedio trisecto; aliquando etiam laciniosa: serraturis profundioribus, iterum incisis.

γ. *composita* Rupr. Diatr. 1845 p. 63. Caulis florifer facie var. α, sed debilior et humilior, folia minora plerumque ternata pinnatisecta, firmiora, subtus magis pubescentia. Folia rosularum sterilium facie *P. umbrosae* Stev., longe petiolata 3- v. 5-nato digitata; foliolis obscure viridibus, concoloribus, utrinque pubescentibus, oculo nudo tamen subglabris, late ovalibus, intermedio longe petiolulato; serraturis paucis, non profundis. Transitus fere adsunt in var. β.

Petropoli, in siccis, graminosis, ruderatis et ad vias fere ubique (R. Petrop. 1845, p. 63), saepe in societate *P. norvegicae* β. et *argenteae;* floret a fine, rarius medio Junii ad finem Julii v. init. Aug.; α. in ruderibus, nec non pratis laetioribus insularum Newae fl., rarius quam β. quae magis in siccis, apricis, collibus, campis sterilibus omnium reg. Fl. Petrop., sed plerumque parce et alibi in Ingria raro: Gorodetz; γ. in regione demissa cis et trans Newam, floret in serum autumnum usque, optimam legit D. Graff (R. Petr. 1845, p. 64). ♃.

Obs. P. inclinata Vill. Petropoli indicata (Blum ex Ledeb. Fl. Ross. II, 1843, p. 47) haud erit planta a Villars tab. 45 depicta e Delphinatu, sed potius *P. intermedia* β. *canescens*, propter *P. canescentem* Besser vulgo citatam, potissimum foliis caulinis 6 ab icone Villarsii diversam (Conf. R. Diatr. 1845 p. 63). *P. canescens* Besser, cujus specimen authenticum spontaneum a. 1815 ad M. Bieberstein missum vidi, descripta fuit 1809 ad plantam Leopoli Galiciae indigenam, certe

proximam *P. intermediae* β., at facile specie diversam: foliolis fol. caul. linearibus, dentibus profundioribus patentibus, calycibus hirsutioribus fere adpresse strigosis et forte floribus majoribus; a *P. recta* Jacq. tab. 383 suam *P. canescentem* specie distinxit et differentiae adlatae specimini viso conveniunt, excepto indumento calycis et? seminibus laevibus, charactere ceterum in *Potentillis* multis fallaci, ut cel. Meyer 1848 docuit; in Enum. pl. Volhyn. 1822 p. 100 *P. canescentem* suam subscribit *P. intermediae* Willd., cujus pariter specimen Willd. 1804 ad M. Bieberstein missum vidi, quod exacte cum Besseriano congruit, sed ab omnibus formis *P. intermediae* β. Ingricis, hucusque mihi notis differt.

*** Caulis terminalis, ad basin plerumque sine rosulis sterilibus, ex radice ⊙, rarius ⚲. Folia ternata v. pinnatisecta, vix quinato-digitata. — Conf. R. Diatr. Petr. p. 63, quae contra distinctionem acephalarum *Potentillarum* et multicipitum dicta sunt.

202. *P. norvegica* L. = *Trifolium norvegicum* etc. Kylling 1673, ad fodinam cupream Roerosiensem, c. icone (fide Linn.).

Caules erecti cum petiolis, pedunculis et calycibus strigoso-hirsuti. Folia ternata (Linné). Pedunculi semper stricte erecti. Calyx petala $1^1/_2$ lin. pallide lutea subsuperans, fructifer valde auctus. — Non parum ludit statura, foliorum magnitudine, foliolis longioribus v. brevioribus, oblongo-linearibus vel late ovalibus, pl. min. profunde incisis, serraturis latioribus vel angustioribus; rarissime folia quaedam subsunt quinato-digitata vel exacte pinnata, bijuga. Frequentius occurit:

β. fol. pinnatisectis: *P. ruthenica* Willd. 1799! „foliola 2 superiora sessilia, basi decurrentia, 2 inferiora breve petiolata“; haec in horto culta ♂ et constans, primo anno tantum rosulam radicalem enititur. Specc. ⊙,

quantum scio, *P. norvegicam* typicam fol. ternatis exhibuerunt; an hic 2 species diversae latent? Interdum pedunculi non ex axillis, sed supra egrediuntur, et folia simul cum serraturis obtusiora sunt: *P. monspeliensis* L. (Morison 1680 tab. 20 f. 2 e Canada).

In cultis, ruderibus, arvis, ad pagos et vias, saltem in ditione Fl. Petrop. ubique copiose; floret ab initio Junii vel serius usque ad init. Sept.; fructus cito maturant, ut in plerisque *Potentillis*. ⊙, ⚨.

Hist. spec. In sylva prope hortum Palatii Sarscoje-Selo (Falk ex Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764); in ins. Kronstadt (Georgi Mss. 1795); in sylvis prope Sarscoje Selo, Pargelovii!, in Murina et Ossinova-Roscza, tum Petropoli! in hortis oleraceis et ruderatis (Sobol. Petr. 1799, p. 120, n. 339) et in insulis! Newae fl. (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 354, n. 351); in cultis et ad margines agrorum (Weinm. Pawl. 1824, p. 243); ubique (Turcz. 1825, n. 329); in locis cultis, ruderatis, non rara, Jun. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 53, n. 358).

203. *P. supina* L. = *P—m supinum* (*Tormentillae* facie) Lobel 1576 c. fig! ex horto Coldenbergii; Clusius 1583! freq. in agro Vindob.

Pedunculi alares v. axillares, inferiores remoti, fructiferi recurvati. Petala vix 1 lin. sepala subaequantia. Folia pinnata, 3—4 juga; foliola ovalia v. oblonga, inciso-serrata, superiora decurrentia. Decumbens v. diffusa, ramosissima, glabrescens. Variat pygmaea, suberecta, dense pubescens.

In insula Kronstadt (Prescott ex Turczan.! 1825, n. 330 vidi specim. Turcz. minutum, pubescens); ibidem in ruderatis urbis 1844 non parce; alio etiam loco prope Petrop. specimen sesquipollicare inv. D. Horaninow (R. Diatr. Petrop. 1845 p. 64); posthac in urbe Kronstadt destructione periit 1852, sed extra moenia et ad ostium Newae in ruderibus 1848 — 9 parce iterum

lecta est (Kubarkin, Kühlewein in litt.). M. Augusto florib. ultimis et fr. mat. ⊙, rarius ⊙.

§. 3. ARGENTINA. Flores alares, 5-meri, lutei. Folia interrupte pinnatisecta.

204. *P. Anserina* L. = *Anserina, Argentaria* Tabern. 1590 c. fig! = *Potentilla Fuchsii* Clus. 1583 in descr! = *Argentina, Potentilla* Lobel. 1581 c. fig! = *Anserina Tragi* Lobel. 1576 c. fig! Clus! „herba anseribus voluptati est, ex quo nomen germanicum sortita" Brunf. = *Argentina* Ruell. 1537, Dodon. 1553 c. fig! = *Potentilla* Brunf. 1536 fig. bona! Fuchs et plur. patr.

Caules floriferi repentes, flagelliformes. Petala 2—4 lin. calyce duplo longiora, sepalis exterioribus inciso-laciniatis. Folia multijuga; foliola argute serrata, supra viridia, subtus albo-sericea. Variat in siccioribus argillosis *argentea* (Linné): fol. utrinque albo-sericeis; in humidioribus *viridis* (Koch): fol. utrinque viridibus, interdum glabris.

Ad vias, fossas, in pascuis, plateis et ruderibus, ubique copiosissime. Floret a fine Maji v. initio Junii usque ad init. Sept. Flores solstitiales expanduntur inter h. 7 et 8 matutinam et aperti manent saltem ad h. 5; $7^1/_2$ h. vespere et sub imbribus omnes clausi. ♃.

Hist. spec. Ubique inter Petrop. et Twer, fl. Aug. Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 44 ex syn. Tournef.); in pratis et ad vias nihil frequentius est (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 81; Sobol. Petrop. 1799, p. 119, n. 336); in ins. Kronstadt! (Georgi Mss. 1795); ad ripas Newae! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 351, n. 348); ubique (Turcz. 1825, n. 326); ubique ad vias, fossas et in locis desertis, Majo ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 53, n. 354).

XCV. (PSEUDO-) COMARUM.

Heptaphyllon Tragi 1552! (non Ruell. et Fuchs) ut genus proprium a *Potentilla* et *Fragaria* diversum constituit Linné et ex a. 1737 sub nomine *Comarum* introduxit, ut ipse fatetur, ex vocabulo apud Apulejum tradito. Κόμαρον Apuleji vero est herba, quae fraga gignit, ob id etiam fragum dicta (Apul. herb. 37); quibusdam *Fragaria*, aliis κόμαρος Theophr. et Diosc. videtur sive *Comarum* Plinii. Ita appelatur a Graecis *Unedo*, fructus *Arbuti*, hinc *Arbutus Comarus Theophrasti* J. Bauh., κουμαριά hodie in Graecia. Opinio Sibthorpii tantum in eo discedit, quod illi κόμαρος Diosc. *Arbutus Andrachne* sit, cujus fructus non edulis, quae circa Athenas cum *Unedone* crescit et ἀγριοκουμαριά hodie dicitur. *Comarum* Linnaei vero in Italia et Graecia non provenit.

205. *Ps. C. rubrum* (Gilib.) = *Comarum palustre* L. = *Potentilla palustris* Scop. 1772! Lehm! = *P—on* s. *Heptaphyllum fl. rubro* J. Bauh. 1651! = *P—um* s. *Q. rubrum* Dalech. 1587 c. fig! = *Quinquefolium palustre* (Gesner 1561! Camer. 1586 c. fig!) *rubrum* C. Bauh. 1623! = *P—on palustre* Cord. 1561 c. fig. bona Gesneriana!, Thal! Camer. 1588! = *Pentaphyllon rubrum* Dodon. 1553 c. fig! = *Fragaria* 4-ta s. ἑπτάφυλλον Trag. 1552! (male descr.)

Caulis pedalis e rhizomate repente adscendens. Folia pinnata; foliola 5—7 oblonga, serrata, subcoriacea, subtus glaucescentia. Calyx magnus, interne cum petalis triplo brevioribus, staminibus et stylis atrosanguineus. In planta Ingrica caulis et foliola subtus rarius glabra, ut in Linneana; sed plerumque dense pubescentia aut velutina, ita ut referat: *P—um palustre rubrum* crassis et villosis foliis suecicum (suevicum?) et hybernicum Plukenett 1691, tab. 212, fig. 2!; Raj. 1704.

In paludosis, ad fossas et lacus, ubique copiosissime,

Floret a medio v. rarius initio Junii; medio Aug. omnino defloratum; fruct. mat. ab initio Julii et serius. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Deschisaux 1725, p. 9, ex syn. Dalech.); Ingria (Buxbaum in Act. Acad. Petrop. III, 1732, p. 272, ex syn. Plukenetti); ubique inter Petrop. et Twer, locis humidis; fr. Aug. et Sept. (Gmel. mss. 1733, n. 43 ex syn. Tournef.); in locis udis ubique c. Petrop. (Amman mss. 1734, n. 2, ex syn. C. et J. Bauh., Tourn.); in palustribus frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 82; Sobol. Petr. 1799, p. 122, n. 343 s. *Comaro pal.* L., ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in paludibus ad m. Poclonnaja (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 359, n. 355); in uliginosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 244); ubique (Turcz! 1825, n. 335); in paludibus, fossis, ad margines lacuum et in sylvis udis; Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 52, n. 353 s. *Potentilla pal.* Scop.)

XCVI. FRAGARIA.

Fructus *Fragariae* herbae Romanis *fraga* dicti, verisimiliter a fragro, quod odorem aromaticum spergant. Planta ipsa *Fragaria* patribus fere omnibus appellata, a Brunfelsio usque ad C. Bauhinum, qui a *Pentaphyllis* genere distinxit, a Tournefortio et Linnaeo iisdem fere limitibus recepto.

Obs. In speciebus *Fragariae* rite cognoscendis et exponendis, magis quam in aliis, characteres e typicis individuis seligendi sunt. Necesse est, ut tandem diagnoses artificiales, e sola directione pilorum ab Ehrhartio traditas, non raro fallaces, deseramus et ad notas magis naturales, partim antiquiori tempore propositas recurramus. Species Ehrhartianae omnes et plures jam in monographia Duchesnei prima (secunda 1790 in Lam. Encycl. emissa valoris inferioris) distinctae, observationibus candidis et cultura extensa corroboratae.

206. *F. sylvestris* Camer! 1586 fig. * Duchesne

1766! 1790; Linné in litt. ad Duchesn. 1765! = *F. vulgaris* C. Bauh. 1623 et herb! Park. 1629! Linné 1737! et in litt. ad Duch. 1765! Ehrh. 1792! = *F. vesca sylvestris* L. Spec. 1753, 1762! diss. Frag. 1772! = *F. vesca* Recent., Hayne IV, tab. 26 opt! (non Linné, qui omnes species edules s. genus hodiernum integrum hoc nomine intelligit, contendens, vix nisi 2 species bonas dari, quarum altera *F. sterilis;* cf. Diss. Frag.) = *Fragaria* Brunf. 1531, Dodon. 1553 c. fig! et plurr. = *Fraga* Virg. et Ovid. (Romae spontanea).

Radix crassa horizontalis v. oblique descendens. Flagellis reptans. Foliola ± adpresse pubescentia, subtus pallidiora et ad nervos saltem argenteo-sericea, rhombea, serraturis rectis apice sphacelatis. Petioli et pedunculi divaricato-, pedicelli adpresse-villosi. Flores ☿, vernales. Calycis sepala externa et interna aequilonga, extus albo-sericea, in pedicellis defloratis et fructiferis reflexa. Petala 2 lin. calycem subaequantia. Stamina longitudine ovarii. Fructus subglobosus, coccineus, parvus, facile solubilis.

Vario modo a statu typico recedit: 1) frequenter foliolis ovalibus, serraturis arcuato-conniventibus, quibus non raro accedit 2) calyx fructibus interdum ovato-conicis subadpressus; talis saepe pro *F. collina* sumta videtur et descriptio Ehrharti non obstat; 3) serraturis foliol. mucronatis; 4) pedicellis inferioribus divaricato-villosis; 5) petalis crenatis; 6) fragis albidis, minus aromaticis; stipulis et serraturis foliol. apice albicantibus: *F. sylvestris alba* Duchesne 1766 c. synn. antiq.; haec var. adhuc indaganda.

In sylvis apricis, excisis, combustis (ut Linné in litt. ad Duch.), interdum in graminosis apricis declivibus vel sterilibus arenosis; frequens et copiose. Floret a medio Majo ad medium Junii; fruct. mat. non ante 10 Junium, post mensem disparent. ♃.

Hist. spec. In sylva ins. Basilii, raro tamen occurrit (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 55); passim (Krasch. ed.

Gorter 1761, p. 80 s. *F. vesca*, ut seqq.; in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in sylvis sterilibus et montosis passim (Sobol. Petrop. 1799, n. 335; ed. ross. I, 1801, p. 349, n. 347); in sylvis et fruticetis, Maj. ad Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 241); ubique (Turcz. 1825, n. 325); in sylvis, nemoribus, fruticetis et ad latera collium, Majo ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 52, n. 351).

Obs. Adest in Ingria *Fragaria* quaedam eximia umbricola, nondum ita explorata, ut sine dubio pro *F. semperflorente* Duchesne 1766, Hayne IV, tab. 25, exhiberi possit. Insignis est statura elatiore, inflorescentia larga, foliolis majoribus tenuioribus, glabrioribus, serraturis magnis mucronatis, sepalis in fructu patentibus v. imo accumbentibus, petalis crenatis calyce distincte majoribus, 3 lin., radice tenuiori perpendiculari. Sed non semper omnes characteres aeque constanter reperiuntur. Fructus ovato-conici in hac nondum observati (potius subglobosi), nec constat, an per totam aestatem floreat et fructificet, vel tantum magis serotina sit *F. sylvestri*. Hujus loci videtur *F. montana* Camer. 1586 fig. major et *(F. alpina)* Duhamel 1768 tab. 2. Ex observ. Duchesnei *F. semperflorens* e seminibus satis jam primo anno floret, *F. sylvestris* demum 3 v. 4-to anno. — In sylvis umbrosissimis humidioribus passim copiose v. g. Petropoli (Kühlewein!), Lissino (Graff!), Gatschina (Borszczow!); medio (13) Iunio floribus primis vel partim deflorata, fructibus valde immaturis observata.

207. *F. moschata* Duchesne 1766! opt. descr. = *F. elatior* Ehrh. 1792! Hayne IV, tab. 27 opt.! = *F. magna* Thuill. 1799! Gren. et Godr. = *F. vesca* β. *pratensis* L. Spec. II, 1762, quae in hortis β. *sativa* L. Spec. I, 1753 audit sive *F. pratensis* Linné in litt. ad Duch. 1765 (dubia quaedam restant, quia simul forte *F. viridem* Upsaliensem intellexit et sexus discrimen non agnovit) = *F. bohemica* Parkins. 1629 c. fig.! Raj. et *F. pannonica* (Robin 1624), Brosse 1636, fide Duchesn. (at patria ad Linnaei tempus usque ignota erat)

= *Fraga majora subalba* Gallobelgis *Chapirons* Lobel. 1576 fig. sat bona!

Polygamo-dioica. Stamina grossa ovariis sterilibus duplo longiora. Petala 4—5 lin. calycem distincte excedentia. Calyx fructus patentissimus v. reflexus; sepala saturate viridia, patenti-hirsuta, exteriora interioribns semper breviora. Pedicelli omnes cum pedunculis et petiolis divaricato- v. reflexo-villosi. Fructus pruni parvi magnitudine, ovato-globosi, aromatici, ex albido obscure purpurei, firmius adhaerentes. Foliola *F. sylvestris*, sed majora, saepe ovato-oblonga, subtus minus sericea, at saepe dense pubescentia; inflorescentia largior; habitus robustior. Variat:

β. *humilior*, petiolis brevioribus, inflorescentia depauperata, petalis tantum 3 lin.; interdum foliola subtus argenteo-sericea, formâ et serraturis *F. viridi* similia; tamen absque difficultate dignoscitur.

Hist. spec. Petropoli (H. Mertens mss. 1823 s. Fr. elat.); in graminosis hortorum secus viam Pargolensem et ad portam Mosquensem; in umbrosis montis Duderhof et in graminosis humidis subumbrosis aquaeductus Taitzensis pr. Bablowa spontanea (R. Petr. 1845, p. 61, s. n. *F. elatior* Ehrh.); copiose in graminosis ad marginem sylvae pagi Korpikowo prope Gatschina procul ab omni horto (Borszczow!); β. in apricis m. Duderhof et in graminosis ad Ligowkam (Kühlew.! Borszczow!). Floret a fine Maji ad finem Junii; fructus simultanei maturant, sed tarde et in spontaneis rarius. ♃.

(208.) *F. viridis* Duchesne 1766! quo teste etiam Parkins. 1629, Salmon et Miller; Duham. tab. 9! (nomen ex colore fructus) = *F. collina* Ehrh. 1792 (ex synn., at descr. valde manca), Hayne IV, tab. 30! = *F. nigra* Duch. 1790! (nomen ex colore foliorum et syn. Thalii) = *F. grandiflora* Thuill. 1799! (non Ehrh.) ideoque etiam *F. calycina* Loisl. 1806 nomen opt.! = *F. vesca* β. Linné Fl. Suec. 1755 (sec. Fries) = *F. fructu albo* C. Bauh. 1623 et herb.! (fide Hagenbach)

= *F. minors. nigra*... fructu dum decerpitur, strepitum edente, unde Knakelbeer, Presling Thal. 1588!

Calyx post anthesin clausus, fructui adpressus, sericeo-candicans, caesio-glaucus; sepala exteriora 4 v. 5 lin. basi attenuata, interioribus longiora. Petala 3—4 lin. calyce paulo breviora. Petioli cum scapis abbreviati, exteriores saepe foliolis parvis pinnulati. Foliola profundius viridia, subtus ceteris glabriora et rubro suffusa, ovalia, obtusissima, serraturis arcuato-inflexis. Fructus maturi virides ex dimidio rubro-suffusi, firmius adhaerentes. Directio pilorum et antherae, ut in *F. sylvestri.* — Variat: β. *mutabilis* (Hayne 1816), pilis pedicellorum, inferiorum saltem, divergentibus, foliis et habitu robustiori *F. moschatae;* γ. *parviflora*, ad *F. sylvestrem* accedens.

In ripa, etiam ingrica, fl. Narowae infra cataractam (R. in Bull. Acad. 1854, p. 215 s. *F. collina*) in declivibus apricis graminosis usque ad urbem Narwa; β. in ripa declivi subumbrosa fl. Luga pr. Jamburg optima; etiam pr. Narwa; γ. pr. Narwa; utraqua var. cum *F. sylvestri* mixta. Floret a fine Maji et initio Junii; medio Julio diu deflorata, fruct. mat. ♃.

Obs. Ex agro Petropol. nondum specimen genuinum vidi, ut jam in Diatr. 1845, p. 13 notavi. Indicata tamen fuit *F. collina* Ehrh. in locis graminosis siccis (Weinm. Pawl. 1824, p. 242), in colliculosis ad m. Duderhof etc. Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 52, n. 352).

XCVII. RUBUS.

Rubus Linnaei, Tournefortii, C. Bauhini et patrum omnium antiquiorum omnino etiam *Rubus* Plinii et Virgilii est. Vocem derivatam volunt a fructibus initio rubris. *Rubus* a Romanis quoque nominabatur sentis et vepres, ut ex Columella et Ovidio prodit, quod a tangentibus illico sentiatur et quod vehementer prehendat aculeis. Graecis βάτος dicitur, a contrario, quod propter aculeos loca inaccessibilia ἄβατος reddat. Apud

Dioscoridem et Theophrastum species saltem 3 distinguntur. Fructus βάτινα audiunt, vel μῶρα, μορέα, vel συκάμινα, ut Galenus docet. Mora nascuntur et in *Rubis;* differunt mora Ostientia et Tusculana (Plin.).

§. 1. Caules herbacei, humiles, simplices, erecti. Stipulae inferiores latae subcaulinae. *Chamaerubus* C. Bauh.

209. *R. Chamaemorus* L. (Fl. Lapp. tab. V. fig. 1 ♂ opt.!) = *Chamaemorus*: Th. Pennaeus, medicus Londinensis, e summo monte Ingleborrow pr. Lancastriam habuit et hoc nomine descriptam et delineatam ad Clusium misit; fig. in Clus. Pann. 1583 exhibita sine petalis, in hac specie caducissimis et foliis in caule 4 et 5, unde multos fefellit et ipsum Clusium, qui in Hist. 1601 eandem s. n. *Chamaemorus anglicana* (an forma apetala in Dania observata?) distinxit a *Chamaemoro Norwagica*, melius descripta, utpote a Clusio ipso visa.

Caulis inermis uniflorus. Folia in caule 2 v. 3, simplicia, reniformia, sub 5-loba. Flores dioici; radix vero ♂ et ♀ unitae sub terra in plantam monoecam obs. Solandro (L.). Petala alba, late obovata, calyce subduplo majora. Fructus magni ex acinis paucis, rubri, maturi flavescentes, calyce adpresso. — Variat sepalis et petalis 4 v. 6, floribus ♂ semiplenis, petalis incisis, sepalis exterioribus apice argute dentatis vel omnibus serratis.

In turforis humidis reg. demissae Fl. Petrop. passim copiose, alibi rarius: Lissino, Jamburg. Floret a fine Maji ultra medium Junii, fr. mat. Jul. Aug. ♃.

Hist. spec. In ericetis terra uliginosa turfacea scatentibus, hic locorum abunde crescit (Siegesb. Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 95 ex synn. Clus. C. et J. Bauh.); in locis humidioribus ins. Basilii, sed non admodum frequens (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 150); in sylvis paludosis passim, non tamen magna copia (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 80); in sylvis paludosis circa pagum Murinam, nec non ad monasterium Newsky! et Ozerki et passim

satis copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 118, n. 334; in ed. ross. I, 1801, p. 348, n. 344 tantum „Murina"); in paludibus turfosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 241); in sylvis paludosis, v. g. in insula crucis, ad viam Pargolensem (Turcz! 1825, n. 323); copiose in paludosis sphagnosis fruticetosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 52, n. 350).

210. *R. arcticus* L. 1753 (Fl. Lapp. tab. V, fig. 2 var. petalis incisis) = *R. humilis*, *fragariae* folio, fructu rubro O. Rudbeck fil. 1701 (ex Linné) = *Fragaria fruticans*, Olaus Rudbeck pater, in Cat. hort. Upsal. 1658; per Celsium patrem habuit ex Helsingia; primus inventor est fide Linnaeo; at ex Arrhenio potius esset Frankenius, qui jam in edit. I. Speculi bot. 1638 (Linnaeo tantum edit. II, 1659 cognita) habuit s. n. *Fragaria septemtrionalium fruticans*, baccis nigris, dulcibus et mellitis.

Caules inermes 1-, rarius 2. v. 3 flori. Folia ternata. Petala purpurea rarius rosea, obovata, basi attenuata, calyce reflexo duplo longiora. Fructus ex acinis multis connatis atro-purpureus, odore et sapore aromatico, fere *Idaei* et *Fragariae*. — Variat saepe numero petalorum et sepalorum subduplo; rarius petalis latioribus basi minus attenuatis, interdum incisis; quandoque minoribus 3 lin. calycem subaequantibus; non raro caulis superne ramosus 7 florus, floribus axillaribus solitariis.

In turfosis subapricis vel in sylvis humidis, praecipue secus vias et fossas. In Ingria fere solum in regione demissa agri Petropolitani raro et parce (conf. R. Diatr. 1845 p. 15 et Symb. p. 231), copiose c. Lissino et Schlüsselburg. Floret a fine (rarius jam 9) Maji vel initio Junii ad medium Julii et ultra; medio et fine Augusti floribus ultimis et fruct. fere maturis. ♃.

Hist. spec. In sylvis udis Ingriae et Kareliae (Amman Ruth. 1739, p. 185, n. 263 s. n. *R. trifolius* non spinosus, sapore et odore *Fragariae*, fructu rubro polycocco *R. Idaeo* simili: Messerschm., cum descr.; syn.

a Linnaeo citatum); in sylvis udis Ingriae passim, praesertim in sylvis inter Petropolin et Peterhovium! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 80); in insula apothecaria, prope cemeterium! et in sylvis humidis passim inter Petropolim et Peterhovium! atque ad viam Wiburgensem! Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 118, n. 333) et prope Strelinam (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 348, n. 345); in locis turfosis, graminosis, humidiusculis, Majo, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, n. 241 et Petr. 1837, p. 52, n. 349); in pratis sylvosis, v. g. in insula Petri!, prope Schlüsselburg! (Turcz! 1825, n. 324).

211. *R. saxatilis* Clus. 1601 et 1583 in descr.! Gerard ed. Johns. Parkins. Linné, Weihe tab. 9 opt.! = *Chamaerubus saxatilis* C. Bauh. 1623! = *R. saxatilis alpinus* Clus. 1583 c. fig.! ex Austriae collibus saxosis monasterio Neuberg imminentibus = *R. alpinus humilis* Gesner 1561! J. Bauh. = *R. Idaeus*, Hundsbeere: Gesner 1552 e Pilato m. (non alior.) teste se ipso et Clus. = *Chamaebatus* (Bocksbeere: Trag. 1552 descr., non fig.) G. Aemilii: Gesner Epist. 1564, editae 1576, fide Haller.

Caules inermes v. seticulosi, interdum steriles flagelliformes prostrati. Folia ternata. Flores subumbellati. Petala alba, lineari-spathulata, parva, calycem reflexum subaequantia. Fructus ex acinis 1—6 discretis, coccineis, acidissimis. — Hic raro saxatilis, plerumque α. *sylvaticus*, varians caulibus valde setosis; porro: β. *vialis*, robustior, foliis rigidioribus, flagellis luxurians; γ. *petrosus*, priori similis, foliis rubro suffusis, floribus solitariis.

In sylvis et fruticetis humidioribus ubique copiose; β. ad vias recenter structas in vicinia sylvarum; γ. in lapidosis apricis: Kronstadt. Floret fine, rarius medio Majo, initio et medio Junii; fruct. mat. medio et fine Julii. ♃.

Hist. spec. In insula inter Catharinhoffium et portum triremium sita! non admodum frequens (Krasch.

Ind. mss. 1749, n. 162 ex synn.); in sylvis circa (Slavenka: Gorter) fl. Strelnaja et in insulis! Newae fl. excepta Basilii, passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 79); in praedio ill. Com. a Czernischew, quod est ad 17 werstam viae regiae, quae Peterhofium! ducit (Gorter Append. 1764); in sylvis copiose, uti in insulis apothecaria, lapidea et passim, Jun. (Sobol. Petrop. 1799, p. 118, n. 332; ed. ross. I, 1801, p. 347, n. 344); in locis lapidosis et in sylvis siccioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 241); ubique (Turcz! 1825, n. 322); in sylvis praesertim turfosis umbrosis forma *a.* major, glabrior; in locis graminosis apertis forma *b.* minor, magis piloso-hispida; Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 52, n. 348).

Obs. Huc pertinere videtur: *Rubus minor*, repens, sylvestris, leviter spinosus, fructu ex rubro-coeruleo: Siegesb. Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 95, solus enim est, qui „hic in sylvis crebrius occurrit", quare diversum a *R. saxatili* credidit; descriptio data, excl. colore baccae erroneo, hanc tantum speciem admittit.

§ 2. Caules lignosi, suffruticosi, biennes, ramosi. Stipulae petiolares, lineares.

212.) *R. caesius* Linné! Hayne III tab. 9 opt.! = *R. repens fructu caesio* C. Bauh. 1623 et herb.! = *R. humilis* baccis modo nigris, modo coeruleis e Belgio Clus. 1583! = *R. minor* Dodon. 1583 c. fig. (fide C. Bauh. et L.) = *R. reptans* Pena et Lobel. 1570 (sec. C. Bauh.) = *R. humilis* (Trag. 1552!) *Chamaebatus* Gesner 1553 (ex Haller) = *Chamaebatus* humi serpens in arvis Dorsten. 1540! = cur non χαμαίβατος Theophr.? (*R. tomentosus* sec. Fraas).

Caules steriles et rami fertiles hornotini adulti teretes, caesio-pruinosi, debiles, sublignosi, prostrati, e caule annotino interdum brevissimo nascentes, aculeolis subrectis tenuibus, subsetaceis muniti. Folia in caule fertili et turionibus ternata, inciso-serrata, „subnuda, lateralia subbiloba" (L.). Pedicelli et calyces saepe glandulis stipi-

tatis obsiti. Petala alba, obovata emarginata. Styli virescentes. Fructus ex acinis 1—3, rarius pluribus, discretis, magnis, caesio-pruinosis, aquoso-dulcibus; nuculis immaturis foveolatis, fere 2 lin., virentibus. Distingui potest: typicus Linnaei = α. *aquaticus* Weihe = α. *umbrosus* Wallr. Arrhen. fol. subglabris v. sparse pilosis (Pljussa, Narwa), partim abludens fol. minoribus profundius incisis, ramis tenuioribus, calycibus minoribus, pedicellis obscure glandulosis (Pilowo), partim aculeis sub cyma validioribus subrecurvis, sepalis longius caudatis (Nawolok); et β. *agrestis* Weihe, Arrhen. foliis subtus holosericeis v. tenuiter tomentosis, caule densius aculeolato (Kempelowo, Itowskaja).

Hist spec. Circa Kempelowo pr. Kaskowa, inter Petropolim et Jamburg, non rarus videtur (L. Bar. Graewenitz ex R. Petrop. 1845, p. 16, 65); prope Pilowo 1840—1 (Simaschko ex R. Symb. 1846 p. 230); copiosissime ad ripas saxosas, calcareas fl. Pljussa a pago Polja usque ad Gawrilowskoje; parcius ad ripas lacus Tscheremenetz pr. Nawolok; ad ripam arenosam fl. Luga in fruticetis pr. Itowskaja; copiosius in ripa calcarea sinistra fl. Narowa inter Narwa et cataractam (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 224). Initio et medio Julio floret et 13 Jul. fruct. mat. primos vidi. Radix ♃, sed caules ⊙ vel ♁ ♄.

213. *R. Nessensis* W. Hall in Trans. Edinb. Soc. III. (1791) ed. 1793! p. 20, 21 descr. optima! concedente Anderson; detecta 1787 in Scotia ad lacum Ness 57° lat. (in Dec. Prodr. admissos videmus *R. Mysorensem*, *R. Nutkanum* et *R. Bogotensem* H. B. K.) = *R. suberectus* G. Anderson (1813) in Trans. Linn. Soc. XI, ed. 1815, tab. 16! (caulis sterilis c. fol. 7-natis); Engl. Bot. tab. 2572 differt racemo thyrsoideo, non fastigiato; Arrhenius! Fries herb. norm. Suec. VI, 44 exacte!

Caulis fertilis suberectus, teretiusculus, glaber, rubrofuscus; sterilis erectus, apice modo arcuato nutans, inferne cum petiolis purpurascens, 5 angularis, aculeis ubique conformibus, raris, brevibus, tenuibus, rectis vel pa-

rum arcuatis munitus; rami florigeri apice pilis crispulis, glandulis sessilibus nigris obsoletis et aculeis raris recurvis adspersi. Folia utrinque profunde viridia, glabriuscula v. subtus pubescentia, seniora rubro-suffusa, in ramis fertilibus ternata, suprema simplicia; in caule sterili 5-nato-digitata, interdum 7-nata, digitato-pinnata, inferiora rarius ternata; foliolo intermedio cordato-ovato, longe cuspidato. Panicula rara subfastigiata. Petala alba, obovata. Fructus maturi atro-rubentes, calyce reflexo, acinis subdiscretis toro firmius adhaerentibus; nuculae immaturae reticulato-foveolatae, glabrae, 1 lin. — Per 4 annos in horto immutatum coluit Hall et postea Anderson.

In arenosis apricis ad montem Poclonnaja, ubi vivum et copiosum vidi; etiam in siccis ad vias pr. Pargolam, Manachtinam, viam Peterhofianam, Kempelowo et Lissino provenire videtur (Rupr. Petrop. 1845, p. 66 s. *R. suberecto*). Floret a fine Junii ad medium Julii, raro serius; fr. mat. autumno. Radix longaeva, caules ♂ ♄.

Adnot. Huc potissimum spectat *R. fruticosus* Auct. Fl. Petr., indicatus: circa Narwam in sepibus (Gorter, nec Krasch., Fl. Ingr. 1761, p. 79; an *R. caesius?*); in sylvis humidis umbrosis ad viam Wiburgensem, in monte Poclonnaja, in Ossinova-Roschcza et prope Narwam, Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 118, n. 331; ed. ross. I, 1801, p. 346, n. 343); in sylvis districtus Jamburgensis, Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 241); prope Murinam (Prescott ex Turcz. 1825, n. 321); in collibus sylvaticis prope Narvam, Pergolam, Novo-Iwanowsky, Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 51, n. 346 cum cit. Weihe tab. 7, quae ad *R. thyrsoideum* Wimm. sec. Arrhenium spectat). Genuinus *R. fruticosus* L. Suec. explic. Arrhenio et Fries, quem numquam e Fl. Petrop. vidisse in Diatr. 1845 p. 13 monui, a *R. Nessensi* omnino valde simili differt: fructibus atris v. atro-coeruleis, caule fertili acutangulo, canaliculato, sterili aculeis validioribus multiformibus: inferioribus subrectis, superioribus lon-

gioribus falcatis armato, petalis roseis, foliis numquam 7-natis.

214. *R. subinermis* Rupr. Diatr. Petrop. 1845, p. 66.

Differentias modo a *R. Nessensi* omnino proxime affini exhibeam. Caulis et fertilis et sterilis usque ad apicem semper erectus (nec inclinatus, recurvatus), multo minus lignosus, duplo tenuior, pallide virescens, rarius caulis annotinus obscure rubens. Folia in caule fertili etiam inferiora semper ternata; ita non raro etiam in sterili; multo tenuiora, laetius viridia, numquam sanguineo-suffusa, omnia subtus sparse pubescenti-pilosa vel subglabra et vernicoso-nitentia, ramorum fertilium majora; interdum facies inferior et petioli hinc inde morbose holosericeo-tomentosi. Aculei pauci in tota planta, debiles, minuti, in petiolis vix ulli, in surculis sterilibus paulo validiores. Nuculae immaturae non differunt; fructus maturi dicuntur nigri et dulces. An *R. suberectus* β. *mitis* Arrhen. 1840?; propter tot differentias notabiles, in monographia ejus non allatas, distinctum credidi. Species cultura et experimentis in horto nondum corroborata; an forma sylvatica *R. Nessensis*, in cujus vicinitate interdum provenit?

In nemoribus et sylvis frondosis isthmi Kareliae, inter Dranischnikowa, Bielostrowskaja et Lembalowa sitis, non raro (R. Diatr. Petr. 1845, p. 66); multis etiam locis similibus inter urbem Pskow et Gdow, copiosissime versus limites gubernii pr. Soltza (R. in Bull. Acad. 1854, p. 223). Floret ab initio ad finem Julii; fr. mat. sero autumno. ♃, ⚲ ♄.

215. *R. Idaeus* (Plin.) Lonicer 1551! Cord.! Matth. 1562, Lobel. 1576 c. fig.! Dodon! c. fig. ex Lob., Camer! = *R. Idaeus Dioscoridis* Clus. 1583! = *R. Idaeus spinosus* Dalech. C. Bauh.! et plur. = βάτος ἰδαία Diosc., βάτος ὀρθοφυὴς Theoph. Ex Dioscoride ita appellatus, quoniam copiosus in Ida nasca-

tur; est autem longe tenerior! priore (*R* 2-do), rarioribus! aculeis innocentioribusque! sub umbra! arborum nascens (Plinius, qui eum non vidit, cum in Italiae inferioris montosis rarius sit). Tamen in Ida monte neque Belloni 1589, neque Sieber 1817 invenire potuerunt et Tournefort ibi tantum *R. sanctum* Schreb. vidit, unde hunc verum *R. Idaeum* Diosc. esse, suspicatus est.

Caulis sterilis et fertilis erectus, apice modo arcuatus v. nutans, glaber, subaciculosus; sterilis pruinosus, interdum purpurascens; rami florigeri aculeolis falcatis v. recurvis. Folia pinnata v. ternata, subtus niveo-tomentosa. Petala albida oblonga. Fructus roseo-purpureus; acini in moram a toro facile solubilem connati; nuculae immaturae albo-tomentosae. — Variat omnino inermis, foliis et floribus parvis et fol. subtus fere viridibus.

In sylvis et fruticetis, pinetis, sterilibus apricis et arenosis, frequens et copiose. Floret toto mense Junio, rarius initio Julii et fine Maji; fruct. mat. plantae sylvestris ab initio Aug. vel prius. Radix ♃, caules ♁ ♄.

Hist. spec. Hic locorum in multis tractibus spontaneus (Siegesb. Prim. Fl. Petr. 1736, p. 95 ex syn. J. Bauh.); in superioribus regionibus Newae fl., praesertim ex adverso! arcis Schlüsselburg! copiosissime (Krasch. ed. Gort. 1761. p. 79); ubique in sylvis prope urbem Petrop. copiosissime, uti Catharinhoffii!, in insulis apothecaria, lapidea!, Camennoy Nos, atque in monte Poclonnaja!, Majo, Jun. (Sobol. Petrop. 1799, p. 117, n. 330) atque Pargelovii! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 344, n. 342); ubique (Turcz. 1825, n. 320); ubique in sylvis et fruticetis, Majo ad Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 241 et Petrop. 1837, p. 52, n. 347).

XCVIII. ROSA.

Genus *Rosa*, ut *Rubus*, ab antiquissimis temporibus naturalissimum exstitit. Romani *Rosarum* species et varietates numerosas cognoverunt, ut ex Plinio colligere licet. Nomen apud Varronem primo obvenit. Apud

poëtas *R. gallica* eminenter intelligitur: *Rosa*, flos Veneris, quam dedit Harpocrati, ut furta ejus tegeret (Ovid.). Graecis ῥόδον, ῥόδα: Arist. Theophr., Plutarcho autumante, quod largum odoris effluvium emittat.

§ 1. *Cinnamomeae.* Ovaria in centro fructus breviter stipitata, stipite dimidio ovario breviore. Stipulae in ramulis florentibus latiores, quam in sterilibus. Fructus rubri, laciniis calycinis conniventibus persistentibus coronati. Trunci florentes basi aculeatissimi: aculeis gracilibus rectis v. reversis, sed non falcatis, inaequalibus: intermixtis tenuioribus setulosis, densis, interdum deciduis.

216. *R. acicularis* Lindley 1820 tab. 8; C. A. Meyer monogr.! tota species cum varr.! = *R. Moscovita* J. Tradescant fil. 1656! in Mus. Trad. p. 162, fide specc. e loco classico: Rose island, nunc Ostrow Jagrü prope Archangel! ex adverso monasterii St. Nicolai, quae insula inde apud mercatores anglos ex a. 1553 nomen obtinuit, ubi jam J. Tradescant pater a. 1618 copiosissime observavit, cum *R. cinnamomea* comparavit, unde et in hortum suum transtulit; vide Hamel Recueil Acad. Pétersb. 1845 (ed. 1847) p. 281 et Rupr. Symb. p. 221. Nomen recentius ex loco modo extricatum, restitui non potest, ut *Geum aleppicum* ex icone.

Trunci adulti et rami hornotini (floriferi purpurascentes) ubique aculeis setaceis v. acicularibus rectis densis inaequalibus armati; aculei stipulares distincti nulli. Stipulae fere ab ima basi patentes, angustae, auriculis subduplo longiores. Foliola 5 v. 7, remota, tenuia, subtus plerumque pubescentia, argute simpliciter serrata. Pedunculi elongati, subsolitarii, saepe purpurascentes et setis glandulosis tecti. Flores saturate rosei, lacinias calycis glandulosas subaequantes.

Species summopere variabilis, cujus formae omnes hucusque in Ingria observatae ad seriem *hypoleucam* pertinent. Distingui potest: α. *hypoleuca* typica Rupr.

Petr. 1845 p. 65: foliolis subtus eximie glaucescentibus, fere albidis, interdum glabrescentibus; germina in hac formâ oblonga, basi quidpiam, apice longe attenuata; ludit petiolis glandulosis. Detecta primum a D. Meinshausen in circulo Oranienbaum. pr. Werchne Ruditza s. Lapuchinka ad margines sylvarum; frutices circ. 20 ibi ipse vidi, sed unico tantum loco (R. Petr. 1845 p. 65); forma *calycina:* sepalis latis foliaceis incisis, in fruticetis pr. Tsarskoje Selo spontanea et culta (R. Symb. 1846 p. 232); lusus: pedunculis glaberrimis semel in ins. Petrowski (Borszczow!).

β. *stipularis:* stipulis conspicue latioribus; foliola hypoleuca, sed subtus magis glabrescentia; petioli sparse glandulosi; fructus praecoces, pulposi, breve obovati, collo brevissimo subtruncati, rubro-ceracei, nutantes, immaturi ovati ad collum constricti. Hinc inde in sylvis Lissinae (R. Symb. 1846 p. 232). Accedit ad plantam e Fl. Samojed., cujus foliola latiora, minus hypoleuca, terminalia ovata v. cordata, nec attenuata. Planta Lindleyi ex icone intermedia utrisque sed diversa pedunculis glabris.

⁜ γ. *vialis* R. Petr. 1845 p. 65. Foliola densiora, subtus quidem discoloria, sed non hypoleuca, densius pubescentia; fructus ut in β., sed pedunculi breviores subglabri. Secus itinera circa lacum Ladoga v. g. inter Kexholm et Kronoborg, nec non pr. Ruskiala ad septemtriones tendit et abire videtur in δ. *R. carelicam* Fries Summa veg. Scand. 1845, p. 171. Specc. herb. norm. XIII, 59 differunt a γ: foliolis subtus glaberrimis, subduplicato serratis, glandulis sessilibus parcis in petiolo, serraturis et pagina inferiore foliolorum; haec frequentissima ab Onega lacu ad Jaakimwaara et Pungaharju, boream versus ad Nurmis (W. Nylander Fl. Karel. 1850, p. 145). *R. Gmelini* Bunge in Ledeb. 1830 ab omnibus differt: ramis floriferis subinermibus et fructibus ovatis; sed specc. Ledebourii altaica visa omnino media sunt inter γ. et δ. = *R. acicularem* β. *fennicam*

Lallem. Ind. sem. hort. Petr. IX. Suppl. 1844 p. 6, n. 284.

Formae Ingricae α et β florent a medio (rarius initio) Junii usque ad initium Julii; fruct. mat. fine Aug.; γ. initio Aug. partim florens fruct. semimaturis; δ. Julio m. omnino deflorata. ♄.

217. *R. cinnamomea* (rectius *cinnamomina*, ut Dodon. 1569, 1583 scripsit), quam Brabanti Caneelroose appellant: Lobel. 1570, 1581 in indice (obiter); Clusius 1583 fig. bona! formae hortensis fl. semipleno (foliola 5 v. 7, supra viridia, infra candicantia); Besler 1613 icon mediocris (folia subtus „albescentia"); Linné 1759! 1762! (non 1753, quae *R. alpina* L. 1762); Smith 1812 in Engl. Bot. tab. 2388! (fol. glaucescentibus, sublanceolato-oblongis); Koch Syn. (foliola subtus cinerea); C. A. Meyer! monograph. tota species cum varr. (speciatim α. *vulgaris* a. *subglobosa* quoad pl. Ingricam vulgatissimam); = *R. majalis* (vulgo dicta: C. Bauh. 1623) Schwenckfelt 1600 (sec. Wallr.), Herrm. 1762, Retz. 1783 bene descr.! (forma hortensis fl. pleno, fruct. subglobosis, petiolis inermibus); Wallroth monogr.! tota species, excl. vero varr. et synn. nonnullis; = *R. sylvestris* a *Majo* m. denominata Gesner 1553, 1561; hortensis et sylvestris: ad radicem Alpii montis pr. Tigurum copiose (sed Haller et Wallr. ad *R. alpinam* referunt).

Rami floriferi aculeis tantum stipularibus geminatis subulatis subrecurvis armati; annotini cinnamomini. Stipulae praesertim in ramis sterilibus ultra medium involutae, latae, ramum amplectentes, auriculis 3—4 plo longiores. Foliola 5, rarius 7, simpliciter serrata, subtus pubescentia (cum petiolis inermibus eglandulosa). Pedunculi breves, solitarii v. rarius 2—3, e stipulis vix exserti, glaberrimi. Sepala integra corollam roseam aequantia. Fructus praecoces mollissimi, subglobosi.

Cel. Wallroth 1828 varietates principales *R. majalis* e foliis in 2 series: *concolorem* et *discolorem* disponit. *Concolor* rarius in Ingria conspicitur v. g. ad

fluv. Tossna (Borszczow!) humilior, inermis, microphylla et e specc. incompl. c. Jermolino et Narwam. *R. cinnamomea* Fries herb. norm. VII, 45 ex Uplandia concolor est et ad petiolos spinulosa; talis adhuc desideratur.

Vulgatissima ingrica fol. subtus magis minusve cinereo-glaucescentibus exactius refert *R. majalem* β. *cineream* Wahlbg. 1812 sive *R. cineream* Swartz 1829, praecipue si fructus erecti (globosi, nec depressi), et folia ovalia obtusa. Haec variat: inermis; macro- et microphylla; foliolis ovato-ovalibus, ovali-obovatis et elliptico-lanceolatis; porro: macrocarpa (fruct. $^1/_2$ poll.) et simul macrophylla (Duderowo); microcarpa (fr. $^1/_4$ poll.) simulque microphylla (ibid.); aculeis stipularibus validioribus valde arcuatis in ramis annotinis purpurascentibus (ibidem); heptaphylla, petiolis non raro spinulosis, ad *R. foecundissimam* Du Roi 1772 et Roth 1789 accedens (Lapuchinka); 2 v. 3 flora, foliolis saepe 7, majoribus subduplicato-serratis, exacte *R. fluvialis* Müller 1782 in Fl. Dan. tab. 868 sec. spec. Fries. e loco classico fl. Gloumen Norveg. (ad aquaed. Taitz.); fruct. pyriformibus, $^1/_2$ poll., erectis v. nutantibus, 1 v. 2: *R. turbinella* Swartz 1829 (sed discolor).

In fruticetis et sepibus, secus vias et margines sylvarum, per totam Ingriam copiose. Floret a medio (rarius initio) Junii usque ad initium Julii; fruct. mat. a medio v. fine Augusti. ♄.

Hist. spec. In insula pharmacopaeorum *Opulo Ruellii* et *Rhamno inermi* comes est eodemque cum iis tempore floret, sub finem scilicet Julii (Junii?), sed et per totam Ingriam locis convenientibus minime hospes (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 78 s. n. *R. spinosissima* L., quae respectu plantae Lapponicae et Suec. huc spectat, non vero e descriptione; planta Krasch. sub syn. Halleri cit. in Hb. Acad. servata est *R. cinnamomea!;* descr. brevis in Fl. Ingr. idem testatur); in montosis et apricis sylvestribus, ut in monte Duderhof! et Pargelovii (Sobol. Petr. 1799, p. 117, n. 328; ed. ross. I, 1801, p.

341 n. 340 s. *R. spinosissima;* sed diagnosis e libro quodam transscripta et icon citata ad *R. pimpinellifoliam* L. heic numquam inventam spectat); circa Petropolin haud rara! (M. Bieb. Fl. Taur. Cauc. III, 1819, p. 33, n. 969; ubi *R. spinosissima* Gorter et Sobol. ut synn. citantur; ita etiam apud Weinmann 1824 et Wallroth 1828); in fruticetis siccioribus fere ubique (Weinm. Pawl. 1824, p. 238); ubique (Turcz. 1825, n. 319, sed specimen ejus Petrop. est *R. glabrifolia!*); variat Petropoli fructibus basi quidpiam productis: *R. turbinella* Sw., et maturis plerumque nutantibus (R. Petrop. 1845 p. 65); ad fl. Wolchow, lacum Tscheremenetz et Peipus, Narwa.

⋇ *R. glabrifolia* C. A. Meyer ex Rupr. Diatr. Petrop. 1845 p. 65 = *R. cinnamomea δ. glabrifolia* Meyer (1846) 1849. Foliola, etiam subtus, glaberrima, saepe 7 interdum 9, profundius serrata. Aculei stipulares validi, fere *R. caninae.* Flores raro solitarii, saepissime 2 v. 3. Rami hornotini steriles subglaucescentes. Fructus maturi pyriformes, $^3/_4$ poll.

In hortis Petrop. vulgatissima, ad pagos (Ilkina), forte silvestris, ut in gub. Wjatka, pr. Slatoust alibiq.

§. 2. *Caninae.* Ovaria in centro fructus longe stipitata, stipite ovarium aequante. Stipulae ut in §. 1. Trunci basi et superne aculeis validioribus, sparsis.

218. *R. canina* (Trag. 1552 pr. p.) Dodon. 1569! Park. Raj. Linné! Rau (α *vulgaris* Koch p. p.) = *R. sylvestris* Dodon. 1569 fig. bona! repetita 1583 (nomen apud patres collectivum pro specc. spontaneis) = *R. Cynorrhodon* Thalius, Wallr. ex parte = *Cynorrhodos* Plin. (Romae, ut in tota Italia vulgaris) = ῥοδωνία Theophr.

Aculei adunci, basi valde dilatati et compressi. Petioli aculeolati, glaberrimi. Foliola 5 v. 7, laevia, glaberrima apice convergenti serrata, late elliptica. Pedunculi laeves, subsolitarii, breves. Flores incarnati. Fructus

erecti, serotini, cartilaginei. Calycis laciniae pinnatifidae, in fructu maturescente reflexae, deciduae.

In Ingria summopere typica et constans! Varietates hic non dantur, tantum lusus 2—3 flori et e forma fructus: aut ovati (ut Linné poscit), aut ovali-globosi, aut breve pyriformis; character in *Rosis* saepe exigui valoris. Nostra exacte est α. *nitida* Fries 1828, herb. norm. VII, 41! (fruct. pyrif.) foliis nitidis, subtus laete viridibus = *R. Swartzii* Afzel. Rosae Suec. sec. Fries, Billberg 1819 in Svensk Bot. tab. 541 (diff. petalis albis; fruct. ovati) = *R. canina virens* Whbg. 1820—4. Ultra Narowam accedit β. *glaucescens* Whbg. 1820—4 = β. *opaca* Fries 1828 herb. norm. VIII, 45! = *R. senticosa* Swartz, Achar. 18 3 tab. 3, Wallr. foliis opacis, subtus pallentibus v. glaucis, et jam subinde pubescentibus aut (*R. Afzeliana* Fries 1817) pedunculis hispidis. Utramque Upsaliae obviam Linnaeus non distinxit; sed verba „petioli glabri, folia nuda" in descr. Linnaeana *R. dumetorum* Thuill. et Rec. excludunt, in tota Fennia australi vulgarem.

In collibus et ripis elevatis, praesertim calcareis, in dumetis, juxta vias; in agro Petropolitano rarius et plerumque parce, omnino deficiens in reg. demissa; copiosius ad cataractas Narowae et fl. Wolchow. Floret initio Julii; medio Julio et serius ubique deflorata; fruct. mat., saltem colorati, vix ante initium Sept., interdum in annum sequentem residui. ♄.

Hist. spec. Circa Jamburg (Georgi 1790, p. 68, n. 312); in sylvis montosis circa Jamburgum et in monte Duderovo! Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 117, n. 329; ed. ross. I, 1801, p. 342, n. 341; in Weinmann Pawl. 1824 p. 238 pro *R. cinnamomea* declaratur); in sylvis, fruticetis, sepibus, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 54, n. 361 formae 2: tubo calycis vel *a.* globoso, vel *b.* oviformi; — an *R. cinnamomina?*); rarior, quam *R. cinnamomea* v. g. ad montem Duderhof, in regione Wiburgensi, pr. Pargolam et Woroninam (R. Petr. 1845, p. 65 s. n. *R. canina* α. *vulgaris* Koch Syn.).

(**219**) *R. tomentosa?* Smith Brit. Fl. II (1800) p. 539 e Norwich (differt fruct. ovatis, magnitudine et forma *R. caninae* fr. proximis, germine elliptico) et 1802 in Engl. Bot. tab. 990 (differt sepalis pinnatifidis deciduis; teste Wallroth etiam fol. subtus undique glandulosis); Koch 1831 in Linnaea et Fl. Deutschl. III, 474 (alienissima, quod fructus non prius quam medio Octobris m. maturent et *R. caninae* fructibus ita similes sint, ut ne a botanico quidem distingui possint) nec non Syn. Fl. Germ. (descr. convenit exc. sepalis pinnatifidis, sed nimis collectiva et manca; species non diversa ab illa a. 1831); Fries Mant. III p. 199 sub observ. 1. (differt fruct. ellipticis carnosis); Reichenb. Fl. Germ. excurs. (differt fruct. aurant. serotinis). Magis convenit ex icone *R. villosa* Swartz 1807 in Sv. Bot. tab. 313, sed fruct. ovalibus, solitariis et fol. subtus glandulosis differt. Ex antiquioribus *R. pomo spinoso*, folio hirsuto J. Bauh. 1651 c. fig. similis est, sed a Bertolonio ad *R. pomiferam* Herrm. laudatur. In herb. Mertens a Kochio disquisito, multas formas, etiam Anglicas et omnes Wallrothianas colligente, nullum specimen adest cum *R. tomentosa Ingrica* perfecte congruum, melius forte s. n. *R. coccinea* distinguenda.

Frutex 2—3 ped. Caules steriles basi vel pallide v. glauco-virescentes, superne rubri et pruinosi. Aculei gemini stipulares, inferiores validiores falcati vel reversi; superiores horizontales, debiliores, subrecti, petiolorum parvi saepe curvati. Stipulae angustae, auriculis liberis 4—6-plo longiores, basi purpurascentes, florales latiores. Folia 7—9 crassa, cinerea, supra holosericea, subtus dense et molle pubescentia, tactu mollissima, ovali-obovata, duplicato-serrata, serraturis patulis. Glandulae subsessiles nigrae, crebrae in petiolo, costa et serraturis foliolorum. Pedunculi 1—3 stricti, 4—6 lin. bracteas subaequantes cum germine aequaliter glanduloso - hispidi. Fructus erecti, pomiformes (i. e. globosi, quidpiam depressi et basi umbilicati), 4—7 lin. in diametro, speciosissime coccinei, praecoces sed duriusculi, sepalis subin-

tegris, erecto-patentibus, persistentibus longioribus coronati. Variat tantum et rarius, in diversis fruticibus: fruct. ovato-globosis (an haec forte planta Smithiana?, sed icon J. Bauh. valde laudata multum differt).

Copiose in ripa elevata dumetosa fl. Wolchow juxta vias ab Iljinskaja usque ad cataractas, substrato calcareo systematis silurici inferioris; initio Aug. diu deflorata, fruct. partim maturis (conf. R. in Bullet. Acad. Pétersb. 1854, p. 221 s. *R. tomentosa*). ♄.

Obs. In Fennia austr. occid. omnino diversa species provenit (R. Diatr. Petr. 1845, p. 24): ramis florentibus et germinibus caesio-pruinosis (nec herbaceo-virentibus, ut plerumque in ingrica), stipulis latioribus tomentosis (nec glabrescentibus, margine modo glandulosis), petalis saepissime glanduloso-ciliatis; haec mihi videtur *R. mollissima* Fries sive *R. villosa* L. Suec. et herb., insignis praecipue fructibus alienissimis: pulposis, mollissimis, sanguineis, in sicco nigrescentibus; ad hanc ut varietas: germinibus glabris et petalis non ciliatis spectat: *R. mollis* Smith. 1812 in Engl. Bot. tab. 2459 (ex ins. Osilia vidi et c. Ecknäs in Fennia).

(XCIX.) CRATAEGUS.

Κράταιγος Theophrasti pro *Crataego Azarolo* L. a cel. Fraas declaratur et hoc fulcrum nomenclaturae hodiernae sistit. Ὀξυάκανθα Theophr. et Diosc. diu apud patres sui juris erat, donec Linnaeo auctore ad *Crataegum* pervenerit. Linnaeus distinxit inter genera Tournefortiana: *Crataegum* digynam dipyrenam; *Sorbum* trigynam tripyrenam et *Mespilum* 5-gynam, 5-pyrenam; *Pyrus* vero pariter 5-gyna diversa erat pomo (nec bacca) 5-loculari, polyspermo; recentiores in numero stylorum nullum valorem genericum vident. Generi *Crataego* hodierno auctoritas Linnaei aut Tournefortii plena apponi non potest; Crantzius *C. Ariam* L. et *torminalem* L. ad *Sorbum* et Persoon

Mespilum Pyracantham L. 5-gynam ad *Crataegum* transtulit.

(220.) *C. kyrtostyla* Fingerhuth in Linnaea 1829 fig. 1! — Synonyma dubia, forsan ad *C. monogynam* Jacq. pertinentia, sunt: *C. Oxyacantha* L. herb. ex Bertol., Scop., Crantz; *Oxyacantha spinosa minore folio* Barrel. 1714, fig. 563; *Oxy. vulgaris* Clus. 1601 p. 64, fide fig.! p. 121; *Oxyacanthus* sive *spina acuta* Dodon. 1583 c. fig.

Folia profunde 3—5 fida, laciniis acutis, serratis, infimis subdivergentibus. Laciniae calycis lanceolato-acuminatae. Flores monogyni, stylo etiam in fructu! curvato. Pedicelli glabri. Calyces basi villosi! in fructu calvescentes. Pomum oblongum! monopyrenum.

C. monogyna Jacq. Austr. 1775, tab. 292, fig. 1 ex icone et desriptione (nequaquam contradictoriis, ut Koch asseverat) a nostra differt: fructibus globosis et calycibus basi glabris. *C. monogyna* Fingerh. pomis globosis, stylo recto, calycibus glabris v. ciliatis, laciniis ejus reflexis, sec. cel. Fries esset *C. Oxyacantha* L. sec. spec. Upsal. in herb. norm. IX, 45, at verum quoque, Linnaeum species Recentiorum non distinxisse, ut synn. et proventus plurium in Suecia docent. *C. Oxyacantha* Jacq. l. c. fig. 2! ab omnibus his dignoscitur: foliis obtuse 3—5 lobis, laciniis calycis ovatis acutis, floribus 1—3 gynis, pomo oblongo, 1—3 pyreno; haec potissimum planta Linnaei videtur et unice quoad descriptionem „flores digyni, folia obtusa".

In ripa ingrica fl. Narowa ad cataractam rarissime, copiosius in parte adversa esthonica arbusculae orgyiales et majores in conspectum veniunt (R. in Bull. Acad. 1854, p. 215 s. *C. monogyna*). Fine Maji tantum gemmis, medio Julio omnino deflorata, fruct. semimaturis; maturi in annum sequentem persistunt. ♄.

Obs. Omnino dubium adhuc, an huc referenda sit: *C. Oxyacantha*, indicata: ad fluvium Luga (Georgi 1790, n. 306; Sobol. Petr. 1799, p. 114, n. 323; ed.

ross. I, 1801, p. 333, n. 335); descriptio apud Sobol. nisi mutuata, *C. Oxyacantham* Jacq. indicaret; ceterum locus facile fidus, nam e relationibus D. Barszczewski ad. fluv. Mschaga circa rivulum Lutinki in limite austr. orient. gub. Petrop. *Crataegus* quaedam crescit.

(C.) COTONEASTER.

Nomen *Cotonaster!* s. *Cydonago*, similitudinem quandam cum arbore *Cydonia* sive *Cotonea* exprimens, primum apud Gesner 1577 obvenit pro specie nostra, nisi valde affini *C. tomentosa* Lindl., ut J. Bauhinus ex autopsia docet. C. et J. Bauhino praecessoribus Medicus genus *Cotoneaster* proposuit, a recentioribus adoptatum. Est etiam *Chamaemespilum* Gesner 1561, *Epimelis* Dalechampii, qui Dioscoridis vult et *Mespilum Anthedon* Theophr. (fide C. Bauh.), sed cl. Fraas quaerit, an potius sit λακάθη aut λακάρη Theophr.; conf. supra, p. 294.

(**221.**) *C. vulgaris* Lindl. = *C. Bauhinorum* Rupp. 1718 (in indice!) sed *Cotoneaster* J. Bauh. 1650 c. fig.! e descr. potius *C. tomentosa* est, quam Bertoloni ne varietate quidem diversam agnoscit = *Mespilus Cotoneaster* L. Suec.! = *Cotonaster* II. C. Bauh. 1623 et herb.!, = *Chamaemespilus Gesneri* Clus. 1583, 1601 c. fig.! sed *Chamaemespilum* Gesner Append. ad Cord. 1561 c. fig.! a C. Bauh. ad *Ch.* III (quae ex herb. ejus: *tomentosa* est) ducitur = *Cotonaster* s. *Cydonago* Gesner in epist. 1562 editis 1577, p. 91 *b.* (fide C. Bauh. — Gesner in epist. sui oblitus, sibi ipsi contradixit: J. Bauh.)

Calyx glaber. Pedunculi pubescentes. Petala albo-rosea. Fructus rubri, dein sanguinei, nutantes. Folia ovalia, ovata et late elliptica, supra viridia glabra, subtus albo-tomentosa. — Cum specc. e planitie Germ. med. et ex Åbo non bene convenit et saltim var. *haematocarpam* refert (in Suecica typica fruct. cinnabarini sec. Wah-

lenberg); folia majora, subtus densissime et crasso-tomentosa, pedunculi plerumque longiores; nuculae 2 ad commissuram planae vel 3 obtusangulae, nec 5 (ut Linné descr.).

In praeruptis circa Narwam: D. Knorre; in fissuris munimenti antiqui Isborsk pr. Pskow (Germann 1807, p. 89 s. *Mesp. Coton.* L.); in fruticetis pr. Narwam (Weinm. Pawl. 1824, p. 231 s. *Mesp. Cot.* L.); vulgatissima in praeruptis ripae ingricae versus cataractam fl. Narowae; sed etiam in pineto sabuloso ad ostia Narowae non raro occurrit (R. in Bull. Acad. 1854, p. 215). Floret a fine Maji; medio Julio fruct. mat. et flor. ultimis. ♄.

CI. MALUS.

Malus Virgilio arbor est, quae mala fert. Differunt mala a pomis, quia poma sunt generale nomen omnium paene fructuum, qui ex arboribus sunt et nuces duros quoque comprehendunt, quae pomum intus habent (Macrobius, grammaticus saec. V). Graecis, si nullum adjectivum addatur, *Malus* μηλέα et *malum* μῆλον Aeolice, Jonice μᾶλον nominatur. Derivatur autem μῆλον a verbo μέλω = curo, sollicitus sum, ut *Malus* a verbo „malo". Dioscorides genus praesens distinguit ut *Mala vulgaria*, quae iterum sunt: *verna*, *melimela*, *epirotica*, *sylvestria.* Theophrasto sunt *Mala* tam *sylvestria*, quam *urbana.* Plinius *Malorum* celebratarum genera 29 recenset (C. Bauh.) Patres omnes, C. Bauh., Tournef., Miller, Mönch, Desf., Poiret, Loisleur, Decandolle 1815, Spach aliique genus a *Pyro* diversum habent; Linné et recentiorum plures cum eo conjungunt, diversum tamen subgenere agnoscunt.

222.) *M. sylvestris* Plin.; Trag. 1552! Camerar! Tabern. c. figg. bonis! C. Bauh.! et plurr. usque ad Miller 1768! Mönch. = *Pyrus Malus* α. *sylvestris* L. (in Scandinavia ex Fries fere solum malis acidis).

Folia ovata, obtuse serrata, breviter acuminata, pe-

tiolo saltem duplo longiora. — Frutex 2 orgyialis et humilior, raro arborescens. Fructus austeri (*M. acerba* Merat 1812, Dec.), interdum rubro-suffusi, magnitudine paulo variant in diversis individuis. Formas spontaneas sequentes observavi: 1) arborescens, inermis, foliis glaberrimis majoribus (Lotschkina, Lembalowa); 2) spinosissima, foliis glaberrimis minoribus (Ilsho cum 3 et 4, pariter frutescentibus); 3) inermis, foliis subtus sparse pubescentibus; 4) ramis inferioribus spinosis, foliis subtus incano-tomentosis; 5) spinosissima, pygmaea, humi procumbens, foliis minoribus, subtus sparse puberulis (Lotschkina).

In circulo Karelico (Georgi 1790, n. 308 s. *Pyro Malo* ut seqq.); in sylvis vicinis circulo Careliensi; Majo, Jun. (Sobol. Petrop. 1799, p. 115, n. 325; ed. ross. I, 1801, p. 337, n. 337); in sylvis frondosis Lissinae, Majo (Weinm. Petrop. 1837, p. 51, n. 345; ibi tantum in hortum translatam vidi: R.); in isthmo Kareliae v. g. inter Dranischnikowa et Lembalowa ad pagos forte plantatae, nisi residuae potius arbores magnae (R. Diatr. Petr. 1845, p. 28) et in finitima paroecia Rautus (W. Nylander Fl. Karel. 1850, p. 144), nec non in paroec. Kaukola in sylvis certius spontanea (af Tengström in litt.!); sponte etiam circa pagum Ilshó pr. Gorodetz in fruticetis, secus vias, nec non versus limites aust. occid. gubernii circa Soltza et Lotschkina (R. in Bull. Acad. 1854, p. 223). Ceterum nullibi propius ad Petropolin accedit, nisi valde hebetata in monte Duderhof (teste A. Bode Holzgew. Eur. Russl. 1851, p. 58). Relatam adhuc audivi e Tjossowo ad fl. Oredesh, Arbonje, Woronina, Koporje et circulo Novo-Ladogensi. Floret fine Maji; initio Julii et Augusti fruct. fere maturis inveni. ♄, ♄.

CII. SORBUS.

Sorbus Romanorum (Cato, Varro, Plin. Col.) est praecipue *S. domestica* L., in australioribus locum simillimae *S. Aucupariae* occupans. *Sorbus* dicitur, quod fruc-

tus ore absorbeatur vel potius quod acidulae sorbitioni parandae inserviat; arbor Theophrasto audit ὄη et οὔη, quod fructus ὄον, οὖον oviformes sint. Plinius *Sorbum* triplicem distinguit quoad formam fructus pomiformem (*Aucuparia?*, *domestica* var. *pomifera* Rchb.?), pyriformem (*legitima* Clus. s. *domestica* L.) vel ovatam et quartam *S. torminalem* addit. Genus, ut Reichenbach et Fries monent, naturalissimum, Cordo, Lobelio et Clusio melius circumscriptum, quam C. Bauhino, Tournefortio et Linnaeo qui species integrifolias sub *Crataego* collocavit. Gärtner, Ehrhart, Smith, Decandolle et plures recentiores immerito cum *Pyro* conjungunt.

223. *S. Aucuparia* Cord. 1561! Clus. 1583! Thal. J. Bauh. L.! (quia praestat ad aucupia propter baccas ab avibus praedilectas) = *S. sylvestris* Matth. 1562, Lobel. 1576 fig. bona! ut apud Camer. 1586! et Tabern! = *Fraxinus Aucuparia* Gesner 1553!

Fructus globosi. Gemmae tomentosae, non glutinosae. Folia pinnata, glabra, juniora plerumque villosa. — Variat foliolis duplicato-serratis.

In sylvis frondosis et nemoribus; ubique ad pagos et in hortos translata. Floret a fine Maji v. init. Junii per mensem; fruct. mat. fine Aug. ♄.

Hist. spec. Katherinhof (Deschisaux 1725, p. 8 ex syn. J. Bauh.); inter Petrop. et Twer ubique, fr. mat. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 142 ex syn. J. Bauh.); in ins. Crucis! sponte et copiose; in ins. Basilii! (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 124); passim in sylvis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 78; Sobol. Petrop. 1799, p. 115, n. 324 et ed. ross. I, 1801, p. 335 n. 336); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795; ibi tantum in hortis vidi!); in sylvis solo humido, floret Majo, fruct. mat. Sept. (Liboschitz et Trin. Fl. Petrop. et Mosq. 1811, p. 4. tab. II); in sylvis et ad pagos (Weinm. Pawl. 1824, p. 230); ubique (Turcz.! 1825, n. 317); in sylvis humidis (Weinm. Petrop. 1837, p. 51, n. 344 s. *Pyro Aucup.*

Smith); in sylvis primaevis ad Lissino, Lapuchinka etc., an quoque substrato syst. sil. recentioris?

CIII. AGRIMONIA.

Nomen *Agrimonia* primum obvenit apud Cornel. Celsum (de medic. lib. 5, c. 27, n. 10), qui herbam adversus ictus serpentum commendavit. Traditione forte ad aevum medium pervenit. Sunt vero, qui ab *Argemones* voce depravata ortum contendant, opinionem suam fulcientes verbis Dioscoridis ad finem § de *Eupatoria*. Aliis quoque videtur Plinii *Argemonia* in arvis nascens, cujus radix *Thus* redolet. Fere omnes patres saltem in eo conveniebant, esse *Eupatoriam* veram Antiquorum, quam nomen habere volunt a rege Mithridate, cognomento Eupatore, quare Plinius: *Eupatoria* regiam auctoritatem habet. Dicitur etiam Oribasio ἡπατώριον et ἡπατῖτις, quod hepati potissimum medeatur. Linnaeus utrumque nomen combinavit. *Eupatorium* Tournef. et recent. Fuchsio jam *adulterinum* audit et cum descriptione veterum tantum e foliis *Cannabinis* similitudinem ostendit, sed minime e caule hirsuto (Plin.), thyrso unico tenui recto, cubitali, cui jam a medio caulis semen adnascitur subhirsutum et ita deorsum inclinatum, ut etiam siccatum vestibus inhaerescat.

224. *A. Eupatoria!* Linné!, Mill., Ledeb!, C. A. Meyer monogr. 1842! = *Eupatorium Dioscoridis* Gesner 1561! = *Eup. vulgare* Trag. 1552 c. fig.! = *Eupatorium* Fuchs 1542 fig. bona! Dodon. 1553 c. fig.! = *Agrimonia officinarum* Ruell. 1537! Tourn. Rupp. Dill. Boerh. Vaill. = *Agrimonia* (Cels.?) Brunf. 1536 c. fig.! Dodon. 1583 fig. bona! et plurr. patr. = *Eupatoria* Plin. (freq. Romae et in Italia) = εὐπατόριον Diosc., Galen.

Foliola supra adpresse pilosa, subtus molle et incano villoso-tomentosa, basi rotundata, serraturis utrinque

6—8. Petala fere 2 lin. Calycis fructiferi setae exteriores patentes. — Variat caule breviore, fere aphyllo.

In collibus apricis, ad ripas fluv. calcareas, rarius in fruticeta aberrans; copiosissime et ubique in reg. elevata Fl. Petrop. substrato calcareo syst. silurici inf. et sup. usque ad cataractas fl. Wolchow, Lapuchinka, Jamburg et Polja; solo calcareo syst. Devonici v. g. pr. Gorodetz et ad lacum Tscheremenetz; deest pluribus Ingriae plagis et isthmo Kareliae; in reg. demissa rarissime (Schlüsselburg). Floret ab initio Julii usque ad finem Aug.; fr. mat. ab initio Sept. ♃.

Hist. spec. In sylvis passim, sed non admodum frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 76); Strelina ad margines sylvarum, frequentissima in monte Duderovo (Sobol. Petr. 1799, p. 111, n. 317; ed. ross., I, 1801, p. 322, n. 329; cum var. β. *odorata*); in fruticetis et ad agrorum margines (Weinm. Pawl. 1824, p. 230 cum var. β. flore minore, quod *A. pilosam* indicat, tunc fere ignotam); in montosis Pulcowae et Duderowo (Turcz! 1825, n. 312); in graminosis siccioribus elevatioribus (Weinm. Petrop. 1837, p. 50, n. 340).

225. *A. pilosa* Ledeb! 1823, 1830 opt.! Rchb.! 1825 Iconogr. fig. 414 opt.! e Witebsk et Dahur. C. A. Meyer 1842! = *A. dahurica* hort. Fischer et Willd. herb. ex Reichb. 1825 et Decand. 1825 bene descr.

Foliola supra glabra, subtus minus discoloria, fere nitentia, solum in nervis et venis pilosiuscula, serraturis utrinque 4—6, basi cuneata integerrima. Petala $1-1\frac{1}{2}$ lin. Calyx fructifer minor, setis omnibus arrectis, conniventibus. — Habitu tenuiore, glabritie, foliis angustioribus et acutioribus, utrinque viridibus, floribus minoribus a priori dignoverunt primi inventores.

In fruticetis prope Nicolaewsky (Nikolskoje!), Paeselowam; Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 50, n. 341); in isthmo Kareliae ad pagum Orowa pr. Koltuschy (Kubarkin herb.!); Pulcowa (D. Weiss!); Duderowo in sylva montosa; ceterum in sylvis frondosis et fruticetis

Ingriae fere totius parce: Lampowo inter Oredesh fl. et lacum Orlino (Faldermann!), pr. Gorodetz, ad lacum Tscheremenetz pr. Nawolok, fl. Lotschkina et Sholtscha copiosius, pr. Jamburg et ad cataractas fl. Wolchow. Floret initio v. medio Jul.; fine Julii plerumque deflorata, rarius init. Aug. flor. ultimis; fr. mat. primi interdum fine (20) Julii; multo celerius igitur antecedente cyclum fructificationis absolvit. ♃.

CIV. ALCHIMILLA.

Vox aevi medii, apud Dorstenium et Tragum primo obveniens pro *A. vulgari*, in Alchimistarum praeconiis celebrata (Lobel. C. Bauh.). *Alchimilla* a Tournefortio, Hallero et Reichenb. scribitur; nemo ante Linnaeum *Alchemillam* appellavit, neque hic ipse in horto Cliff. Genus Tournefortio jam purum.

226. *A. vulgaris* Clus. 1601. c. fig.! C. Bauh. L. *Alchimilla* Dorsten. 1540, c. fig.! Trag. c. fig.! Lobel. c. fig.! et plur. patr. = *Herba vulneraria* Brunf. 1531, nomen ab ipso 1536 mutatum in *Pes leonis* c. fig. bona!

Stam. 4. Ovarium et stylus 1. Folia radicalia reniformia, ad $1/3$ partem 7—9 loba, lobis semiorbiculatis vel ovatis, circumcirca serratis. — Summopere variat magnitudine omnium partium et indumento, rarius lobis basi non serratis. In humidioribus et umbrosis plerumque major glabrescens (*A. glaberrima* Schmidt 1794), in siccioribus saepe minor, foliis mollibus subsericeis: β. *subsericea* Koch (non Gaud.) = *A. montana* Schmidt, Willd. = *A. alpina* β. *hybrida L.* sec. cit. Pluken. Phyt. 240 fig. 1!, nisi alpibus solum adscriberet. Haec forma interdum (in m. Duderhof) provenit foliis ad medium! usque fissis et lobis basi integerrimis, ut fere media sit inter *A. fissam* et *vulg.* δ. *subsericeam* Gaud. (Rchb. exs. n. 1476!)

In graminosis hortorum et sylvarum, campis sterilibus vel pratis fertilibus, montosis vel demissis, secus vias

et fossas, in umbrosis v. apricis, ubique vulgatissima planta. Floret a fine Aprilis v. Maji usque ad init. vel imo finem Octobr., frigus -2^0 R. sine noxa ferens. ♃.

Hist. spec. Ubivis ad ductus aquarum et in pascuis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 24); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1793); ubique in pratis et sylvis cultis copiosissime; β. minor: in pratis et pascuis siccioribus montosis (Sobol. Petr. 1799, p. 40, n. 121; ed. ross. I, 1801, p. 142, n. 127); abundat in graminosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 75); ubique (Turcz! 1825, n. 112); in pratis et pascuis (Weinm. Petr. 1837, p. 19, n. 116).

Fam. XXXI. EPILOBIACEAE.

Char Calycis tubus germini adnatus; limbi laciniae liberae, aestivatione valvatae, plerumque deciduae. Petala aestivatione contorta v. imbricata, ad faucem tubi inserta. Stamina tot, quot petala, aut numero duplo v. dimidio. Stylus 1; stigma capitatum v. fissum. Ovarium inferum, 2—∞ loculare, placentis centralibus. Capsula plerumque dehiscens, rarius (in *Fuchsia*) baccata. Semina exalbuminosa; embryo rectus. — Herbae, interdum (*Fuchsia*) frutices. Folia exstipulata, simplicia. Flores axillares solitarii vel racemosi, saepe fugaces.

Affinitas manifesta cum *Lythrarieis*, a quibus germine infero facillime dignoscuntur. Mediante *Fuchsia* *Grossularieis* accedunt.

Qual. et usus. In plerisque tantum mucus et substantiae indifferentes inveniuntur. *Chamaenerii maximi* radix sub terra exserit stolones copiosissimos albos crassos esculentos (Linné); folia ad infusum theatum plebi

inserviunt et non raro adulterationes obveniunt cum *Thea sinensi;* seminum coma in fila ducitur. ***Pseudo-Oenotherae virginianae*** radix amoene dulciuscula, valde nutriens, alibi nomine *Rapunculi lutei* s. *Rhaponticae* in acetariis colitur et cum oleribus coquitur.

Genera indigena.

CV. EPILOBIUM. Semina longe comosa. Caps. 4 locul. ∞ sperma, inter (nec ad) angulos in valvas 4 medio septiferas ab apice ad basin fere usque dehiscens. Petala 4. Stam. 8, alterna breviora! — Genus collectivum! e duobus optime diversis compositum, quod jam Linnaeo suboluit.

* CHAMAENERION. Flores subirregulares, porrecti, phasibus destituti; petala integra. Stamina declinata. Stylus denique uncinato-recurvus; stigm. 4 fidum. Cal. tubus ultra ovarium non productus. Folia omnia sparsa. — Figura et situs petalorum respondet *Clarkiae rhomboideae.*

** EPILOBIUM. Flores regulares infundibuliformes, phasi diurna; petala biloba. Stamina cum stylo erecta. Stigma clavatum v. 4 fidum. Cal. tubus (ultra germen) brevis. Folia, saltem inferiora, opposita.

⁂ (PSEUDO-) OENOTHERA. Semina calva. Capsula ad angulos dehiscens. Cal. tubus ultra ovarium manifeste productus. Reliqua *Epilobii.*

CVI. OCIMASTRUM, false CIRCAEA. Flores exactissime dimeri. Cal. limbus bipartitus. Cor. dipetala, petalis bifidis. Stam. 2, petalis alterna. Stylus filiformis, stigm. emarginato. Caps. 2 locularis, indehiscens, loculis 1-spermis. Semina erecta.

CV* CHAMAENERION.

Nomen a Gesner 1561 introductum propter similitudinem quandam foliorum cum *Nerio* sive *Rhododaphne* Plinii; hinc *Rhododaphne pumila* Gesner 1553. Ab

Epilobio nondum quidem strenue segregavit Gesner, unice tamen speciem nostram ut typum consideratam voluit, ut ex etymologia data et verbis ipsius patet „*Epilobii* V-tam speciem depictam privatim *Chamaenerion* (in indice *Chamaenerium*) nuncupare libet.“ Hoc sensu quoque nomen a Lobelio 1576, Thalio 1588, Beslero et C. Bauhino magis fixum. Genus *Chamaenerion* Tournefortii diversum est et *Epilobio* Dillenii et Linnaei plene respondet; quadem (at non absoluta) prioritatis lege a Boerhaave, Schreber 1771!, Scopoli 1772!, Mönch 1794! 1800!, Salisbury, Gray et al. contra nomenclaturam Linnaei sustentabatur. At cum tanta adsit differentia inter *Epilobia* Gesneri, jam a Linnaeo in duas sectiones rite divisa, recentiores auctores omnes non solum subgenera: *Chamaenerion* Tausch, Seringe in Dec.! et *Lysimachion* Tausch, Ser. in Dec.! (non Rchb., minime Diosc.) sive *Epilobia* vera agnoscunt, sed etiam G. Don in Sweet 1839 et Fries omni jure ut genera diversa admittunt, quo pacto difficultates omnes solvuntur et nomenclaturae utriusque generis jus suum historia sancitum plene redditur.

227. *Ch. maximum* = *Ch. angustifolium* Scop. Fries (non C. Bauh., Tournef.) = *Ep. angustifolium* L. Suec. excl. syn. C. Bauh. ex quo nomen pendet, quod vero *E. rosmarinifolium* Hänke in Jacq. refert; omnes patres post C. Bauh. et ante Linnaeum hoc *angustifolium*, vulgare nostrum *latifolium* naturae adprime dixerunt; quare: = *E. latifolium* Roth (non L.): = *E. spicatum* Lamarck 1778 (sed flores numquam spicati): = *E. Gesneri* Vill. 1779, All.; = *Ch. latifolium vulgare:* Tournef. = *Ch. Gesneri* (non Lobel. 1576) Thal. 1588! Bry 1612 tab. 42 icon prima bona! = *Epilobium* V, privatim *Chamaenerion* Gesner 1561!, fig. fallax, descr. bona; icon Gesneri ed. Schmidel 1770 tab. 21, fig. 70 opt.! = *Antoniana herba maxima* s. *filius ante patrem maximus* (4 v. 5 cubitorum) Gesner 1561! 1553!

Folia lanceolata, subintegerrima, subtus discoloria venosa. Flores pulchre purpurei, rarius pallide rosei (alibi etiam albi), in racemis terminalibus bracteatis, interdum anomale foliaceis. Petala variant 4—7 lin. Ludit quoad locum pedale, foliis parvis angustioribus, 3 lin. latis; aut orgyiale et majus, foliis magnis, longissimis, pollicem fere latis.

Ubique ad margines sylvarum, ad fossas secus vias recenter structas, in locis exustis, arenosis sterilibus, generatim culturae vestigia in sylvis presso pede sequitur et ingenti quantitate. Floret a medio v. fine Junii ad medium Augusti aut rarius med. Sept.; fine Aug. plerumque deflorata, fruct. mat. ♃.

Hist. spec. Inter Ischoram Newae et nowij pristan m. Aug. flor. et fruct. (Gmel. mss. 1733, n. 70 s. n. *Chamaenerion vulgare* Tourn.); in insula Petri circa piscinam copiose, sed nusquam tanta copia, quam ad ductum aquarum Ladogae (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 57 s. *Epil. angustif.* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in sylvis montosis, uti Pargelovii! et Sarscoselii!, tumque in insula Petri et in multis hortis oleraceis copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 87, n. 248; ed. ross. I, 1801, p. 264, n. 260); abundat in locis graminosis siccioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 185); ubique (Turcz. 1825, n. 244); in locis sterilibus, sylvaticis et ericetosis abunde (Weinm. Petr. 1837, p. 40, n. 268).

CV** EPILOBIUM.

Nomen *Epilobium* s. *Epilobion* a Gesnero 1561 introductum, quasi ἴον ἐπὶ λόβου, viola s. flos supra siliquam; prius teste Ruellio ab Italis praesertim *filius ante patrem* (i. e. fructus ante florem) vel in Germania inferiori *herba St. Antonii* appellata, quod morbo epidemico saevissimo tunc temporis regnanti „igni sacro" dicto medeatur. Non Dillenio, sed Gesnero auctoritas generis, antea et posthac cum *Lysimachia* confusi, debetur, cujus species 6 cognovit. Multo serius Dodonaeus 1583

Pseudolysimachium, Caesalpinus 1583 et Dalechamp 1587 *Onagram* dixerunt.

228. *E. hirsutum* α. Linné spec., Schreb. = *Cham.* s. *Epil.* IV, *Antoniana major hirsuta* Gesner 1561! c. fig.! apud Schmidel 1770 = *Lysimachia purpurea* Fuchs 1542 c. fig.! apud Dodon. 1553 repetita.

Herba tota molle villoso-hirsuta. Caulis teres, ramosissimus. Folia amplexicaulia, basi foliacea ad caulem brevi decurrentia, late lanceolata, margine inaequaliter denticulato-serrulata. Petala 6—8 lin., saturate purpurea. Stigma 4-fidum. Semina obovato-oblonga, $^4/_{10}$ lin., obtusissima, papillis angustis hirsuta. Innovatio per stolones longos, crassos, subterraneos. Variat foliis angustioribus, lineari-lanceolatis, serraturis patulis (non inflexis).

In fossis, secus rivulos et ductus aquarum Petropoli rarius et fere solum in regione elevata substrato calcareo syst. silurici (Zarskoje Selo, Ropscha, Lapuchinka); ceterum hinc inde per Ingriam utplurimum copiose, v. g. in declivibus calcareis circa scaturigines ad ripas fl. Wolchow prope cataractas, et ad Wassilkowa; locis consuetis ad fl. Luga pr. Gorki et circa fl. Oredesh pr. Whyra et in agris siccis inter *Avenam* ad Orlino; Lotschkina in sylvis primaevis turfosis; pr. Narwam in fossis. Floret ab initio Julii v. serius in Augustum; fruct. mat. ab initio Aug. Radix plerumque ⚨, sed per innovationes ♃, longaeva; e seminibus educatum primo anno non floret, nisi in solo pingui; aliter species sequentes.

Hist. spec. Ad ductus aquarum non procul a Sarscoje Selo! vulgaris planta est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 57); ad vias et ductus aquarum prope montem Pulkowa et Sarskoje Selo vulgar. pl. est (Sobol. Petrop. 1799, p. 87, n. 249), et alibi, in locis humidis (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 265, n. 261); in subhumidis (Weinm. Pawl. 1824, p. 185 s. *Ep. grandifloro* Roth); ad stagna et canales v. g. prope arcem St. Petri et Pauli, in insula apothecaria (Turcz.! 1825, n. 245); in fossis

semiexsiccatis, inter arundineta et frutices (Weinm. Petrop. 1837, p. 41, n. 289).

229. *E. parviflorum* Schreber 1771! = *E. pubescens* Roth 1788, Willd. 1799! (superflue) = *E. hirsutum* β. Linné Spec. pl. (non Fl. Suec. ubi α et β. inverse positum) = *Lysimachia siliqua hirsuta parvo flore* C. Bauh. 1620! et herb! conf. Hagenbach = *Lysim. fol. hirsuto flosculo parvo* J. Bauh. font. Boll. 1598 et 1651! = *Epilobium* s. *Chamaen.* III Gesner 1561!

Proxima ex indumento et ceteris characteribus (etiam semine) praecedenti, sed caulis minor, simplicissimus. Petala 2—3 lin. laete purpurea. Folia sessilia, lanceolata, denticulata, inferiora interdum breve petiolata. Innovatio hyemalis per rosulas radicales solubiles subfoliaceos; non confundatur cum hac innovatio aestivalis et autumnalis per ramulos radicales fugaces. Specimina e seminibus enata humiliora sunt et folia latiora, fere ovata exhibent, e turionibus vero folia angusta stricta, erecta.

Petropoli tantum circa m. Duderhof in pratis turfosis parcius 1852 detex. D. Borszczow; copiosius cum *Carice remota* in palude quadam scaturiginosa ad fl. Pljussa inter Polja et Gawrilowskoje; item sat copiose ad scaturigines in ripa sinistra fluv. Wolchow circa cataractas (R. in Bull. Acad. 1854, p. 222, 213; Mélang. p. 91, 78). Floret toto m. Julio ad medium Augusti m.; fruct. mat. a medio Julii. ⊙ e seminibus, ♃ e turionibus, quorum ope per aliquot annos propagatur.

Hist. spec. Indicationes suspectae aut potius erroneae: Petropoli (Rudolph ex Georgi 1790, n. 235; at locus specialis non additus pro planta rarissima, quam H. Mertens in mss. 1823 adhuc in votis habuit); in monte Pulcova et Manachtinae locis elevatis siccioribus (Sobol. Petrop. 1799, p. 88, n. 250; ed. ross. I, 1801, p. 266, n. 262, at ibi nemo posthac vidit et planta vix in siccioribus crescit); in subhumidis (Weinm. Pawl. 1824, p. 186, at serius ab ipso omissum in Enumer. 1837).

230. *E. montanum* L. (nomen ex Rudbeck) = *Pseudolysimachium purpureum primum* Dodon. 1583 fig. bona! eadem apud Lobel. 1576! et Clus. 1601! = *Lys. siliquosa* (Lobel. 1576) *major* Clus. 1601! = *Epil. s. Cham.* I Gesner 1561 (sec. Haller et Schmidel).

Caulis teres, pube minuta crispula tectus, sine lineis, subsimplex. Folia ovata, basi lata fere cordata sessilia vel brevissime petiolata, pleraque opposita (inaequaliter dentato-serrata). Petala 3—5 lin. purpurea. Stigma 4 partitum. Semina $^5/_{10}$ lin. longa, $^3/_{20}$ lin. lata, anguste cuneata, obtusa, pallida, papillis grossis sat prominentibus tecta. Innovatio aestivalis per ramulos suprabasilares et axillares, per turiones ex auct. (Fries et Godron) nulla; at suspicor, adesse veram autumnalem *E. origanifolii* (ut in fig. Lobelii) per rosulas sessiles hypogaeas, crassas, squamosas, quas initio Aug. in radice praeformatas vidi. Cel. Griesebach rosulas serotinas foliis erectis ellipticis indicat.

Petropoli et in tota fere Ingria frequens, sed plerumque parce; in nemoribus et fruticetis, umbrosis hortorum optime forma robusta; minor magis in cultis et ruderatis. Floret et fructif. Julio, rarius ante finem Junii v. initio Augusti. ⊙, ⚨, per innovationes ♃, sed haud longaeva.

Hist. spec. In ripis umbrosis Newae! fl. non raro occurrit; crescit et ad ductus aquarum, sed parce (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 57; in Ind. mss. Krasch. 1749, n. 352: nempe insulae Basilii, sed rarius); in montosis umbrosis, uti in m. Pulcova! et ad ripas arenosas Nevae fluvii (Sobol. Petr. 1799, p. 88, n. 251; ed. ross. I, 1801, p. 266, n. 263); Petropoli (Longmire 1823, p. 193, addita est var. *rubens*); in nemoribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 185); ubique (Turcz. 1825, n. 246); in fruticetis humidiusculis siccioribusque (Weinm. Petrop. 1837, p. 41, n. 270).

231. *E. collinum* Gmelin 1826! = *E. montanum*

β. Decand. 1815! = *Lysimachia minor* Tabern. 1590 fig. bona! formae annuae.

Singulis partibus quadruplo minus, quam *E. montanum* typicum (unde β. *minus* Wimmer et Grab. 1827); magnitudo ceterum discrimen absolutum non suppeditat, nam datur heic etiam *E. montanum* minus et imo pusillum lineis obsoletis in internodiis infimis (R. Petr. 1845, p. 56). Cultura autem diversitatem speciei ab *E. montano* docet et constantiam characterum magis habitualium, quam artificialium. Folia caulina fere omnia alterna, laetius viridia, numerosiora, confertiora, fere imbricata, saepe purpurascentia, quidpiam angustiora, basi ovatâ subsessilia; petala 2—3 linealia. Ita facies specimінum ⚨ e rosulis enatorum. E seminibus educatum caule saepe ramosissimo et foliis longe petiolatis, majoribus, sparsioribus insigne; ejusmodi specimina differunt ab *E. roseo:* foliis basi late ovatis, rotundatis, lineis in caule nullis et stigmate. In *E. collino* omnino innovationem eximiam autumnalem observavi per rosulas plures, magnas, radicales, arcte sessiles, illis *E. origanifolii* et *E. tetragoni* intermedias; rosulae istae vere anni sequentis explanantur et in caules floriferos excrescunt, propriis pedibus fultos, autumno cum radice emortuos. Semina *E. montani*, sed paulo minora, crassiora, interdum vix $^4/_{10}$ lin. longa, $^4/_{20}$ lin. crassa, papillis paulo minus prominentibus.

Petropoli passim (R. Diatr. 1845, p. 56), in campis elevatis, sterilibus, apricis, siccis: Pargola, Ilkina, Spankowa, Arbonje, Lapuchinka, Lissino, Staraja Ladoga, ad pagum Retjun pr. Gorodetz cum *Helichryso* et *Jasione;* aberrans in saxa et moenia urbis Kronstadt. Floret Julio et initio Aug., rarius fine Junii; fruct. mat. a medio v. fine Julii. ⊙, ⚨, rarius trienne.

232. *E. roseum* Schreber 1771 optime! = *E. minus flore albo* Schmidel 1770, tab. 20, fig. 73 bona! = *Lysimachia siliquosa flore albo* Tabern. 1590 fig. bona! = *Epil.* s. *Cham.* II, flore albo Gesner 1561 (obiter).

Habitus *E. montani*, a quo sequentibus notis utplurimum facile dignoscitur. Folia oblonga v. lanceolata, inferiora opposita, basi sensim in petiolum longum angustata. Caulis in internodio quolibet lineis prominentibus 4, e marginibus foliorum superiorum decurrentibus et mox in 2 conjunctis angulatus; tamen in specc. tenerioribus hae lineae obscurae sunt. Flores tantum 2 lin. rosei, virginei albidi. Stigmata in clavam coalita (interdum indicantur denique partita). Semina *E. montani*, sed obovata, fere duplo crassiora, $^5/_{20}$ lin. lata. — Folia superiora saepe cordata sunt, sed distincte petiolata. Primo aspectu *E. roseum* ab *E. montano* recedit: petiolis foliorum facile visibilibus, non nisi ramulis axillaribus junioribus obtectis; in *E. montano* petioli inquiri debent et axilli nudi sunt. Caulis purpurascens ne varietatem quidem facit; in specc. robustis adest linea ex nervo medio folii in caulem decurrens.

Ad fossas obumbratas, in fimetosis, Petropoli praecipue in insulis Newae fl.; ad fl. Luga pr. Jamburg; in pratis humidis virgultis ad lacum Peipus pr. Samogilje. Floret et fruct. medio Julio v. serius ad finem Aug. v. Sept. ⊙ ⚨; innovatio sero autumno *E. origanifolii*; sec. cl. Griesebach eadem ac *E. montani*.

Hist. spec. In nemoribus humidiusculis parce (Weinm. Petrop. 1837, p. 41, n. 271).

Adnot. E. tetragonum L. in montibus Duderhof (Turcz. 1825, n. 248); pariter in mss. H. Mertens Petrop. indicatum 1823, forte *E. roseum*, utrisque desideratum, interdum caule purpurascente et lineis non confluentibus obveniens. Folia lineari-lanceolata, in medio caule sessilia decurrentia, in rosulis autumnalibus ligulata, cruciatim posita et semina lepidoto-incana diagnosin suppeditant.

233. *E. palustre* L., Whlbg. = *E. glabrum angustifolium* Dillen. 1719, C. Bauh. 1623! sub *Lysim. siliq.* = *Lys. siliq. palustris* Schwenckfelt 1600? = *Lys. siliq. minor* Tabern. 1588, 1590 fig. opt.!

Innovatio aestivalis per stolones filiformes internodiis elongatis ex axillis foliorum inferiorum provenientes autumno apice rosulam carnosam conglobatam, squamosam dein a matre solutam ferentes. Caulis teres pubescens, pilis crispulis adpressis, vel glaber, lineis nullis v. obscuris. Folia opposita lanceolata, integerrima (Linné) vel obsolete denticulata, sessilia v. brevissime petiolata, superiora alterna. Flores 1—3 lin., purpurei v. rosei, virginei pallidiores v. etiam albi. Stigmata in clavam coalita. Capsula junior albo-canescens. Semina majora et longiora, quam in ceteris speciebus, lineari-oblonga v. lineari-cuneata, versus basin acuminata, $^{7}/_{10}$—$^{9}/_{10}$ lin. longa, laevigata v. subtilissime granulata, facie ventrali non excavata. — Variat quoque foliis angustioribus, caule simplici, foliis opacis pubescentibus vel lucidis glabris, caule pygmaeo, floribus erectis etc. Memorabilius est:

β. *lapponicum* Wahlenbg. 1812! foliis anguste linearibus obtusis, aveniis, integerrimis, internodio distincte brevioribus, caule gracili simplicissimo. Optimum in ins. extimis Newae fluv. (Borszczow!)

In palustribus, uliginosis, ad scaturigines, in pratis humidis, fossis, ubique copiose. Floret a medio Junii v. serius usque ad med. Sept.; fruct. a fine Julii v. initio Aug. ⊙ vel e turionibus ♃, in tertium annum vix perdurat.

Hist. spec. Ubique a Petropoli usque ad Twer, fl. et fr. Aug. (Gmelin mss. 1733, n. 69 s. n. *Chamaenerion* Gerard); in locis udis palustribusque insulae Wasili Ostrow! fl. et fr. Jun. et Jul. (Amman mss. 1735, n. 69 ex syn. Tabern. C. Bauh. et Tournef.); in locis humidis passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 57); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in paludibus et locis humidis passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 88, n. 252; ed. ross. I, 1801, p. 267, n. 264); in locis humidis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 186); ubique (Turcz! 1825, n. 247); ubique in sylvis et aliis locis paludosis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 41, n. 272).

⁂ PSEUDO-OENOTHERA.

Oenothera sive *Onuris* apud Plinium, ὀνόθηρα, ὄναγρα, ὄνουρις apud Dioscoridem, οἰνόθηρον apud Theophrastum, aut οἰνοθηρα, ὄιναγρα, ὄνογραν, ὀνόθουρις e correctione scholiastum, olim, C. Bauhino adnotante, pro *Chamaenerio maximo* habebatur, a cl. Fraas pro *Epilobio hirsuto.* Quo jure, sane quaeritur, nam veterum descriptio, praeter flores roseos (magnos: Diosc.) nil simile offert, ut jam Bodaeus a Stapel monuit. Nullum enim *Epilobium* aut *Chamaenerion* in montosis Graeciae provenit fruticosum, arboris specie, praegrande, folio amygdalaceis latiore, liliaceo simili, radice siccata vinum (οἶνος) olente. Ex Dioscoride asinos feros (ὄναγρος) mansuetos reddit, unde nomen. Patet etiam nomenclatura Tournefortii et Linnaei perversa in constituendo genere americano *Onagra* et *Oenothera.* Sed hic error divisione generis (1835 tentata) apud Fischer et Meyer, nec non apud Spach, pro maxima parte forte tollitur.

⁂ *Ps. O. virginiana* (Hort. ex C. Bauh!, Alpin.! Park. Moris. Raj. Volkam.) = *Oenothera biennis* L. = *Onagra latifolia* Tournef. = *Hyosciamus virginianus* Alpin. 1627! fig. rudis = *Lysimachia lutea corniculata* C. Bauh. 1623! et herb.! = *Lys. virginianae* nomine semina 1619 ex Italia accepit C. Bauh., 1625 ex Anglia Alpinus. Patribus ante C. Bauh. ignota! — Ex Virginia anno 1614 in Europam migravit, asserente Linnaeo; quo teste, non liquet; annum etiam varie indicabat 1617—20. Nunc in arenosis, praecipue circa ripas fluviorum Europae mediae apparenter spontanea et quibusdam locis ingenti copia provenit. Petropoli tantum semel unicum specimen in sylva insulae crucis, lectum est a D. Zobel (R. Diatr. 1845, p. 56 s. *O. bienni*); quare planta hic tantum obiter memoratur, licet indicatam invenio e Helsingfors, Holmhof et Dorpat.

CVI. OCIMASTRUM. (PSEUDO-CIRCAEA.)

Generis *Circaeae* Tournefortii nomen primo apud Lobelium 1576 legitur. Lobelius distinxit inter *Circaeam Monspeliacam* (*Solanum Dulcamara*) et plantam, quam Lutetiani *Circaeam* appellarunt. Haec per Caesalpinum 1583, Dalechamp 1587, Gerard 1597, Besler 1613 et Columna 1616 nomen hodierno sensu recepit. *Circaea* vero Plinii et κιρκαία Dioscoridis tam longe distat, ut cl. Fraas quaerat, an *Cynanchum monspeliacum* sit? floribus albis et statione recedens. *Circaea* vera, ex Dioscoride et Plinio, habet flores nigros, pusillos, folia *Solano sativo* similia, semen parvum in corniculis, radicem dodrantalem, candidam, odoratam; nascitur maxime in apricis saxis. A Circe dicta nonnullis putatur, quod ea in suis veneficiis uteretur vel saltem ejus fuerit inventrix. Vi quadam incantatoria igitur factum est, ut herbula innocens nostra per 3 fere saecula pro *Circaea* vulgo habita fuerit, quare non sine ratione aliqua Pluckenett *Lappulam incantatoriam* dixit. Hinc resuscitandum existimo nomen antiquius Lobeliano et aptius: *Ocimastrum* (*verrucarium*) Gesneri 1561! et J. Bauhini 1651! loco *Circaea* (*lutetiana*) Lobelii 1576 et Linnaei, quo pacto etiam collisio cum antiquiori *Circaea* Tragi 1552 (*Celosia margaritacea?*) tollitur. Est vero *Ocimastrum* herba quasi *Ocimum* referens, ab ὠκύς, quod celeriter crescat, et revera caules recenter enati post 2 menses saepe deflorati reperiuntur. *Ocimastra* porro antiquiora ad nomina sua translata, nam: 1) *Ocymastrum* Fuchs 1542 et Dalech. est *Acinos vulgaris* et ἄκινος Diosc., ut Fuchs jam ipse in iconibus seorsum 1549 editis correxit; 2) *Ocimastrum* Tragi 1552 est *Scrofularia*, quae hoc nomine jam prius apud Brunfels obvenit; 3) *Ocimastrum* Dodonaei 1553 est *Chamaecyparissus agrestis* Trag. 1552! = *Teucrium Botrys* L.; 4) *Ocymastrum* Matth. 1554! et alior. est *Melandryum* Clusii et facile etiam Plinii.

234. *O. minimum* = *Circaea alpina* L. = *Solanifolia Circaea alpina* C. Bauh. 1623! = *Circaea lutetiana minor Danica* Lobel. ed. How 1655 = *Circaea minima* Columna 1616 icon opt.! et descr., Tournef., Rudbeck, Scheuchzer, Linné 1771 = *Circ. sylvatica* Schwenckfelt 1600, at citat: *Helxine sylvestris* Thal. 1588, qui majorem et minorem distinguit, quare pariter ad *O. verrucarium* allegatur.

Herba debilissima, 3 pollicaris v. major. Folia pellucida, tenerrima, late ovata, profunde cordata, repando-dentata. Racemi laterales in specc. robustioribus $^3/_4$ pedalibus plures, divaricato-patentes. Pedicelli ad basin bracteolis setaceis. Petala calyce $^1/_2$ lineali breviora, alba. Fructus oblongo-clavati (nec subgloboso-obovati, ut in *O. intermedio*).

Ad truncos arborum praecipue emortuarum, in sylvis caeduis et nemoribus humidis, umbrosissimis, humo pingui scatentibus; circa Petropolin (Peterhof, Ligowka, Tsarskoje Selo, Gatschina, Chinkelowo, Lissino, Schlüsselburg) et passim in Ingria: Gorodetz, ad fl. Luga c. Gorki et Jamburg. Floret ab initio Julii, fine Jul. et initio Aug. flor. ultimis et fruct. semimaturis, medio Aug. fruct. mat. partim delapsis; interdum medio Julio defloratum. ♃?

Hist. spec. Ad radices arborum, locis humidis, frequens est, praesertim in insula cui a Basilio nomen est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 1 sub. *Circ. alpina*, ut seqq.) et Catherinhoffii, Aug. m. (Sobol. Petrop. 1799, p. 2, n. 5; ed. ross. I, 1801, p. 69, n. 6.); in sylvis in vicinitate arborum vetustarum inter muscos majores, sat frequens, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 18); in sylvis humidis ad truncos arborum in ins. Petri et Golodai (Turcz! 1825, n. 4); in sylvis humidis inter muscos, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 6, n. 24).

Adnot. Circaea lutetiana L. indicata fuit: Petropoli (Falk Beitr. II, 1786, p. 95; Rudolph ex Georgi 1790, n. 5); in sylvis humidis umbrosis Catherinhoffii et in aliis locis similibus (Rudolph ex Sobol. Petrop.

1799, p. 2, n. 4; ed. ross. I, 1801, p. 68, n. 5); Petropoli in nemoribus (Adams Fl. Petrop. et Mosq. p. 4). Turczaninow 1825 in praefamine plantam Sobolewskii pro varietate *C. alpinae* habet, item H. Mertens in mss. 1823. Specimina robustiora grandifolia *O. minimi*, caule erecto, racemis pluribus obveniunt, in quo casu etiam diagnosis Linnaeana fallax; ceterum glaberrimum describitur, at folia subtus et margine pilis adpressis et racemi plerumque pilis tenuissimis glandulosis tecti sunt. Genuinum *O. verrucarium* Gesner et J. Bauh. (*Circ. lutet.* L.) multo majus et pinguius est et insigne petalis calycem 1 linealem aequantibus, amoene rubellis, bracteolis nullis, foliis suboblongo-cordatis, tantum denticulatis. *O. intermedium* (Ehrh.) ex statura, foliis et floribus cum *O. verrucario* convenit, e dentibus foliorum et bracteolis cum *O. minimo*.

Fam. XXXII. HALORAGEAE.

Propter summam, quae intercedit, affinitatem cum familia praecedente, a nonnullis appendicis adinstar jungitur. Differentiam tamen ovula et semina suppeditant in loculis solitaria, pendula, radicula hinc supera, fructus indehiscens nucamentaceus, albuminis licet parci praesentia, flores non raro diclini et imperfecti, nec non habitus peculiaris. Genera indigena herbacea, aquatica v. palustria.

De *qualitatibus et usu* nil constat.

CVII. MYRIOPHYLLUM. Flores monoici, rarius dioici aut ☿.— ♂: Cal. 4 partitus. Petala 4, interdum 0. Stam. 8, rarius 4,6.— ♀: Cal. cum germine connatus, apice in limbum minimum 4-partitum solutus. Petala 0 vel obsoleta, dentiformia. Stigm. 4 persistentia, villosa.

Fructus nucamentaceus, 4 locularis, 4 lobus, ex ovariis 4 semiconnatis, maturis ab invicem secedentibus compositus. — Folia opposita v. verticillata, pectinato-pinnatisecta, floralia simpliciora. Flores axillares, inferiores plerumque ♀, superiores ♂.

CVIII. LIMNOPEUCE. Flores ☿, apetali, interdum unisexuales. Cal. cum ovario connatus; limbo integro minimo. Stam. 1 epigynum, limbo calycis insertum, anticum; loculi antherae retrorsi et introrsi, versus stigma dehiscentes. Stylus brevis in stigma elongatum subulatum terminatus, ante anthesin inter loculos antherae receptus. Fructus nucamentaceus, 1 locularis, calyce subcarnoso inclusus. — Folia verticillata, integerrima. Flores verticillati, axillares, minuti.

CVII. MYRIOPHYLLUM.

Linnaeo auctor generis est Pontedera 1720! et Vaillant 1719 *(Myriophyllon)*, 1727! *(M—um!)*; est etiam ex parte *Myriophyllum* Clusii 1583! qui a *Batrachio?* nondum genere disjunxit. Jus autem nomenclaturae contra varia genera homonyma defendendum. Exstat enimi: 2) *Myriophyllum* Cortusi ex Clus. 1601; non plantam, sed Zoophyton refert; 3) *Myriophyllum* Thalii 1588! et Clus. 1583 p.p. videtur *Batrachium;* 4) *Myriophyllum* Ruppii 1718! est genus enatum e *Myr. altero* Matth. 1554! sive *Myr. equisetifolio fluviatili* Lobel. 1570,6 = *Hottonia* Boerhaave 1720, Linné! = *Stratiotes* Vaill. 1719 et Gesner 1561 (non *Stratiotes* Linnaei 1737, quae Dodonaei 1553! pr. p., Lobel. Dalech. — at neutra στρατιώτη Diosc. quae planta terrestris); 5) *Myriophyllon* s. *M—um* I Matth. 1554; icon erronea, apud Lobelium 1576 repetita s. n. *Myr. palustre*, ad eas pertinere videtur, quarum typi amissi, Venetae ad descriptionem effingebantur (Sternberg Comment. in Matth.); forte *Phellandrium aquaticum* exprimere voluit; 6) μυριόφυλλον Dioscoridis IV, 113 (ergo etiam *Myriophyllon* s. *Millefolium* Plinii)

sec. Sibthorp etiam hodiernum est et verba Dioscoridis saltem contrarium evidenter non probant «folia plurima! *Foeniculo* similia, caulis flavescens! varius, tener! solitarius, ac veluti ex industria declinatus, una radice nixus; nascitur in paludibus.» Stet hinc nomen Vaillantii. Alias adest genus idem *Pentapterophyllum* Dillenii 1719! sive *Pentapteris* Haller 1742!

235. *M. verticillatum* L. = *M. floribus omnibus verticillatis* Linné 1737 = *Myriophyllum aquaticum II minus* Clus. 1583 c. fig.!

Bracteae (folia floralia) omnes pectinato-pinnatifidae (in planta Clusii flores multoties superantes, pinnis remotiusculis). Flores verticillati (axillares). Folia saepe quina.

β. *M. pectinatum* Dec. 1815!; Wallroth 1822! ut var. α. Flores spicati; bracteae flores aequantes vel paulo superantes, pinnis rachi dilatata fere contiguis. Bracteis omnibus pinnatifidis a *M. spicato* differt.

In aquis stagnantibus vel lente fluentibus c. Petropolin hinc inde copiose, β. rarius. Floret a fine Junii ad init. Aug. ♃.

Hist. spec. In fluv. Newa! locis vadosis non raro (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 154), nec non in rivo prope Goreloy Cabac fluente (Sobol. Petrop. 1799, p. 224, n. 624; ed. ross. II, 1802, p. 227, n. 641); in aquis purioribus horti Imper. Gatczinensis et in lacubus prope Zarskoe Selo copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 433); in stagnis et fluviis (Turcz! 1825, n. 590); in arundinetis paludosis prope Oranienbaum (Weinm. Petrop. 1837, p. 94, n. 629); Petropoli quoque in *M. pectinatum* Dec. aberrat (R. Diatr. Petr. 1845, p. 87).

236. *M. spicatum* L. = *Millefolium aquaticum pennatum spicatum* C. Bauh. in Matth. 1598, 1620! c. fig. ex Alsatia pr. arcem Weckenthal.

Bracteae inferiores incisae longitudine florum, reliquae omnes integrae floribus breviores. Flores verticil-

lato spicati, spicis virgineis erectis. Fructus laeves. Foliorum pinnae crassiusculae.

In aquis stagnantibus circa Petropolin ubique copiose. Floret toto m. Julio; fruct. mat. a fine Julii. ♃.

Hist spec. In ramo Newae!, qui suburbium Schlüsselburgi praeterfluit (Krasch. Index mss. 1749, n. 349 ex synn.); in lacubus et aquis stagnantibus frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 154; Sobol. Petrop. 1799, p. 224, n. 623; ed. ross. II, 1802, p. 227, n. 640; Weinm. Pawl. 1824, p. 433); in stagnis et paludibus ad viam Peterhofianam!, in lacu montis Duderhof (Turcz! 1825, n. 591); abundat in aquis stagnantibus, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 94, n. 628).

237. ***M. alterniflorum*** Decand. 1815! = *M. spicatum* var. *tenellum* Liljeblad (ex Fries 1839) = *M. minus* Linné 1754 (*«minus»* Clusio, J. Bauh. et Vaill. erat *M. verticill.*) = *Potamogeton aquat. pennat. minus* etc. Morison 1699, sect. 15, tab. 4, fig. 7 mediocris, sed descr. bona! detect. ad oppidum Reading.

Bracteae praecedentis. Flores ♂ alterni 3—6 in spicis virgineis nutantibus; ♀ 3—6 ad basin spicae ♂, alterni aut verticillati. Fructus muricati, minores. Folia ceteris minora, laciniis tenuissimis.

Specc. circa Taitz lecta vidi in herb. Weinmann; ceterum in isthmo Kareliae versus limites gub. Petrop. in stagno pr. Kivinemi copiosissime cum *Lobelia Dortmanna* (conf. R. Diatr. Petrop. 1845, p. 87). Initio Aug. fruct. mat. et floribus ultimis. ♃.

CVIII. LIMNOPEUCE.

Nomen a Cordo 1561 introductum «ab eo, quod in stagnis nascatur, foliis *Piceae*»; a Vaillantio 1719 characteribus legitimis genericis ad amussim instructa. Genus *Pinastella* Dillenii 1719 (p. 168, fide Linnaeo) et *Pinus aquatica* vulgo Gallis dicta ex Ruellio idem est. Haec omnia Linnaeum non impediebant, sine ulla

ratione nomen optimum rejicere atque alienissimum et insuper valde infaustum «*Hippuris*» a. 1737 inducere. Ἵππουρις Dioscoridis duplex: altera vicinos arborum caudices scandens (*Ephedra fragilis*), altera caule cubito majore et comis brevioribus (*Equisetum Telmateja*). Plinius *Ephedram* ab *Equiseto* distinguens, tertiam addit speciem, quam *Pini* foliis assimilavit (*Equisetum arvense*). Ἵππουρις latine cauda equina sive *Equisetum* (Plinio), quod herba setae equinae respondeat. *Hippuris* omnino identica est cum *Equiseto* Veterum et Recentiorum derivatione, partim etiam significatione; patres plurimi *Equiseta* etiam *Hippurides* jure appellarunt; nemo vero ante Linnaeum *Limnopeucen* «*Hippuris*» dixit, quare Haller, Scopoli et Adanson justam Vaillantii et Cordi nomenclaturam contra auctoritatem nimiam Linnaei defenderunt. *Limnopeuce* ceterum in Graecia nondum reperta est.

238. *L. vulgaris* Vaill. 1719, Scopoli = *Hippuris vulgaris* L. = *Pinastella surrectior* Rupp. 1726! = *Limnopeuce* Cordus († 1544) ed. Gesner 1561! inter Eisleben et Seeburg = *Polygonum foemina* Dodon. 1553 c. fig.! Matth. 1554, Camer. 1586 c. fig.! = *Pinus aquatica* Ruell. 1537 (teste Camer. Haller, alq.)

Folia linearia, apice sphacelata, 7 v. 8, rarius ad 12 in verticillo. — Variat: β. *fluviatilis* (Roth 1788!) foliis longioribus, pellucidis, hyalinis, laete viridibus. Caulis in aqua profundiori aut rapidius fluente semper submersus sterilis vel in stagnantibus vadosis superne emersus foliis normalibus instructus, fertilis.

In paludibus, aquis quietis, vadosis, fossis, frequens et copiose; β. in lacubus profundioribus c. Petrop. (Tsarskoje Selo, Kolpino, Taitz, Lissino etc.), fertilis vulgatior. Floret toto m. Junio et Julio; fruct. mat. ab initio Junio v. serius usque ad init. Sept. ♃.

Hist. spec. Paludibus et aquis praesertim delectatur Krasch. ed. Gort. 1761, p. 1, s. n. *Hippuris palustris*); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); ad ramum Ne-

wae Carpowka! vocatum, in insula apothecaria, tum in variis paludibus et aquis stagnantibus, Majo, Jun. (Sobol. Petrop. p. 1, n. 1; ed. ross. I, 1801, p. 65, n. 1, s. n. ***Hippuris vulgaris*** ut seqq.); in lacubus et fossis sat frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 4 cum var. β. *fluviatilis* Whbg.); in fl. Ischora (Turcz! 1825, n. 1); in fossis, stagnis et lacubus, β. *fluviatilis* Whbg. in aquis purioribus, profundioribusque Gatschinae! (Weinm. Petr. 1837, p. 3, n. 1).

Observ. *L. tetraphylla* (Linné fil. 1781!) = ***H.*** *lanceolata* Retz. 1783 = *H. maritima* Hellenius 1786, in Fennia austr. jam ad portum Fridericiae indicatur, hinc in litoribus extimis indaganda est. Dignoscitur foliis in verticillo 4—6, ellipticis v. obovato-oblongis, apice intactis.

Fam. XXXIII. CALLITRICHEAE.

Char. Flores unisexuales, monoici v. dioici, rarius ☿, axillares. Bracteae 2 falcatae, carnosulae in quolibet flore, interdum incompletae v. deficientes. Stamen 1 inter bracteas positum, in flore ☿ posticum, cauli contiguum; anthera junior ovata, bilocularis, rima utrinque laterali continua, mox circumcirca dehiscens, reniformis, unilocularis; pollen ovatum v. oblongum. Stigmata (styli) 2 filiformia. Ovaria (normaliter) 4 in unum connata. Capsula inter bracteas saepe stipitata 4- (anomale 2 v. 3-) locularis, loculis monospermis. Semen pendulum, pericarpio deliquescente liberum; embryo dicotyledoneus rectus, in albumine centralis, radicula supera. — Herbae aquaticae tenellae, annuae, foliis oppositis (anomale 4, verticillatis), integerrimis.

Affinitas vera forte penitus dubia, certe cum nullâ familiâ arcta. *Callitriche*, unicum familiae genus, reponitur recentius adhuc a cell. Endlicher et Fries, forsan jure, inter Apetalas Achlamydeas, propter defectum absolutum perianthii; at genera apetala in plurimis Polypetalarum familiis obveniunt et bracteae etiam pro calyce diphyllo explicari possunt; praeterea adsunt squamulae 2 minutissimae, caducissimae, virides, extrorsae ad basin ovariorum, truncatae, primum connatae, quas cel. Kützing rarissime observavit, pro calyce descripsit et in Reichb. pl. crit. ic. 1200 fig. A depinxit. — R. Brown primus et post eum Decandolle aliique *Callitrichen* in vicinitate *Halorageaerum* pariter aquaticarum collocarunt, propter fructum, semen et embryonem *Myriophylli*, stamen *Limnopeuces;* at ovarium omnino superum, nisi cum calyce edentulo connatum, ut in *Limnopeuce*, explicatur, conf. Meisner; contradicit vero insertio staminis in flore ☿, nequaquam e 2 diclinis valde approximatis constructo, secus enim bracteae 4 adesse deberent. — Aliam affinitatem cum *Mercuriali* statuit Richard. In flore ♀ *Mercurialis* pariter observantur: styli 2, carpidia 2 v. 3, monosperma, semen albuminosum pendulum eodemque loco ut in *Callitriche* affixum; accedunt interdum filamenta 2 sterilia, neque structura antherae absolute dissimilis. Sed perianthium adest 3—4 partitum ad basin ovarii, cui bracteae in *Callitriche* aequiparari non possunt, nam in *C. pedunculata* Dec. Whlbg. longe distant ab ovario. Nihilominus cel. Reichenbach quoque cum *Euphorbiaceis* affinitatem clarissimam vidit propter columellam brevissimam, carpidia

tantum basi jungentem, ovaria autem cum stylo interposito ultra staminis insertionem extollentem. Hinc quoque cel. Endlicher «forte aquatica *Euphorbiacearum* forma». — Varia invenio in charactere *Callitriches* cum nostro non concordantia, v. g. capsulam indehiscentem ex Koch, Endlicher et Nees ab Es. gener. Fl. Germ.; fructum (4 locularem) loculicido et septicido dehiscentem, loculis dispermis (?!) ex Meisner. Non parum dignae anomaliae in *Callitrichis* variis obviae; sic ex Endlicher et Meisner stamina interdum 2, anticum et posticum, sub germine inserta, quod florem forte typicum dimerum indicaret; an hoc ex Vaillantii Bot. Paris. tab. 32, fig. 10 petitum? ubi stam. 2 postica pinguntur. Kützing in *C. minima* vidit flores in axilla eadem duos ☿, singulos bibracteatos. Ipse in *C. terrestri* Hooker! Fl. Bor. Amer. fructus 4 verticillatos in eodem geniculo diphyllo; in specim. Kamtschaticis fructus imo 6 verticillatos in eodem geniculo tetraphyllo; in *C. virente* non raro fructus e carpidiis tantum 2 v. 3 compositus. Anne in flore calyculato, a cel. Kützing reperto, si stamen anticum accedit, squamulae istae minutae, respectu staminis externae sunt vel internae?

Qualitates specierum licet odore ingrato diversarum, non examinatae; propter miram vegetationis luxuriam stagna, piscinas etc. aestate obstipant et incommoda tantum hominibus parant.

CIX. CALLITRICHE.

Nomen a Linnaeo resuscitatum a. 1748 pro genere *Stellaria* (Lobelii 1581!) Dillenii 1719, Vaill. 1727!

et Halleri 1742! In scriptis Linnaei prioribus cum *Corispermo* confusa. Rationem, cur haec Linnaeus mutaverit non invenio, nisi (ut justum) in prioritate nominis *Callitriche* apud Columnam 1616!. *Stellariam* Dillenius, praecessore Lobelio, dixit propter folia superiora aquis innatantia stellatim in vulgari specie disposita. Nisi *Stellariae* nomen lege antiquitatis ad *Asperulam odoratam* transfertur, *Stellaria* Dillenii longe ante *Stellariam* Linnaei (rectius *Stellulariam* L.) generice constituta cum Hallero et Wiggers (Weber) 1780 recipienda esset; conf. supra p. 176. Difficultas accedit alia; F. Columna *Callitrichen* pro homonyma Pliniana proposuit, addens tamen verba : nobis Plinius de *Trichomane* loqui videtur, ideo nec nostra *Callitriche* habenda. Revera *Callitrichon* Plinii, potius antiquius καλλίτριχον Nicandri, etiam *Adiantum* et *Trichomanes* vocari scribit. Lobelius 1576 quaerens, an planta Plinii *Batrachium hederaceum* sit, Columnam in admirationem convertit, qui *Callitrichen* hodiernam dedit. Haec itaque et *Callitrichon*, terminatione neutro, differunt genere, nomine et re. Hoc tantum modo nomen Columnae, utpote sibi proprium et diversum a Pliniano defendi aliquantulum potest.

239. *C. palustris* Linné Spec. pl. I. 1753! = *Lenticula palustris bifolia* etc. C. Bauh.! quae: *Callitriche Plinii* Colum. 1616! ex fig. ad *C. caespitosam* Schultz; habuit e Neapoli palustribus ad Sebeto = *C. pallens* Goldbach 1817! M. Bieb! = *C. aquatica* Hudson 1798! Smith! = *Stellaria aquatica* Lobel 1581, p. 792. c. fig.! ad *C. stellatam* Hoppe referenda.

Folia pallide viridia, suprema saltem emersa (si adsunt) ovali spathulata v. oblonga, 3 nervia; nervis apice anastomosantibus ; inferiora conformia vel difformia, angustiora, saepe linearia 1 nervia. Flores ☿ vel diclini : in eodem geniculo androgyni oppositi, vel in eodem ramo inferiores ♀, superiores ♂, filamento saepe valde elongato, vel in diversis ramulis monoici, vel in diversis plantis dioici.

In aquis, praecipue stagnantibus, palustribus, innundatis v. semiexsiccatis locis ubique copiose, sed variis stationibus formis diversis ludens. Floret et fruct. per totam aestatem ad autumnum usque. ⊙ sec. Linné, ♃ sec. Schkuhr et Recent.; in horto e seminibus educata primo anno fructificat. Difficile intellectu, quo modo rhizoma tenellum hyemem nostram iniquam sine damno ferat.

Formae praecipuae distinctu faciles, sed interdum confluentes sunt: α) *C. minima* Hoppe 1792! terrestris, pusilla; folia omnia linearia, obtusa, apice integra, plerumque 1 nervia. Kützing ap. Rchb. f. 1183 fol. bidentatis recedit. Rarius: in insulis et ripis Newae fl. β) *C. caespitosa* Schultz 1806! et spec. orig!: terrestris, humilis; folia omnia obovato-rotundata v. lineari-lanceolata, 3 nervia. Kütz. f. 1182 forma angustifolia. Communissima. γ) *C. stellata* Hoppe 1792! folia caulina suprema rosulata natantia, 3 nervia, obovato-oblonga, inferiora submersa lanceolata v. linearia truncata. Kütz. f. 1180, 1: fol. infer. apice bidentatis. In aquis stagnantibus vulgatissima. δ) *C. fontana* Kütz. f. 1179 (vix Scop. 1772): cum praecedente, cui valde similis; sed folia caulina fere omnia magna obovato-spathulata, 3 nervia; ramealia quaedam linearia 1 nervia. ε) *C. dubia* Hoffmann 1787, Roth 1788! = *C. intermedia* Hoffm. 1791, Hoppe! Simillima *C. stellatae*, sed folia omnia apice bidentata. Kütz. f. 1213 arctius restricta bracteis hamulosis, filamentis brevissimis. ζ) *C. angustifolia* Hoppe 1792! ☿, foliis omnibus linearibus (longis), apice bidentatis, ergo perfecte *C. autumnalis* Linné 1755! etiam ex syn. Halleri et Loeselii 1703 tab. 38! in qua rosulae terminales et filamenta longa exprimuntur. In aquis stagn. (Oranienbaum, Lissino), tantum sterilem vidi, hinc forte ad γ. v. ε. juvenilem? in eodem caespite vero forma a cel. Kützing non depicta, ad fig. 1219 et 1206 (*C. autumnalem praecocem et microphyllam*) accedens, internodiis super. valde remotis, stigmate brevissimo, a fig. 1181, 3: habitu et bracteis nullis insignis.

Jam 1737 Linnaeus in Fl. Lapp.! pulchre distinxit et descripsit varietates, de quibus confer Laches. Lapp. I, 62, 238, II, 129 et Halleri epist. ad Linnaeum variis locis (Richter). Anno 1753 *C. palustris* in 3 formas dividitur: α) *minima*, fol. omnibus subrotundis (*C. caespitosa*); β) *bifida (C. angustifolia)* γ) *natans (C. stellata)*. In Cent. I, 1755 loco *C. palustris* 2 species proponuntur: 1) *C. androgyna:* fol. super. ovalibus (huc α et γ. Spec. 1); 2) *C. hermaphroditica:* fol. omnibus linearibus, apice bifidis (huc β. Spec. I); priorem in Fl. Suec. II, 1775, dixit *C. vernam*, alteram *C. autumnalem*. Cum vero tempus florendi et sexus interdum neutri respondeat et diversitas specifica ambarum non satis demonstrata sit, ad nomen collectivum in Spec. pl. ed. I propositum, recurrendum satius duxi.

Recentius (1831,2) cel. Kützing statuit, *C. palustrem* L. e 4 speciebus diversis compositam esse, scilicet:

1) *C. stagnalis:* fig. 1184—6 opt.!; ex habitu ad *C. fontanam* et *caespitosam latifoliam* accedit, e fructibus ad *C. platycarpam;* dignoscitur facile foliis majoribus, tenuissimis, omnibus conformibus, etiam inferioribus et ramorum late obovatis breve petiolatis, 5—7 nerviis! Caulis primarius in axilla fere cujuslibet folii ramulum emittit apice eximie rosulatum. Hanc in Ingria vix obviam cum cel. Koch pro specie bona admittere propensus sum, nomine vero in *C. Kützingi* mutato, nam *C. stagnalis* Scop. 1772 e fossis marinis Tergestinis propter «folia ovata» et citatum «Haller n. 3» aliena est, nimis obiter tractata, e loco tantum recognoscenda. *C. aestivalis* Thuill. 1799, vulgo huc citata, sec. spec. Paris. a Thuill. ipso a. 1808 misso, est forma longe diversa, proxime accedens ad fig. 1216 Kütz. ap. Rchb. (*autumnalis natans*).

2) *C. platycarpa* Kütz. 1831. c. figg. dignoscitur fructibus alatis, foliis ramorum inferioribus linearibus, bracteis arcuatis sed apice non hamatis, stylis denique reflexis persistentibus; filamenta longitudine variant. Facies *C. stellatae* et *fontanae*. In Europa occid. *C.* quae-

dam platycarpa adest facie *C. caespitosae* et *fontanae*, sed ex fruct. majoribus alatis magis *C. Kützingi* affinis, foliis 3 nerviis potissimum abludens; an haec forte subest?

3) *C. vernalis* Kütz. 1832 = *C. verna* Kutz. 1831 c. figg. (et meo sensu etiam Linnaei strictius limitata) differt a *C. platycarpa:* stylis brevioribus erectis, fugacibus, ala angulorum fructus, per paria magis approximatorum angustissima. Filamenta longa; bracteae persistentes; fructus omnium minimi. Huc formae *C. palustris* α, β, γ, δ supra expositae a cl. Kützing citantur; sed in his stylos saepe sat longos et non raro etiam recurvatos deprehendi.

4) *C. hamulata* Kütz. ex Koch 1835 = *C. autumnalis* Kütz. 1831 c. figg. (pro p. etiam Linnaei acutius definita); insignis bracteis valde falcatis, apice hamatis vel saepe incompletis aut deficientibus, fructibus plerumque alatis, filamentis saepe minutis, radiculis inferioribus ramosis. Foecundatio sub aqua.

Hist. spec. Nihil frequentius in palustribus et aquis stagnantibus (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 148 s. *C. verna* L. ut seqq. plur.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1793); in fossis aquosis circa nosocomium maritimum, nec non in palust. et aq. stagn., Majo (Sobol. Petr. 1799, p. 2, n. 2) et prope Murinam (Sobol. ed. ross. I, 1801, p. 66, n. 2); Ingria (Rudolph ex Georgi 1800, p. 641, n. 1 et 3, s. n. *C. verna* et *C. intermedia* Schkuhr tab. 1, fig. 2; conf. R. Diatr. p. 30); Petropoli (Longmire 1823, p. 191 s. *C. verna*, *aestivali et intermedia*); in fossis, lacubus et aliis aquis quietis sat frequens α. typica et β. *intermedia* Hoffm. s. *dubia* Roth; γ. *minima* Hoppe s. *C. caespitosa* R. S. praecipue in limo humido prope Zarskoe Selo (Weinm. Pawl. 1824 p. 5 s. n. *C. pallens* Goldb.); in paludosis ad ripas fluv. Karpowka! multis varietatibus (Turcz! 1825, n. 2); α. *platyphylla* et β. *heterophylla:* in aquis stagnantibus vulgatissime; γ. *isophylla* et δ. *leptophylla:* ad margines lacuum, fossarum, fluviorum passim, Majo ad Octobr. (Weinm. Petrop. 1837, p. 3, n. 2. s. *C. verna* L.); *C.*

stagnali Scop. exceptâ Petropoli omnes adsunt species recentiores a cl. Kützing propositae, nec non formae pro speciebus venditae: *C. minima*, *stellata*, *angustifolia* Hoppe, *caespitosa* Schultz, *fontana* Scop. (R. Petrop. 1845, p. 30).

240. *C. virens* Goldbach! in Mém. Mosc. V, 1817, M. Bieberst.! Kütz. 1832! in Linnaea VII, p. 186, ubi de spec. Petrop. agit = *C. autumnalis* Wahlbg. Fl. Lapp. 1812 opt.! (non L.) = *C. decussata* Link (1795?) ex Steud. Nom. sec. spec. e loco Linkii apud Detharding 1828 citato. Speciei auctor primus est Gmelin, in Fl. Sibir. III, 1768, p. 13, n. 5 cum icone rudi plantae ex Mana confluvio Jeniseae.

Folia (*Potamogetonis* adinstar) profunde virentia, decussata, 1 nervia, omnia conformia, submersa, linearia basi sensim latiora, 2—5 lin. longa, apice truncata, bidentata, suprema confertiora, non rosulata; contextus cellularis densissimus et angustissimus. Ramuli inferne ♀ fructibus creberrimis, versus apicem androgyni antheris subsessilibus absconditis onusti. Bracteae nullae! Stigmata divaricata fugacissima. — Verba Linnaei sub *C. autumnali* «flores omnes ☿, occurrunt m. Septembri; replet interdum paludes profundas, ut super eam liceat incedere» minime in *C. virentem* quadrant; synonyma Halleri et Loeselii, nec non locus „in Europae fossis aquosis" *C. angustifoliam* Hoppe indicant.

In vadosis ad ostia Newae fluv. et in ramis ejus substagnantibus pratula subaquatica amoena constituens; interdum in cymbis aqua semioppletis fortuitu crescens, ad ins. Kronstadt usque rejecta. Ceterum non nisi ad ripam fl. Pljussa inter Poljá et Nisy vidi. Medio Julio saepe adhuc sine florum vestigiis; antherae evolutae medio Aug., fruct. maturi a fine Aug. in serum autumnum. ♃?

Hist. spec. In fundo Nevae! fluv. passim (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 148 s. n. *C. autumnalis* L. ut plur. seq. — convenit quidem locus, sed synn. Halleri et Loeselii in Cod. Krasch. plantam Linnaei indicant);

ubique in fossis (Falk 1786, p. 94, n. 8; ergo ex loco non huc, sed ad spec. praeced.); in fundo Nevae fluvii et passim in fossis cum *C. verna* (Sobol. Petrop. 1799 p. 2, n. 3; ed. ross. I, 1801, p. 66, n. 3; M. Bieberstein synn. Gort. et Sobol. huc refert, sed vix jure); in aquosis ad Nevam! praeter typum adhuc varietas hujus pygmaea, vix bipollicaris, ex inferioribus geniculis radices agens occurrit Petropoli in maritimis innundatis post exsiccationem inter *Scirpos* minores (M. Bieberstein Fl. Taur. Cauc. III, 1819, p. 7 sub n. 6* nom. *C. virens* Goldb.; — prima indicatio fida, sed var. pygmaea omnino ad *C. minimam* Hoppe pertinet sec. specimen in herb. M. Bieb. asservatum); in aquis purioribus, fl. autumo (Weinm. Pawl. 1824, p. 5 s. n. *C. virens* Goldb.); in vadosis rivuli Karpowka! (Turcz! 1825, n. 3 cum syn. Goldb.); Petropoli ad ripas Newae fluvii cespites intense virides sub aquis efformantem 1821 legimus (Chamisso! in Linnaea IV, 1829, p. 506); in aq. pur. autumno; var. β. foliis multo longioribus: in lacunis ad Tosnam (Weinm. Petr. 1837, p. 4, n. 3 s. *C. autumn.* L.).

Fam. XXXIV. LYTHRARIEAE.

Char. Flores ☿, perfecti, rarius apetali, axillares, solitarii v. cymosi. Cal. liber dentatus v. fissus. Petala summo calycis tubo inserta ejusque dentibus primariis alterna, aestivatione imbricata. Stam. calycis tubo infra petala inserta, libera. Stylus 1, stigma simplex. Capsula calyce cincta v. inclusa, 2—6 locularis aut septis fatescentibus 1 loc.; placentae centrales. Semina aptera, in §. *Lagerstroemieis* alata, exalbuminosa. Embryo rectus.— Herbae, frutices v. arbores. Folia simplicia, exstipulata, opposita aut verticillata, rarius alterna.

Affinitas. Familia *Epilobiaceis* proxima, calyce libero cum germine non connato inprimis diversa. Ab *Alsinastreis* differentiae momentosae pag. 193 allatae *Lythrarieas* removent; idem valet de *Malvaceis.*

Qualit. Herba et magis adhuc radix *Lythri Salicariae* s. *Lysimachiae purpureae* Officin. antiq. adstringit; sapor mucoso-acerbus. De virtute ejus medica libellum scripsit Scherbius a. 1790.

Genera indigena:

CX. LYTHRUM. Cal. regularis tubulosus, 6-dentatus, dentibus accessoriis totidem angustioribus alternantibus, patulis, apparenter externis. Petala 6 aequalia. Stam. 12 (rarius 6 v. 2 in §. *Hyssopifolia*). Stylus filiformis, longus, stigmate subcapitato. Capsula bilocularis, ∞ sperma.

CXI. PORTULA. Cal. ut in *Lythro*, sed campanulatus et profundius dentatus. Petala 6 exigua, fugacissima, interdum nulla. Stam. 6. Stylus brevissimus subnullus. Stigma et caps. ut in *Lythro.*

CX. LYTHRUM.

Nomen a Linnaeo introductum ex Dioscoride, ut ipse fatetur, pro genere *Salicaria* Tournefortii, prius cum *Epilobio* sub *Lysimachia* confuso. At cum Dioscoridi scribatur λύτρον, absit adspiratio, quam temere indidit Linnaeus (Beckmann Lexic. bot. 1801). Λύτρον vero eadem est planta apud Dioscoridem, ac λυσιμάχιον (*Lys. vulgaris*). Hinc ad nomen *Salicaria* Tourn. Haller 1742 redeundum fuisset, nisi *Salicaria* Gesner 1561 et vulgus ex Bodaeo, iterum eadem esset ac *Lysimachia*, propterea quod foliis salignis a Dioscoride et Plinio describatur. Λύτρον = pretium redemtionis captivorum; verosimilius etiam dictum a τὸ λύειν, quod li-

beret a discordia animal, quod abigat malum „vis enim tanta est, ut jumentis discordantibus jugo imposita, asperitatem cohibeat" Plinius scribit. Quidam pro *Lysimachia* Plinii (non Diosc.) sumunt, quia flores purpureos indicat, plurima tamen et justa dubia restant propter descriptionem e Dioscoridis codice facile corrupto verbotenus desumptam. Melius forte vox λυθρον contra explicationem Linnaei usurpata (ita enim in nullo codice Dioscoridis scribitur) substituitur, quae „sanguinem cum pulvere mixtum" significat et colorem thyrsi florentis alludit. Ceterum genera plura antiquiora *Lythrariearum* (v. g. *Ammania*, *Lythrum*, *Portula*) potius habitu, quam characteribus firmis distincta sunt, quare eo magis mutatio nominis facile superflua evitanda erat.

241. *L. Salicaria* L. = *Salicaria vulgaris* (Tournef.) Mönch 1794! = *Lys. purpurea, forte Plinii* Lobel. 1576 fig. bona! in Clusio 1601 repetita = *Lys. altera* Matth. 1554 (obiter) = *Lysimachium purpureum alterum* s. *Pseudo-Lysimachium* Dodon. 1553 c. fig.! = *Lysimachia* Plin. non Diosc. (sec. Pena et Lobel. Fraas); differt odore acri anguibus inimico, sed hoc male ex Dioscoride intellectum volunt.

Flores purpureo-violacei, verticillato-spicati. Stam. 12. Folia lanceolata, basi cordatâ sessilia. Caulis in typo quadrangularis, foliis oppositis. — Variat hic summopere: 1) foliis quaternis verticillatis, caule 8-angulari, aut 2) ternis v. sparsis, caule sexangulari (*L. hexagonum* Berchtold ex Rchb. 1832), aut 3) alternis, floribus in axilla solitariis (var. Linné Fl. Lapp.); 4) petalis $1/4$ v. $1/2$ poll. ovalibus v. oblongis; 5) stylo calycem subaequante vel (β. *longistylum* Koch 1835) duplo superante; 6) caule inferne (aquis submerso) cortice luxuriante spongioso; 7) caule foliisque glaberrimis, nitentibus (α. *glabrum* M. Bieberst. 1819 et herb.! Ledeb. Fl. Ross.) vel puberulis (β. *vulgare* Dec. 1828); haec ultima interdum densius pubescit et caulem apice ramosum, ramis pluribus flori-

feris, exhibet. Var. *glabra* fere subspecies est et ex seminibus educata immutata redit in horto.

In fruticetis vel etiam apricis ad ripas fluviorum, lacuum, in stagnis, ad fossas. Petropoli in regione demissa praecipue circa ostia Newae et in arenosis maritimis ins. Kronstadt et pr. Strelna fere semper glaberrima; pubescens c. Lissino, Orlino et lacum Tscheremenetz. Floret a fine, rarius medio Junii ad finem Julii, rarius initio Aug.; fruct. mat. fine Aug. ♃.

Hist. spec. Ad fluvios et paludes passim (Krasch. ex Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 75); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); copiose in paludibus Catharinhoffii! et ad fossas passim (Sobol. Petr. 1799, p. 111, n. 316) nec non ad viam Peterhofianam! (Sobol. ed. ross. I, 1801, p. 321, n. 328); circa Petropolin totum glabrum constanter occurrit (M. Bieberst.! Fl. Taur. Cauc. III, 1819, p. 321, n. 899); ad ripas et fossas (Weinm. Pawl. 1824, p. 218); ubique (Turcz. 1825, n. 311); in fruticetis humidiusculis et ad fluviorum ripas, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 50, n. 339, a. *glabrum* et b. *hirsutum*).

CXI. PORTULA.

Genus *Portula* Dillenius 1719 primus candide fundavit, characteres multum emendavit, analyses tab. VII delineavit, affinitatem et differentiam a *Salicaria* Tourn. optime docuit, nomen haud ineptum selegit, similitudinem cum *Portulaca sylvestri* aliquam indigitans, quare apud Tournefortium et Michelium epitheto „*Portulacae* foliis“ consignata fuit et Ruppius *Portulacam spuriam aquaticam* dixit. Serius genera synonyma pluries proposita, ut 1) *Glaucoides* Micheli 1729, non Rupp. 1718! quae *Glaux* Tourn. L. 2) *Glaux* Vaill. 1727, non Tourn. 3) *Andrachnoides* Siegesbeck 1736!; tandem: 4) *Peplis* Linne 1737 „quia nomen superfluum est, quod magis arridet, quam *Portula*, quod facile confunditur cum *Portulaca*.“ Πεπλὶς vero Dioscoridis

est frutex candidi succi plenus, in maritimis, foliis *Portulacae hortensis* etc. (*Euphorbia Peplis* L.). Mönch, haec omnia bene respiciens, 1794 Dillenio iterum jus suum reddidit et *Portulam* restauravit.

242. *P. serpyllifolia* = *Portula diffusa* Mönch 1794! = *Peplis Portula* L. (synn. C. et J. Bauh. agnovit) = *Portula* Dillen. 1719! = *Alsine palustris minor serpyllifolia* C. Bauh. 1620! et herb.! testante jam Rajo = *Serpyllifolia aquatica* J. Bauh. 1598 (ad balneum Bollense in Ducatu Wirtemberg.) test. Haller. Figurae optimae apud Vaill. 1727 tab. 15, f. 5! et Micheli 1729 tab. 18!

Planta terrae adpressa. Folia subopposita, obovato-spathulata, in petiolum attenuata, omnia fere floralia. Flores axillares, subsolitarii, fere sessiles, bracteati. Petala ovalia rosea, saepissime nulla. — Variat statura et magnitudine foliorum non raro alternantium, etiam floribus quibusdam geminis.

In locis inundatis v. semiexsiccatis, ad ripas vel in sylvis paludosis; Petropoli in regione demissa et isthmo Kareliae vulgaris, nec non hinc inde in Ingria: Lapuchinka, Kauschta, Dolgowka, Lotschkina, plerumque copiose. Floret ab initio Julii ad serum autumnum usque; fruct. mat. saltem a fine Julii. ⊙.

Hist. spec. In locis udis et uliginosis ad fossas ubique, Jul. Aug. (Amman mss. 1736, n. 75 ex syn. Tourn. et Michelii); Petropoli passim, frequentissime in insula, cui a Basilio nomen, locis humidis (Krasch. Codex Fl. Ingr. 1755, app. n. 1; species a Gortero omissa); circa Petropolin (Boeber et Rudolph ex Georgi 1790, p. 64, n. 221 s. n. *Peplis Portula* L. ut seqq.); in fossis circa nosocomium maritimum et in sylvis paludosis (Sobol. Petr. 1799, p. 83, n. 237); in ripis innundatis Newae et in paludosis sylvaticis (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 255, n. 249); in fossis semiexsiccatis (Weinm. Pawl. 1824, p. 175); in locis paludosis, uti: ad ripas rivuli Karpowka, trans portam St. Samsoni (Turcz. 1825, n. 232);

in locis innundatis prope Petropolin, Gatschinam, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 37, n. 248).

Fam. XXXV. PORTULACACEAE.

Char. Flores ☿, saepe apetali. Cal. liber vel basi cum ovario connatus, laciniis saepe 2, aestivatione imbricatis. Cor. petala 4—6, imo calyci inserta, interdum basi coalita. Stamina petalorum unguibus vel basi aut tubo calycis adnata, serie extima sepalis legitime alterna. Antherae introrsae. Stylus 1 plerumque in stigmata numero loculorum fissus. Caps. 1—8 locularis, 1—∞ sperma, loculicide v. circumscisse v. rarius non dehiscens. Semina (in caps. 1 loc.) placentae centrali vel (in pluriloculi.) angulo centrali affixa. Embryo periphericus, arcuatus, albumen cingens; cotyledones incumbentes. — Herbae ⊙, ♃ vel rarius ♄. Folia integerrima, ± carnosa, interdum stipulata.

Affinitas. Familia fere media inter *Mesembrianthemeas* (mediantibus generibus *Tetragonia* et *Aizoon*) et *Paronychieas*, nec non *Alsineas* Thalamifloras, quibuscum in systemate magis naturali, sublata distinctione inter Thalamanthas et Calycanthas, in unam familiam generaliorem colligitur; conf. p. 148. Situ staminum et calyce rarius 5-partito ab his praecipue dignoscitur.

⚹ PORTULACA (Varro, Plin.) Capsula circumscisse (operculo) dehiscens, 1 locul., ∞ sperma. Cal. bipartitus, basi circumscisse deciduus. Petala 4—6. Stam. 8—20. *P. hortensis* Brunf., Fuchs 1542 fig. opt.! et pl. patr. = *P. latifolia* seu *sativa* C. Bauh.! = *P. oleracea* β. L. = ἀνδράχνη Theophr. Diosc. In ruderibus

extra moenia urbis Narwa aliquot specimina legi (R. in Bull. Acad. 1854, p. 216; Mélang. p. 83 s. *P. oleracea*).

CXII. MONTIA. Cal. 2-, raro 3-sepalus persistens. Petala 5 hypogyna, ad medium usque in corollam infundibuliformem connata, tubo antice ad basin usque fisso, limbo irregulariter 5 partito, laciniis 3 minoribus. Stam. 3 (rarius 5, si calyx trisepalus sec. Linné, qui sub Triandria Trigynia habet) in apice tubi corollae inserta, laciniis opposita. Ovarium liberum. Stylus brevis tripartitus. Caps. 1 locularis, 3-valvis, placenta basilari. Semina 2 v. 3, lenticularia.

Montia in memoriam Jos. Monti Bot. Prof. Bononiensis a Michelio 1729 dicta est. At genus jam prius constituit Vaillant 1727 tab. 3, fig. 4 opt.! s. n. *Alsinoides* (non Rajus 1724 ed. Dill., quae *Buffonia* Sauvagesi 1751 et Linnaei 1747), aut potius Dillenius 1719 tab. VI in laudem et honorem primi inventoris s. n. *Cameraria* (non Plumier 1703 et L., quae *Apocynacea*). Linnaeus in Hort. Cliff. 1737 sub genere *Heliocarpos* „hanc videtur Houstonus *Montiae* nomine indigitasse in manuscriptis apud cl. Millerum visis; cum vero *Montiae* nomen antea fuit a Michelio impositum *Camerariae* Dillenii, uti nomen Camerarii prius alii plantae a Plumiero, tenemur observare legem.... qui prior est tempore, prior erit jure; proin persistat *Montia* Michelii." Haec defensio *Montiae* exquisita est et melior, quam in Fl. Lapp., ubi *Alsine* et *Alsinoides* ut nomina erronea removentur. Nescio, num *Andrachnion* Camer. 1588, similitudinem cum ἀνδράχνη Theophr. indigitans, jure praeferendum sit.

243. *M. aquatica* Micheli 1729, tab. 13! = *M. fontana* L. = *Cameraria aquatica* et *arvensis* Dillen. in Eph. nat. cur. Cent. VI, App. T. X, 1717, 1719 *major* et *minor* dicta = *Portulaca exigua* s. *Andrachnion arvense* Camer. 1588!

Herba tenella, succulenta. Folia opposita, exstipulata.

Flores albi, minuti. — Jam Dillenius et Micheli species duas ex habitu et statione diversas statuerunt. Differentiam tandem luculentam et constantem in seminibus detexit Chamisso 1831, corroboravit Wallroth 1840, negavit Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. II, 1843, sequentes tantum ut varietates admittens:

α. *M. arvensis* Wallr. in Linnaea 1840! = *M. fontana* Auct. Smith, Sturm, Gärtner, Chamisso! l. c. = *Cameraria arvensis* v. *minor* Dillen. 1717 et 1719! = *Portulaca arvensis* C. Bauh. 1623! = *Portulaca exigua* s. *Andrachnion arvense* Camer. 1588! (in agris frumentariis frequens circa Lipsiam ante Cremensem portam). Semina minora, nigra, opaca, densissime et crassiuscule tuberculata, quasi echinata. Haec sec. Wallroth tantum in agris humidis, nec unquam in fontinalibus et scaturiginosis. Ex imperio Rossico tantum specimen e Curonia in herb. Meyer vidi.

β. *M. lamprosperma* Cham. 1831 in Linnaea VI, c. fig. seminis = *M. fontana* Wallr.! l. c. etiam Whlbg., Willd., Schrad. et Linne excl. syn. citat. Semina majora, atrocastanea, nitentia, splendentia, leviter et tenuiter areolata. — Ludit pro diversitate loci: a) *minor:* 1—2 pollicaris, suberecta, terrestris, ramis abbreviatis, floribus subterminalibus, foliis plurimis linearibus v. lanceolatis. Huc. sec. Wallroth: *M. minor* Hoffm. Gmelin = *M. aquatica minor* Micheli 1729 c. ic. = Vaill. tab. 3, f. 4 opt.! et Pluknett 1691 tab. 7, fig. 5! — b) *major:* submersa, fluctuans, radicans, internodiis elongatis, floribus subaxillaribus, foliis plurimis oblongis v. late ellipticis. Huc: *M. rivularis* Gmelin 1805 = *Cameraria aquatica* seu *major* Dillen. 1717 et 1719! = *Portulaca aquatica* Thal. 1588 in fluviis agri Northusiani (add. locis specialiss.), teste Wallroth.

In fossis, ad rivulos et in pratis uliginosis, hinc inde copiose circa Petropolin (Mitrofan, Tentelewa, Ochta, ante portam Wiburgensem, Tsarskoje Selo, Pawlowsk, Lapuchinka). Floret ab initio Junii; initio Julii plerumque deflorata fruct. maturis. ⊙.

Hist. spec. Circa fossas et in locis uliginosis insulae Wasili Ostrow et circa Catharinenhoff flor. et semina perficit m. Junio (Amman mss. 1734, n. 8 ex synn. C. Bauh. Plukn. et Mich.); in locis ubi aquae stagnarunt copiose (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 20 s. *Montia* L.); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in aquis stagnantibus, circa fabricam pyriam Ochtensem et ad rivulos frequens; Majo, Jun. (Sobol. Petr. 1799, p. 32, n. 100 s. *Montia fontana* L. ut seqq.) et prope Ligovo (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 128, n. 106); Petrop. (Longmire 1823, p. 192, s. n. *M. fontana* var. *humilis*); in pratis humidis sat frequens, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 61, forma α. *minor* Mich. et β. *major* Mich.); in pratis humidis, paludosis, uti in insula Petri et Goloday (Turcz. 1825, n. 97); in pratis udis, paludosis, per totam aestatem (Weinm. Petr. 1837, p. 7, n. 28); in Diatr. Petr. 1845 p. 32 planta Petrop. accuratius pro *M. lamprosperma* Cham. determinatur.

Adnot. Krascheninnikow in Ind. mss. 1749, n. 136 describit plantulam uncialem a Gortero neglectam „inter *Subulariam* et *Ranunculum reptantem* in ripa humida Newae minoris" lectam, flore tantum unico intra duo summa folia patentia, calyce 3-fido, stam. 3, germine ovato-oblongo, stylis 5 manifestis. Cum dubio pro *Montia* habuit, quae iterum sub n. 155 recurrit. Etiam *Bulliardae* et *Alsinastro triandro* contradicit.

Fam. XXXVI. PARONYCHIEAE.

Familia a St. Hilaire et Decandolle proposita, recentioribus plurimis tantum subfamilia, ab *Alsineis* vix diversa, nisi foliis scarioso-stipulatis (at hoc in *Spergula* et *Spergularia*), staminibus perigynis saepe numero sepalorum et germine plerumque 1-ovulato. A *Portulaca-*

ceis germine, staminibus calycis laciniis legitime oppositis disjungitur.

CXIII. HERNIARIA.

Cal. 5-partitus, intus subcoloratus. Petala nulla. Stam. 5, rarius 2—4, fertilia sepalis opposita, saepe cum sterilibus 5 (petalis: Fenzl) alternantia. Stigmata 2, brevia, libera aut basi in stylum coalita. Ovulum 1 e basi erectum. Utriculus calyce tectus indehiscens, 1-spermus.

Herniariae glabrae herba saporis quidpiam acerbi et salsosi, siccata odoris debilis, ad hydropem (valide enim urinas pellit), ad vulnera recentia, contra hernias etiam laudabatur (unde nomen).

Nomen primo apud Gesner 1553 et 1561 obvenit, dein apud Lobelium 1570, Dodonaeum 1583! et plures patres. J. Bauhinus 1651 duas species optime novit et sensim genus naturale, praeeunte Rajo, lege artis charactere artificiali apud Tournefortium et Linnaeum instructum est. Nomen *Millegrana* Cordi 1561 recentius, a Lobelio 1581 ad plantam hodie *Radiola* vocatam translatum fuit. Item *Epipactis* Anguill. 1561 et *Empetron* Tragi 1552, minime antiquorum, vide supra p. 211.

244. *H. glabra* J. Bauh. 1651 c. fig.! Morison 1680!, Tourn. Vaill. Linné = *H. vulgaris* Parkins. 1640! fig. pessima. = *Herniaria* Gesner 1553! (1561 c. fig. s. *Millegrana*), Lobel. 1570 et plur. = *Empetron* Trag. 1552 fig. opt.! (locis specialiss. indic.).

Caules prostrati, ramosissimi, plerumque puberuli. Folia ovalia v. elliptica, glabra, laete viridia. Glomeruli axillares plurimi 5—10 flori, in ramulis abbreviatis subspicati confluentes. Flores sessiles. Calyx glaber, fructifer utriculo brevior. Stam. 5. — Variat habitu laxiori vel densiori et: β. *scabriuscula* Fenzl in Ledeb. Fl. Ross. II, 1843: foliis praesertim margine et interdum

supra scabris, calycibus plerumque inferne subpubescentibus.

In arenosis. Petropoli rarius. Ad fluv. Luga pr. Jamburg, a Gorki usque ad urbem Luga copiosissime; Dolgowka, Sholtscha. — Var. β : Oranienbaum in α abiens, in ruder. ad ostia Newae, in ripa Ingrica Narowae fluv. inter urbem et cataractam substrato calcareo syst. Silurici, usque ad ostia; ad fl. Pljussa pr. Gawrilowskoje. Floret a fine Maji v. initio Junii; fruct. mat. a med. Jul. ♃, sed non longaeva; biennis sec. Rchb.

Hist. spec. In arenosis circa monasterium, quod Petropolim inter et Strelna mysa situm est (Krasch. Cod. mss. ante 1755 ex R. Diatr. 1845 p. 50; species a Gortero praetervisa); in arenosis Pargolae 2—3 specimina (Turcz. 1825, n. 177); in arenosis pr. Oranienbaum copiose leg. Horaninow et Kühlewein, ad vias pr. Kuschelewka plura specim. (R. Diatr. Petr. 1845, p. 50); planta characteristica regionis arenosae per gubern. Petrop. extensae, substrato syst. Devon. (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 222; Mélang. p. 92).

Fam. XXXVII. SCLERANTHEAE.

Inter *Paronychieas* et *Alsineas* quasi media; a prioribus foliis exstipulatis et defectu legitimo corollae, a posterioribus staminibus perigynis et calyce indurato utriculum monospermum includente distinguitur.

CXIV. SCLERANTHUS.

Cal. urceolatus, 5-fidus. Stam. 10, rarius 5 v. 2 (conf. Fenzl in Ledeb.). Germen liberum 2-ovulatum, ovulo altero abortiente. Styli 2. — Folia linearia (opposita). Flores in dichotomiis sessiles.

Nomen a consistentia floris substituit Linnaeus 1735 generi *Knawel* Dillenii 1719, quod nomen barbarum apud Tragum 1552 primo obveniens et a Dodonaeo, Rajo, Ruppio et Haller receptum, merito repudiavit. De origine et significatione nominis *Knawel* conf. L. hort. Cliff.

245. *S. annuus* L. = *Polygonum* III, Knawel Germanis et Brabantis Dodon. 1553 c. fig.! (ad α) = *Polygonum* Germanis Knawel Trag. 1552 c. fig. (ad var. β!).

Calyces fructiferi patuli (L.) glaberrimi; laciniae ovatae acutiusculae, margine tenuissimo membranaceo pallidiore usque ad apicem involuto cinctae. Flores subpentandri : stam. 5 fertilia cum totidem sterilibus alternantia.

Sub duplici forma occurrit : α) *agrestis*, cymis effusis, floribus alaribus remotis, ramis dichotomo-ramosissimis patentibus; β) *arenaria*, cymis confertifloris, floribus alaribus paucioribus, ramis primariis adscendentibus adpresse ramosis. Rigidior et simplicior est quam α, habitu *S. perennis*, quocum saepe confundebatur. Est quoque β. *hibernus* Rchb. 1832, sed etiam vere nascitur.

Ubique copiose, α) in agris et inter segetes; β) in arenosis sterilibus. Floret ab initio Junii, fruct. post mensem maturi. ⊙, rarius ⚨ ab initio Maji florens.

Hist. spec. In agris circa Duderhof, m. Jun. (Amman mss. 1736, n. 101, ex syn. Tabern., C. et J. Bauh. Tourn.); Petropoli in agris (Krasch. Codex mss. ante 1755, append. n. 3, etiam e spec. origin! — a Gorter in Fl. Ingr. 1761 omissa et ejus loco planta subdita, quam Krasch. pro *S. perenni* habuit); Koirowo (Falk ex Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764; Falk Beitr. II, 1786, p. 178, n. 490); in arvis circa montem Pulcovum et in insula apothecaria aliisque locis siccis ad vias passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 100, n. 282; in ed. ross. I, 1801, p. 294, n. 294 exclud. locus in ins. apothec.); in arvis et ad viarum margines copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 202); in arenosis fere ubique (Turcz. 1825, n.

278); in agris, arvis, sabulosis siccis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 46, n. 305).

(**246.**) *S. perennis* L. = *Knawel incanum flore majori perenne* Raj. 1686! 1724 tab. 5, fig. 1! e Suffolk (loco specialiss. indic.) = *Polygonum cocciferum*, Polonis *Kosmaczek* Camer. 1586 c. fig.! J. Bauh. 1651 c. fig.! In radice *Coccum polonicum* alit, olim ad tincturam et confectionem Kermesinam adhibitum, at post *Cochenillae* usum frequentiorem obsolevit.

Calyces fructiferi clausi (L), plerumque inferne pubescentes; laciniae oblongae, rotundato-obtusissimae, margine lato membranaceo albo, haud involuto cinctae. Flores decandri (in cymis terminalibus compactis).

In arena mobili et campis arenosis sterilibus plagarum magis australium gub. Petrop. ad systema Devonicum medium spectantium, hinc inde copiosissime: circa oppid. Luga, a Tolbitzy ad Lotschkina et Sholtscha. Initio et medio Julio flor. et fruct. ♃.

Hist. spec. *S. perennis* Auct. Fl. Petrop. sine dubio fere ad *S. annuum* β. transferendus. In ripis elatioribus et arenosis Newae fl. supra cataractam passim occurrit, inferius non vidi; d. 7 Aug. jam penitus deflor. (Krasch. Codex mss. ante 1755, n. 193; a Gorter 1761 p. 66 pro *S. annuo* interpretatur, sed diagnosis et synn. citata aperte *S. perennem* indicant; tamen dubito, loco dicto provenire); circa Petropolin (Rudolph ex Georgi 1790, p. 66, n. 267); copiose ad vias Pargelovii et ad montem Pulcovum (Sobol. Petrop. 1799, p. 100, n. 283; ed. ross. I, 1801, p. 295, n. 295); in arenosis passim, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 46, n. 306); e territorio Fl. Petrop. nondum vidisse, nisi in herb. a Kastalsky editis sine loco speciali adscripto, in Diatr. Petr. 1845 p. 13 monui; planta characteristica regionum arenosarum syst. Devonici (R. in Bullet. 1854, p. 222; Mélanges p. 92).

Fam. XXXVIII. CRASSULACEAE.

Char. Flores regulares, isomeri, concentrici, perfecti, ☿, rarius diclines imperfecti (*Rhodiola*). Cal. liber persistens, saepissime 5-partitus v. fissus. Cor. petala cum laciniis calycinis alternantia, interdum (in *Sempervivo* et *Umbiliceis*) basi in tubum connata. Stam. cum petalis imo calyci inserta, iisque alterna, nunc duplicata: seriei interioris petalis opposita. Antherae introrsae. Squamula hypogyna ad basin cujusvis ovarii. Ovaria tot quot petala iisque opposita, verticillata, 1 locularia, libera vel rarius basi connexa, matura follicularia. Ovula horizontalia v. pendula. Semina suturae interiori (ventrali) carpidiorum dehiscenti affixa, parce albuminosa, in loculis saepissime numerosa, minutissima v.? scobiformia. Embryo rectus, cylindraceus; cotyledonibus brevissimis; radicula hilum spectans. — Herbae vel suffrutices. Folia carnosa exstipulata. Flores cymosi, racemosi, rarius spicati, subinde axillares solitarii.

Affinitas proxima cum *Saxifrageis* genuinis, imminuto germinum numero et inde floribus anisomeris, defectu squamularum hypogynarum et praesentia albuminis copiosi in semine diversis.

Qualitates et usus. Herba plurimarum carnosa, succo aqueo subsalso quidpiam austero plena, unde olim inter remedia refrigerantia, diuretica et vulneraria numerabantur et hodie adhuc in medicina rustica valent. Succus continet praecipue acidum malicum cum calce nuptum; interdum horis matutinis magis acidus, vespere indiffe-

rens percipitur. *Telephia* etiam cibo idonea sunt; folia epidermide spoliata praestantissima sunt ad callos digitorum pedum emolliendos et excutiendos (Bertol.). Herba *Sedi acris* inter reliquas species generis et fere sola in hac familia piperata acredine recedit; externe applicata rubefaciens, interne majori quantitate assumta emetica est et purgans, irritationem pharyngis, gastroenteritidem et tenesmum vesicae intolerabilem provocare valet; qualitates dynamicas *Mezerei* simillimas possidet; modica quantitate urinam et alvum pellit, diaphoresin movet, aliquam quoque in epilepsia curanda famam sibi meruit; externe adversus ulcera scorbutica et carcinomatosa laudatur. Radix *Sempervivi* acri-amara est; folia acidulo-acerba, externe in ulceribus, combustionibus, adversus lentigines et verrucas in usum veniunt.

Genera indigena :

CXV. BULLIARDA. Flores 4-meri, isostemones, i. e. calycis laciniae, petala, stamina, stigmata et carpidia 4. Carpidia polysperma. — Folia opposita, basi vaginis membranaceis connata. Flores alterni. *Tillaea* Micheli, Dec. tantum differt carpidiis dispermis, inter semina constrictis et floribus typice trimeris, squamulis hypogynis obsoletis.

CXVI. SEDUM. Flores 5-meri diplostemones, i. e. sepala, petala, sq. hypog. et carp. 5, stamina 10.

(§. 1. CEPAEA, species ⊙ v. ⚨ colligens, Ingriae peregrina).

§. 2. SEDUM (genuinum). Radix ♃, tenuis, caespites caudiculorum repentium sterilium perennantium et floriferorum annuorum emittens. Folia plana v. teretia.

§. 3. TELEPHIUM. Radix ♃, valide ramosa, tuberibus onusta, multicaulis, caules annuos partim floriferos

et autumno novas gemmas hypogaeas, sed nullos caudiculos repentes epigaeos perennantes emittens. Folia semper plana.

(CXVII.) SEMPERVIVUM. Flores 6—12—20-meri, diplostemones. Petala basi cum staminibus in corollam monopetalam coalita (excepto solo *S. tectorum* plantato). Stamina duplo petalorum numero, alterna saepe vel omnia in carpidia monstrose mutata.

CXV. BULLIARDA.

Nomen et genus proprium a *Tillaea* diversum in memoriam mycologi bene meriti Bulliard, a 1776—95 florentis, constituit Decandolle 1801. *Bulliarda* prius (1790) a Neckero proposita, sec. Decandolle non differt a *Xylopia* L.

247. *B. aquatica* Dec. = *Tillaea aquatica* L. Fl. Suec. excl. syn. Vaillantii, a Schkuhr 1794! et Willdenow 1797! in distinctam speciem segregato. Plantula a Linnaeo detecta in Lapponia ad ripas fluvii Lulensis et pr. Upsaliam, primum obiter memorata a 1737.

Flores sessiles v. brevissime pedicellati, rosei v. albi. Folia linearia v. lanceolata, acuta, $1^1/_2$ lin. longa. Caules $1^1/_2$ poll. v. minores. — Planta minima erecta (L.), extra aquam saepius prostrata, latior, magis rutilans (Whlenbg.). Ad posteriorem formam spectat: *B. prostrata* Mert. et Koch 1823 = *Tillaea prostrata* Schkuhr in Usteri (1791, tab. 3!) 1794! In limosis interdum tota radicans. Rarissime pedunculos 1 lin. longos normalibus interspersos vidi.

In ripis vadosis arenosis v. limosis periodice inundatis ab ostiis Newae fl. et insulis usque ad lacum Ladoga pr. Schlüsselburg utraque forma fere ubique sat copiose; ceterum tantum ad fluvium Jaschtschera pr. Dolgowka vidi. Floret et fructif. ab initio Julii v. prius, saltem ad initium Septembr. ⊙.

Hist. spec. Petropoli (H. Mertens mss. 1823 s. *Tillaea aquatica* Upsaliensi); in inundatis cum *Subularia aquatica* circa Petropolin (Weinmann Pawl. 1824, p. 76 s. *T. aquat.* ut seq.); ad ripas insulae Krestowsky et ad paludes viae Lachtensis; etiam in ins. apothecaria! et in praedio Kuschelew legit Trinius (Turcz. 1825, n. 126); in litoribus arenosis Newae! Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 21, n. 128 s. *B. prostrata* M. K.).

CXVI. SEDUM.

Sedum, inquit Festus, alii *Sadum* appellant herbam, quam Opilius Aurelius *Sesuvium* vocari ait, eamque in tegulis seri. Hoc, addit C. Bauhinus, forte factum, quod nonnullis locis plebis animos invaserit opinio, non feriri fulmine domum, in cujus tegulis *Sedum* vireat; unde *Sempervivum tectorum* vulgo Donderbaert appellari, jam Dodonaeus 1553 refert. *Aeizoum* utrumque! (sc. *majus* et *minus* Dioscoridis), scribit Plinius, quoniam viret semper, aliqui *Sempervivum; majus* quod aliqui *Buphthalmum* vocant, alii *Zoophthalmon*, alii *Stergethron* quod amatoriis conveniat, alii *Hypogeson* quoniam in subgrundiis fere nascitur, sunt qui *Ambrosiam* potius vocant et qui *Amerimnon*, Itali *Sedum magnum* aut *oculum* aut *digitellum*. *Sedum magnum* (ἀείζωον τό μέγα), ut Dioscorides docet, *Sempervivum* vocatur, quoniam folia semper vireant; est *Sempervivum arboreum* L. quod etiam in Cypro crescit; testatur quoque Clusius 1601, addens: voce lusitanico *Ensayon*, nonnihil veterum *Sedi* appellationem referente, appellari. Ἀειζώον Theophrastus ait (*Sempervivum* Gaza vertit) datum a natura est, quo humidum virideque semper durare valeat; folio carnoso, laevi atque oblongo id constat; planis parietis nascitur, nec non et in tegulis, cum terrae confluvium quoddam arenaceum factum est. Hanc Theophrasti plantam cel. Fraas potius pro *Sempervivo tectorum*, quam *Sedo amplexicauli* habet. *Sempervivum* s. *Sedum minus* Dioscoridis et Plinii „quod *Erithales*

vocant, alii *Trithales*, quia ter floreat, alii *Chrysothales*, aliqui *Isoëtes*" pro *Sedo amplexicauli* Dec. a cel. Fraas interpretatur. Etsi igitur apud Romanos *Sempervivi* nomen promiscue pro *Sempervivis* et *Sedis* nostris in usu erat, potissimum tamen sub *Sedo majori Sempervivum* hodiernum intellexerunt (discedit opinio Clusii a sententia Dodonaei tantum specie, non genere) et sub *Sedo minore Sedum* genus, cui nomen *Sempervivi* non bene conveniret, cum multas species annuas contineat. Ita genus *Sedum* jam a C. Bauhino divisum fuit, eodemque sensu Ruppius atqne Linnaeus genera utraque a Tournefortio conjuncta separaverunt.

248. *S. acre* Haller 1742! et Recent. = *Sed. parvum acre flore luteo* J. Bauh. 1651, c. fig.! Raj., Moris., Tourn. = *Semperv. minimum vermiculatum acre* C. Bauh. 1623! = *S. minus* VIII *causticum* Clus. 1601 fig. opt.! = *Sed. minimum* Tabern. 1590 c. fig.! (fol. non imbric.) = *Semp. minimum* Lobel. 1576 c. fig.! Matth. ed. Camerar. 1586 fig. opt.! = *Aizoon acre* Cord. 1561! p. 98 obiter = *Illecebra* Dodon. 1553 c. fig.! = *Vermicularis* Trag. 1552 c. fig.! = *Sedi tertium genus* Fuchs 1542 fig. bona! = *Andrachne agria* Graecorum, *Illecebra* Italorum: Plinius = *Sempervivi tertium genus acre* et *exulcerans*, ἀνδράχνη ἀγρία, τηλέφιον Diosc.; quod hodie in Creta insula saltem crescat; cel. Fraas et alii pro *Sedo stellato* habent, quod gustu mucoso et salso, sed minime acri differt.

Folia carnosa, ovata, erectiuscula, dorso gibberosa, basi obtusâ adnata. Caudiculi steriles foliis sexfariam imbricatis. Cyma glabra. Petala lanceolata, acuta, calyce duplo longiora, lutea. — Variat β. *alternifolium*, cauliculis sterilibus repentibus (an planta Loeselii 1702 pro specie distinctâ descripta?) radicantibus ramosissimis elongatis laxe foliatis, foliis conspicue angustioribus longioribus et acutioribus, basi deorsum magis protracta, supremis exceptis arcuato patentibus, sparsis, remotis. E diagnosi Linnaeana hoc potius *S. acre* et α) *S. sexan-*

gulare (excl. synn.) esset. *S. sexangulare* plur. Auctor. est *S. boloniense* Loisl. sec. Koch Syn. ed. II, 1845 p. 1024.

In arenosis sterilibus, lapidosis, ad muros, fere ubique copiose; β. in arenosis ad lacum Tscheremenetz pr. Nawolok cum typo. Floret ab initio Junii v. prius, saltem ad medium Julii; fruct. mat. a medio Junio v. serius. ♃.

Hist. spec. Circa piscinam, quae in insula crucis, ripis elatioribus copiose crescit; ad fl. Wolchow! et ad ductum aquarum Ladogensem vulgatissima planta est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 72); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in montosis arenosis ubique, uti in m. Poclonnaja!, Pulcovo, Pargelovii! et in pratis siccis insulae lapideae! aliarumque vulgaris planta est (Sobol. Petrop. 1799, p. 106, n. 302; ed. ross. I, 1801, p. 307, n. 314); ubique (Turcz. 1825, n. 298); in locis sterilibus arenosis vulgare (Weinm. Pawl. 1824, p. 215 et sine loco in Enum. pl. Petr. 1837, p. 50, n. 337).

§. TELEPHIUM:

diu titulus erat genericus Fuchsio 1542, Dodon. Matth. Gesnero. Lobel. Clus. Camer. Tabern. C. Bauhino 1623, species plurimas amplectens, a Linnaeo sub *Sedo Telephio* conjunctas. Linnaeus, duce Clusio, nomen *Telephii* genericum plantae ab Imperato 1599 pro *Telephio* legitimo antiquorum proposito imposuit, in qua tamen explicatione uterque lapsus est. Clusius 1601 ambiguitatem nominis non celavit. Si quidem τηλέφιον Dioscoridis aut Hippocratis acre et exulcerans, ut nonnulli voluerunt, pro *Sedo Anacampserote* interpretari possit, nomenclatura omni ex parte absoluta foret. Aliud insuper ab hoc videtur τελέφιον Dioscoridis, *Portulacae* simile, quod alas binas (pinnulas) in singulis foliorum geniculis habet, folia coerulea crassa enta atque carnosa, flores luteos aut candidos, quodque idem est ac *Telephion* Plinii; Guilandinus et C. Bauhinus pro *Ornithopodio scorpioide*, Fraas

vero pro *Cerinthe aspera* habet. Originem vocis tradunt a Telepho Mysiae rege; ille enim ab Achille vulneratus ulcera inde exorta maligna, telephia hanc ob rationem vocata, herbâ *Telephii* impositâ sanavit. Patres quidam, rejecto nomine *Telephio*, praeferebant *Fabariam*, alii *Anacampserotem*. *Fabaria* Matth. 1558! Guiland. Camer. Dalech. usque ad Ruppium, sive *Faba inversa* (non Dorsten. 1540) Gesner 1561, Lobel. Gerard, dicebatur propter similitudinem foliorum vel potius tuberum cum *Faba*. *Anacampseros* Gesner 1561! J. Bauh. 1651! Tourn. (excl. *Rhodiola*), Vaill. usque ad Adanson et Haworth *Seda* §. 1. planifolia Linnaei fere refert; *Anacámpseros* apud Plinium memorata, est herba, cujus ope amor (ἔρος) reconciliatur (ἀνακάμπτω, ψω); evulsam extra terram vivere, scribit Hesychius.

249—251. *S. Telephium L.* Titulus mere collectivus pro speciebus plurimis, patribus non raro optime cognitis, at magis ex habitu et figuris, quam notis subtilioribus definitis; quare ante recognitionem locorum classicorum et observationes in hortis repetitas, synonyma et inde nomina semper quidpiam incerta manebunt. Quaedam *Telephia* Ingrica e tuberibus in hortum translata faciem suam non mutabant; sed desunt experimenta diversitatem soli et constantiam characterum e satione illustrantia; e seminibus educata anno circiter quarto florent.

Hist. spec. In pratis circa Catharinhof sec. Krascheninnikow et Tschornaja Retschka (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 72; planta Krasch. in Codice mss. sub № 420 memorata e synn. citatis floribus chloroleucis fuisse videtur, Gorteri vero e loco et syn. *Anacampseros purpurea* J. Bauh. = *S. Fabaria*); Newa i. e. Petrop. in collibus siccioribus (Falk Beitr. II, 1786, p. 180, n. 522); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in prat. c. Cathar. et in montosis Pargelovii! Osinova Roscza atque in monte Pulcovo! aliisque locis siccis arenosis (Sobol. Petrop.

1799, p. 105, n. 301; ed. ross. I, 1801, p. 305, n. 313; e locis partim *S. Fabaria* subesse videtur); in locis sterilibus, arenosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 214 s. *S. vulgari* Link); in montosis Pulcovae et Poclonnaja, nec non in agris Murinae et alibi (Turcz. 1825, n. 297); in locis siccis, arenosis hinc inde, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 50, n. 336); Petropoli multo rarius, quam in Fennia australi; v. g. in agris pr. Manachtina med. Aug. jam defloratam leg. Kühlewein, in pratis ins. Kronstadt (Rupr. Diatr. 1845, p. 61, ubi *S. Fabaria* Koch sejungitur; conf. observ. ibid.).

Species et varietates sequentes in Ingria hucusque observatae sunt:

I. Folia basi cordatâ et auriculatâ sessilia, pleraque opposita. Flores sub anthesi albi v. ochroleuci, in quibusdam formis roseo-punctati, maculati vel postea dilute purpurascentes. *S. Telephium* Tausch 1834 in Flora.

1. Folia ovata v. ovalia. Tubera fusiformia (conica in radicem sensim attenuata). α) Petala chloroleuca. Filamenta imae basi petalorum adnata. Folia ovata. In pratis glareosis ins. Kronstadt, floret ab initio Aug.; fine Aug. defloratum sem. maturis. Huic quam maxime convenit *Telephion* sive *Fabaria* Camer. 1586 c. fig. bona! etiam propter tubera interdum breviora, differt fol. saepe ternatis. Est etiam *S. maximum* Rchb. 1830 pl. crit. VIII, fig. 969! et (propter filamenta) Koch, qui tuberum formam silet, in figuris veterum eximie fusiformem. Non differt nisi foliis oblongis et majoribus: figura *T. hispanici* repetita in Lobelio 1576!, 1581!, Clusio 1576, 1601! Dodonaeo 1583! ubi *Tel.* I, J. Bauh. 1651! ubi primum *Anacampseros maxima* dicitur; ex hac ortum est *S. Telephium* δ, nec non ε. *maximum* L. — β) Petala alba, apice viridula, punctis roseis adspersa. Filamenta ad $^1/_4$ petalorum partem adnata. Kyrka-Duderhof (Borszczow!); — γ) *rupestre;* petala inferne alba, extus et intus superne rubella, ut ovaria et antherae, ante anthesin tota alba cum ovar. et anth. Filamenta ut in β. Folia ovalia. In rupibus calcareis ad cataractas fl. Wol-

chow copiose, init. Aug. florens et fruct. semimaturis. An eadem? ad fl. Pljussa pr. Polja, med. Julio nondum florens.

2. Folia ut in 1, sed magis ovato-oblonga, acutiora, argutius dentata. Tubera napiformia (globosa v. ovalia). *Telephium* Tabern. 1590 c. fig.!

⁂ α) *petraeum;* petala alba, in sicco saepe rubro-maculata; filamenta ad $^1/_4$—$^1/_3$ longit. petalorum adnata. In rupestribus Fenniae austr. maritimae a Wiburg usque ad archip. Aboënsem vulgatissime; floret jam ab initio Jul. (med. Jul. calend. exteror.). Hoc in Diatr. Petr. 1845, p. 61 pro *S. Telephio α albo* Linné habui et potissimum erit *S. Telephium* L. Fl. Suec., sed in Spec. pl. citatur diversissimum *S. album* Fuchs 1542, cujus figura apud Dodonaeum 1553 s. n. *Cymbalion* recurrens, ut illa apud Clusium 1601 sub *T.* II *vulgari*, adeo similis est *S. Fabariae* Koch ut varietatem ejus albifloram fere referat; — β) *murale;* petala ochroleuca, extus apice livido-purpurescentia; filamenta fere ad medium petalorum adnata. Kolpanskaja Kyrka in muris fine Jul. florib. primis; — γ) *arenarium;* petala alba, post anthesin extus vel margine rosea; filam. ad $^1/_6$—$^1/_4$ petal. adnata. In collibus arenosis ad fl. Luga pr. Gorki, fine Julii partim defloratum; — δ) *agreste;* petala albida, saepissime purpureo-maculata; filamenta ad $^1/_4$ petalis adnata; interdum folia quaedam inferiora basi rotundatâ (nec cordatâ) sessilia. Pargola et Manachtina, in agris inter segetes (Kühlewein!), med. Aug. plerumque defloratum. Arbonje in arvis siccis, fine Jul. flor.

II. Folia saltem superiora basi leviter cordata, caulina media ovalia basi rotundatâ sessilia, omnia sparsa. Flores purpurei, virginei pallidiores. Filamenta ut in *S. Fabaria.* Tubera variant globosa vel breve fusiformia. Caulis $1^3/_4$ ped. autumno purpurascens. Omnino *S.* s. *T. intermedium* appellari possit, folia prioris fere exhibet, flores et cicatrices in caule spirales sequentis. Ex agris desertis Lissinae in hortum translatum floruit init. Aug., medio Aug. partim defloratum fruct. immaturis, fine Aug. aphyl-

lum sem. maturis. *S. Telephium* Rchb. 1830 fig. 968 forte idem est. *S. purpurascens* Fuchs 1542 c. fig. rudi simile quidem, sed explicante Koch 1845 differt: filamentis in $^1/_6$ petalorum longit. adnatis, ovariis dorso sulcatis, petalis dilute purpureis, margine albidis, foliis superioribus basi rotundatis, nec auriculatis. Convenit fere specimen *S. purpurei* a Tausch 1843 missum, e Bohem. incultis pr. thermas Carolin., tubera vero desiderantur.

III. Folia versus basin sensim attenuata, inferiora breve petiolata, omnia sparsa, suberecta. Flores sub anthesi purpurei. Filamenta ad $^1/_3$ longit. petalorum adnata. Tubera fusiformia. *S. Fabaria* Koch 1837, Rupr.! Diatr. Petr. 1845, p. 60, Fries 1852 in Hb. norm. XIV, n. 48! specc. Petrop. a D. Kühlew. = *S. purpureum* Tausch 1834 = *T. purpureum* Tabern. 1590 fig. opt.! var. α., ut similis fig. *T.* V *purpureo flore* apud Clusium 1601! = *Tel.*, *Fabaria* Matth. 1558 c. fig.! et fol. basin versus evidentius attenuatis var. β. similior figura apud Lobel. 1576!, quam officina Plantiniana in variis editionibus (Dodonaei, Clusii) reimpressit, unde forte var. albiflora exorta est; = *Teleph.* (*purpureo flore*) Camer. 1586 c. fig.! ad var. β. — *Scrophularia* Trag. 1552 c. fig.! forma umbrosa, minus stricta, tuberibus globosis napiformibus valde recedit.

Circa Petropolin praecipue in isthmo Kareliae ex septemtr. Newae copiose, sub duplici forma in eodem saepe loco occurrit: α) foliis oblongo-ovalibus, margine repando-dentatis; β) foliis angustioribus cuneatis, margine saepe argutius inciso-serratis. Jam in Diatr. p. 60 notavi, nostram plantam a descriptione apud Koch exhibita solo tempore florendi recedere, nam fine (medio) Junii in Germania, hic vero non ante initium Augusti (calend. exterorum) per 4 hebdomades floret et medio Sept. fruct. mat. et adhuc foliis vestita est. Initio (medio) Julio in apricis pr. Gorodetz var. β. at gemmis florum chloroleucis legi, ita ut optime referat *T. album* Fuchs (an hoc *angustifolium* Lilja, Fries Summa?). Specimen plantae Kochianae e loco classico Babia Gora quod vidi,

foliis late-lanceolatis, apice longius attenuatis, quam basi a nostra var. β. forte differt, in qua proportiones hae inversae.

Hist. spec. *S. Fabariae* ex Diatr. Petrop. 1845 p. 60: in pratis nemorosis ad rivulum Tschornaja e regione Wiburgensi (var. α.); Kablowka pr. Pargola in pratis et pr. Manachtina (Kühlewein! α. et β.; etiam in declivibus arenosis et lapidosis siccis ibid. Pugatschewsky! Borszczow!); Oranienbaum (Horaninow! spec. incompl.).

Obs. Cel. Turczaninow in Fl. Baic. Dahur. p. 438 (Bullet. Mosc. 1844, p. 247) scribit, se fragmentum *Telephii* cujusdam floribus purpureis simul cum *S. Fabaria* Koch e Fl. Petrop. collecti possidere, cui folium inferius distincte cordatum, sequens subcordatum, cetera auriculis destituta basi latâ ovatâ insident et summa ad basin angustata sunt; quare omnes 3 species a Kochio distinctas in unam jungit. An haec 4ta species aut forte forma hybrida fuerit, videant.

(CXVII.) SEMPERVIVUM.

De nomine et origine generis conferas *Sedum*. Secundum Linnaeum auctor generis est Ruppius 1718!, qui flore polypetalo a *Sedis* segregavit; Linnaeus ipse Dodecandriae Dodecagyniae inserens, genus charactere artificiali accuratius determinavit; posteriores autores varias emendationes addiderunt.

(252.) *S. soboliferum* Sims 1812 in Bot. Mag. tab. 1457! = *S. globiferum* Rchb. 1832! Miller 1768! concedente ipso Sims l. c. sub n. 2115, verosimillime etiam Linné 1753, confer infra; = *Semp.* petalis fimbriatis, *sobole* compacta Schmidel 1793, tab. 26 incomparabilis!! = *Sedum majus* vulgari simile *globulis* decidentibus Morison 1699 quoad descr.?, non fig. = an? *Sedum* majus *soboliferum* flore albicante magno, foliis in margine pilosis Pluknett 1696, p. 339 excl.

synn. = *Semp.* alterum foliis minoribus frequentioribus et densioribus, floribus luteo-pallentibus Dodon. 1583 p. 127 lit. B! sine icone (etiam sec. Schmidel).

Petala 6 cum sepalis erecta, in formam campanae disposita, apice tantum recurvata, flava. Folia praeter cilias marginales glabra, rosularum oblongo-cuneata fere obovata, ultra medium in acumen angustata (nec lanceolata, jam a medio ad apicem sensim attenuata, ut in simili *S. arenario* Koch), interiora et media in globum conniventia, exteriora patula, in axillis soboles pedunculatas globuliformes deciduas foventia.

Circa oppidum Luga in campis sterilibus apricis solo arenoso copiose, sed omnino sterile initio Julii. Vix dubium superest, *Sempervivum* illud in Livonia quoque rarius florens, eadem localitate et formatione geognostica (syst. Devon. medii) proveniens ejusdem speciei esse. Hujus specc. florentia spontanea et culta, quae in herb. C. A. Meyer disquisivi, non ad *S. hirtum* L. ut Ledebour in Fl. Ross. dixit, neque ad *S. arenarium* Koch, sed ad *S. soboliferum* Sims sec. expositionem in Kochii Syn. ed. 2. pertinent (R. in Bull. Acad. 1854, p. 222; Mélang. p. 92). Patet etiam *S. tectorum* e Petropoli in Ledeb. Fl. Ross. II, 1843, p. 189 indicatum, hujus loci esse; sec. Gorter enim non Petropoli, sed „circa ostium pristannoi rutschei in Lugam fluentis ad radicem collis magna copia crescit“ (Krasch. ed. Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 77 s. *Semp. tectorum* L.). Jam in Diatr. 1845, p. 57 speciem diversam propter habitaculum suspicatus sum, at non oppugnante diagnosi et synonymis, plantam Ingricam, tunc mihi ignotam, seposui. Inspecto nunc accuratius Codice mss. Krascheninnikowii sub n. 421 citatum inveni non solum syn. J. Bauhini, sed quoque: *Sedum* rosulis acaulis, liberis, conniventibus, foliis ciliatis Haller helv. 392, synon. a Gortero omissum; synonyma vero Linnaei a Gortero allegata in Codice desunt, quare interpretatio falsa majori ex parte Gortero adscribenda est. Crederem porro, J. G. Gmelinum *Sempervivum* hocce a Krascheninnikowio accep-

tum, non diu ante 1753 in Ingria detectum, utpote sibi quoque paulo dubium, vivum ad Linnaeum misisse, qui in horto suo proprio plantavit (ubi teste Fries 1845 adhuc viget) et sine dubio pro *S. globifero* habuit, unde etiam locus natalis, prius Linnaeo ignotus, in Spec. pl. ed. 1. „habitat in Rutheno: D. Gmelin" (in modum *Silenis tataricae* Ingricae, vide p. 158). Gmelin nullibi in scriptis suis *Sempervivi* cujusdam mentionem facit et in locis ubi *S. globiferum* Koch 1835 = *S. ruthenicum* Koch 1843 crescit, non peregrinatus est. Si nostrum igitur pro *S. globifero* Linnaei fingitur, tunc diagnosis et synonymia in Linn. Spec. pl. tam diu vituperata, plantae Kochianae contraria, aliter sese haberet; synn. Jacq. et Halleri excludenda postea addidit Linnaeus.

Fam. XXXIX. SAXIFRAGACEAE.

Char. Flores subregulares, anisomeri, ☿, rarius apetali. Cal. persistens, liber v. ovario adhaerens, e sepalis 4 v. 5 (rarius 3—10) basi ± coalitis. Petala totidem alterna, calyci inserta, aestivatione imbricata vel (in *Hydrangeis* et *Escallonieis*) valvata. Stam. numero petalorum, interdum 2—4-plo, rarius diminuto. Styli saepissime 2, persistentes (in *Escallonieis* connati). Ovarium e carpophyllis sutura ventrali seminiferis, plerumque 2 (rarius 3 v. 5) discretis aut margine cohaerentibus, placentis tunc centralibus biloculare aut parietalibus uniloculare. Capsula matura (in *Hydrangeis* quandoque baccans) in elementa carpica secedens, carpidiis intus apice vel juxta totam longitudinem dehiscentibus. Semina in loculo saepissime ∞; embryo in axi albuminis subaequilongus, orthotropus; cotyledones breves. — Herbae foliis simplici-

bus, saepissime alternis (*Saxifrageae*) aut frutices v. arbores: nunc foliis oppositis (*Hydrangeae*), oppositis v. alternis (*Escallonieae*, quae holostyles), nunc trifoliatis (*Bauera*), nunc foliis stipulatis simplicibus v. compositis (*Cunonieae*).

Affinitas cum *Crassulaceis* et *Rosaceis* (*Spiraea*) jam supra p. 396 et 297 memorata. Cum *Umbelliferis* necessitudinem summam urget cel. E. Meyer.

Usus exiguus et indigenarum specierum omnino obsoletus. *Saxifragae* plurimae sapore modico acidulo, species quae succum viscidum resinosum parant, sapore acri sunt et in morbis systematis uropoëtici quadam vi pollent, sed calculos vesicae vix solvunt, ut prius creditum fuit. Herba *Chrysosplenii* nostri sapore debili *Nasturtii*, olim ut solvens et roborans in physconiis hepatis et lienis (unde nomen) propinata fuit. *Saxifragae granulatae* herba sapore acidulo et quidpiam acri; bulbilli radicales amaro-austeri.

CXVIII. SAXIFRAGA. Cal. 5-partitus v. fidus. Petala 5, integra (in nostris aequalia). Stam. 10. Styli 2. Caps. bilocularis, birostris, inter stylos foramine dehiscens, ∞ sperma. Spermophora in medio dissepimenti. — Herbae foliis radicalibus saepe rosulatis, petiolis basi saepe dilatatis.

CXIX. CHRYSOSPLENIUM. Flores apetali: terminalis primarius 5 fidus, 10-andrus, reliqui seriores 4-fidi, 8-andri (Linné). Cal. coloratus, sepalis 2 oppositis minoribus. Cor. nulla. Styli 2. Caps. 1-locularis, birostris, ad medium usque in valvulas 2 dehiscens, ∞sperma; spermophora 2 parietalia infra incisuras marginales capsulae. — Herbulae tenerae, floribus cum foliis summis corymbum aureum constituentibus.

CXVIII. SAXIFRAGA.

Σαξίφραγον, ...γιον Romanis, sive σαξίφραγα (*Saxifranga* vertit Gaza) in Codicibus Dioscoridis IV, c. 16, licet vetustissimis obveniens, forte non immerito inter subdita rejectum, quia nomen latinum contra morem graeci scriptoris graece profertur, nec apud Oribasium reperitur. Est frutex surculosus in petris et asperis nascens locis *Thymo* similis (Diosc.). *Saxifraga* Romanis (Apulejo, Q. Sereno Sammonico, Scribonio) dicitur, quod calculos vesicae frangat, quod et Dioscorides de planta sua docet. Plinius *Saxifragum* eandem cum *Trichomane* plantam esse, tradit. Si hic Dioscoridis locus non spurius, patet *Saxifragam* etiam vocari ἔμπετρον (vide p. 211). Plinius vero *Empetrum* a Romanis *Calcifragam!* appellari ait. Unde facile de 2 diversis plantis sermonem esse, conjicere licet; an forte ἐπίπετρον Hippocr. Arist. Theophr. Galen. latet? quod cel^{0}. Fraas *Sedum rupestre* nisi *amplexicaule* videtur. Genus *Saxifraga* Linnaei conjunctis duobus Tournefortii *Saxifragia* (capsula infera) et *Geo* (caps. supera) ortum est. Apud C. Bauhinum adest *Saxifraga* genus, particula hodierni, e *S. granulata* L., *bulbifera* L. et *Chrysosplenio* compositum; reliquae species numerosae vero sub *Sedis alpinis*, *Cotyledone* et *Sanicula rotundifolia* dispersae; nullus patrum has pro *Saxifragis* habuit, excepto forsan *Saxifraga petraea* Pona 1601. Patet methodus exculta Tournefortii, qui membra dispersa in 2 genera collegit. *Saxifraga granulata* est typus generis; occurrit enim sub nomine *Saxifragia* apud Brunfels 1530 p. p.!, Lacuna, Matthiol. vel *Saxifraga* apud Fuchs 1549, Tragum 1552, Dodon. Gesner. 1561, Dalech. Thal. Camer. Tabern. Lobel. Clus.; huic vires ex Plinio et Dioscoride adscripserunt. Nil referam de numerosis aliis plantis a patribus nomine *Saxifraga* salutatis.

253. *S. Hirculus* L. = *Hirculus Frisicus* Dortmann ex Clus. 1611 c. fig.! (petala 6 pingit et describit) ex agro Groeningensi. Iconem bonam tab. VIII exhibuit Haller 1742.

Petala 4—6 lin., aurea, multinervia, intus ultra medium croceo-punctata, basi bicallosa. Calyx inferus refractus. Folia lanceolata plana integerrima, firma, erecta, infima in petiolum attenuata. Caudiculi steriles prostrati, laxifolii, fertiles 1/2—1 ped. erecti, foliosi, 1—3 (rarius 6-) flori, basi et apice villo ferrugineo et lutescente adspersi.

In pratis humidis sylvosis ad Krasnoi Kabak, item in paludosis circa Katharinhof passim (Laxmann ex Gorter Append. Fl. Ingr. 1764, p. 198); prope Oranienbaum et Schlüsselburg (Laxmann ex Georgi 1790, n. 265); prope Ligova (Sobol. Petr. 1799, p. 99, n. 281; ed. ross. I, 1801, p. 294, n. 293; repetita sunt loca ex Gorter); pr. Antelewa parce (Prescott ex Turcz. 1825, n. 277); vidi specc. Petropolitana, verisimiliter Prescottiana in Herb. Acad. (R. Diatr. Petr. 1845, p. 58); in pratis turfosis circa Gatschinam copiose, fine Julii florens et fruct. partim maturis (Borszczow!, Karpinsky!). ♃.

(**254.**) *S. granulata* L. = *S. alba* radice *granulosa* J. Bauh. 1651 c. fig.! = *S. granata* flor. albis Gesner 1553 (teste Haller) = *S. alba* Fuchs 1542 et 1549 fig. bona!, Trag. 1552 fig.!, Dodon. 1553 c. fig.! uti 1583!, Gesner, Tabern. 1590 c. fig.! Raj. = *Saxifragia* Brunf. 1530 fig. bona!

Petala 1/2 poll. alba, sub-3-nervia. Calyx semisuperus erectus. Folia radicalia reniformia, 7—9 loba, petiolata, caulina cuneata, 3—5 fida. Caulis erectus paucifolius, apice corymbosus, inferne cum foliis albo-pilosus, superne glandulosus. Radix granulata, ♃.

In fruticetis graminosis prope Narwam, Majo, Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 45, n. 299). Terminus orientalis plantae adhuc in Esthonia et Livonia finitima vulgaris.

(255.) *S. tridactylites* L. = *Sedum tridactylites tectorum* C. Bauh. 1623! = *Dactyliobotanon altera* niveo flore s. *Tridactylus* Thal. 1588! (Tragus 1552 folia tribus digitis expansis similia describit) = *Paronychia altera* Lobel. 1576 fig. opt.! repetita ap. Dodon. 1583.

Petala vix 1 lin. alba. Calyx superus, dentibus ovatis obtusis. Pedunculi solitarii fructu multo longiores. Folia radicalia obovato-spathulata indivisa v. trifida, caulina alterna, (in typo) palmato-trifida. Caulis solitarius tenuis, erectus, glanduloso-pubescens. Radix filiformis, simplex, annua. — In locis siccissimis folia indivisa evadunt (Linné Fl. Suec.); haec var. est *S. exilis* Pollini 1816!, 1822! (contra Koch); e seminibus plantae typicae enatam vidi; folia subovalia; caulis $2^1/_2$ poll. vel minor, interdum exilis, uniflorus.

In ripa praerupta calcarea, etiam ingrica fl. Narowae infra cataractam parcius et tantum var. minuta (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 215; Mélang. p. 82). Fine Maji cum flor. et fruct. fere maturis; mox exsiccatur et evanescit. ⊙

CXIX. CHRYSOSPLENIUM.

Nomen *Chrysosplenion* (Gülden Miltzkraut) primum apud Tabernaemontanum 1590! (1588 s. n. *Chrysosplenium* sec. C. Bauh.) obvenit pro *Chr. oppositifolio*, prius *Saxifraga aurea* dicta et diu cum *Ch. alternifolia* confuso. Tournefort primus diversitatem generis exposuit, ab omnibus mox perspectam, ita ut genus tum nomine, tum notione firmius multis aliis stabilitum sit.

256. *Ch. alternifolium* L. = *Ch. foliis alternis* Haller 1742! (speciei defensor) = *Saxifraga aurea* Dodon. 1553 c. fig.! Dalech. c. fig.!, J. Bauh. c. fig.!

Folia in caule solitaria vel 2 alterna, radicalia orbiculato-reniformia, crenato-lobata, utrinque pilis crassis sparsis obsita. Herba tenera 2—6 poll.

In nemoribus et sylvis humidis, solo pingui, ad latera fossarum umbrosarum, ubique copiosissime. Floret fine Aprili et m. Majo, locis quibusdam ad finem Junii usque; fruct. mat. ab init. Jun. ad med. Julii; mox evanescit. ♃.

Hist. spec. Frequentissima planta est ubivis circa loca humida (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 66); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in sylvis humidis, umbrosis ubique (Sobol. Petr. 1799, p. 90, n. 280; ed. ross. I, 1801, p. 293, n. 292); in locis humentibus frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 201); ubique (Turcz. 1825, n. 276); abundat in locis hum. et ad latera fossarum (Weinm. Petr. 1837, p. 46, n. 307).

Fam. XL. GROSSULARIEAE.

Char. Flores regulares, concentrici, 5-rarius 4-meri, isostemones, ☿ vel abortu interdum unisexuales. Cal. cum ovario connatus, limbus supra germen quidpiam productus, fissus et persistens. Petala 5, rarius 4, minuta. Stam. tot quot petala et cum iis fauci calycis inserta. Styli 2 (rarissime 3 v. 4) distincti vel ± connati. Ovarium 1-loculare, placentis saepissime 2 parietalibus oppositis. Bacca pulposa infera, calycis limbo marcescente coronata, plerumque ∞ sperma. Sem. albuminosa, funiculis longis suspensa, horizontalia, integumento externo gelatinoso, in raphe maturitate libera reclinata (ovula anatropa); embryo minutus, ab hilo remotus, in apice seminis acuto reconditus; cotyledones hilum spectantes. — Frutices, interdum aculeati. Folia alterna, palmatiloba, aestivatione plicata. Flores in racemis axillaribus, bracteati.

Affinitas. ***Crassulaceae***, ***Saxifragaceae*** et ***Grossularieae*** ita sibi affines sunt, ut in familiam majorem ***Corniculatarum*** plantarum compingi possint. ***Grossularieae*** mediantibus ***Escallonieis*** cum ***Saxifragaceis*** proxime nectuntur, habitu tamen, fructu baccato, perfectius infero et praecipue seminum structura recedunt. ***Cacteae*** e fructu et situ placentae similes ad amussim differunt habitu, partium floralium numero indefinito et seminibus exalbuminosis. Adest etiam per ***Fuchsiam*** cum ***Epilobiaceis*** nexus remotior.

Qual. et usus. Folia plurium specierum resinoso-aromatica; fructus muco-saccharo, admixto acido malico et citrico scatent, rarius in quibusdam substantiae adstringentes accedunt. *Grossulariae spinosae* in hortis ubique frequentis baccae acidulo-dulces et mucosae cum aromate, inter bellaria receptae, immaturae insalubres. *G. rubrae* praecipue cicuratae fructus acidi cum dulcedine, potum suppeditant sub calore aestivo refrigerantem; saccharo conditi inter delicias secundarum mensarum habentur; saccharo cocti Syrupum officinalem Boerhaavio praedilectum exhibent; e succo expresso vinum et acetum paratur. *G. insipidae* (*alpinae*) fructus inutiles, fatui. *G. nigra* foliorum odore resinoso fere cimicino a reliquis differt; diuretica et sudorifera existimantur, juniora prius infusa et siccata pro potu theato apta sunt; baccae reliquis dulciores comeduntur vel cum saccharo coctae asservantur; liquorem Ratafia dictum praestant, in hydrope commendatum.

CXX. GROSSULARIA.

Sub nomine *Ribes* Serapio et Arabes salutant *Rhei* speciem acidulam, *Rheum Ribes* Linnaeo dictam. Sane inepte hoc nomen a patribus quibusdam ad *Grossularias* inermes translatum est et ineptius adhuc a Linnaeo ad totum genus, comprehendens etiam *Grossularias* aculeatas, quas nemo ante Linnaeum *Ribesia* appellavit. Mirum, quod ne una quidem species Romanis et Graecis nota fuerit; aliqui ἴσος Theophrasti (quam pro *Vitice Agno casto* declarat Fraas) = *aesos* s. *aequum* Gazae = *uvam crispam* antiquorum etiam hodiernam existimabant; Lobelius *Vitin preciam* Plinii esse credidit; opiniones ceterum nimis vagae, nisi potius erroneae. Prima mentio *Grossulariae* apud Ruellium 1537; jam tunc temporis frutex aculeatus *Grossularia*, fructus dulcis candidus *grossula* vulgo vocitabatur, fructus ruber acidus ex frutice inermi *grossula rubra* sive *transmarina;* utrumque fruticem in hortis Galliae frequentem memorat; sunt, ait Ruellius, qui putent a Mauritanis *Ribem* appellari. Radicem vero habet *grossula* a grosso s. grossulo, Romanis ficus immatura. *Grossularia* Ruellio et Dalechampio integra notio generis Linnaeani erat, C. Bauhino titulus genericus, Tournefortio genus methodicum, ab Adanson 1763!, Scopoli et hic conservatum, plene respondens *Ribi* L.

§. 1. UVA CRISPA Fuchs 1542! (a foliis crispis), Trag.! Dodon. 1583! et patr. = GROSSULARIA (Ruell. p. p.) Thal. Clus.! Rajus 1688! Boerh.! Dill. (Linné) Spach! Rami plerumque aculeati. Racemi depauperati 1—3 flori. Limbus calycis campanulatus.

257.) *G. spinosa* C. Bauh. 1623! = *R. spinosum* Lamck. = *Uva spina* Matth. 1558 fig.! ed. Camer. 1586 fig.! = *G. vulgaris* Clus. 1601! Erndt. 1730, Spach (nomen propter syn. *G. rubrae* anceps, sub gene-

ribus distinctis facile optimum). = *G. alba* Dalech. 1587 c. fig.! = *Uva crispa* Fuchs 1542 (Tubingae cop.), 1549 c. fig.! a Trag. 1552 imitata, planta sylvestris; mox vero nomen simul ad hortensem translatum apud Lobel. 1576 c. fig.! Dodon. 1583 c. fig.! = *Grossularia* Ruell. 1536! (planta hortensis).

Aculei infra ramulos novellos tripartiti. Pedunculi subuniflori. Calycis laciniae oblongae reflexae. Stylus inferne villis longis densis vestitus.

Camerarius ex Matthiolo distinguit *sativam* in hortis cultam: baccis hirsutis et *agrestem* s. *sylvestrem* in sepibus et dumetis spontaneam: baccis acidis et austeris. C. Bauhinus *G. spinosam* 4-plicem habet: 1) *sylvestrem*, fructu maturo flavescente, nonnumquam subrubente; a Linnaeo ad *R. Uvam crispam* citatur; 2) *sativam*, cujus partem *R. Grossularia* L. efficit; 3) *sativam alteram*, fol. latioribus, cum 3 formis, ex parte *R. reclinatum* L.; 4) *non spinosam*, acino coeruleo, hortensem; at haec ut praecedens *sativae* formas potius efficiunt. Rajus 1688 omnes in unam speciem conjunxit, cui Linnaeus contradicens 3 species statuit; at characteres subtiles earum exhibiti tantum a quibusdam exemplaribus desumpti videntur, unde tot controversiae in descriptionibus auctorum recentiorum et Linnaei. Plures exstant formae in natura, quam in libris descriptae. Hic varietates tantum praecipuos afferam: α) germinibus et fructibus glanduloso-setosis: *R. Grossularia* Auctor. Rchb. herb. norm. n. 2238; Linnaeus suam plantam describit setis longioribus petiolorum pilosis, eglandulosis, bractea pedunculi triphylla, fructu margaritarum fere colore (ex syn. Raji); β) *R. hybridum* Besser 1809! germinibus pubescentibus, immixtis setis brevibus capitatis, bractea triphylla, petiolorum ciliis glanduliferis subnudis, foliis supra lucidis laete viridibus; γ) germinibus pubescentibus eglandulosis, fructibus glabris: *R. Uva crispa* Auct.; Linnaei planta bracteam gerit ovatam, monophyllam saepius tripartitam et petiolos ciliatos pilis capitatis; δ) *glabrum* Koch germinibus glabris, foliis

petiolis, pedunculis, bracteis et laciniis calycis margine tantum ciliatis, ceterum glabris; ε) *R. reclinatum* L. e descriptione fusiori in h. Upsal. germine et fructu glanduloso-setoso ad *R. Grossulariam* accedit, sed frutex minus aculeatus vel inermis est, rami reclinati, setae petiolorum nudae capitatae, fructus obscure purpurascentes ex syn. Clusii citato.

Circa Petropolin tantum ex hortis aufugam, superstitem aut efferatam observavi sub variis formis, proxime ad var. β et δ accedentibus; γ. pr. Peterhof sponte sec. Bongard. Ad arcem Iwangorod valde efferata, a var. β. bracteis et ciliis petiolorum abludens; at fruticulos in lapidosis calcareis apricis infra cataractam Narowae spontaneos esse existimarem. Hoc loco saltem duplici forma crescit: α. fructibus mat. longe setosis coloris fere succinei et: γ. fruct. mat. inermibus livide purpurascentibus; sed bracteae et ciliae petiolorum in utraque contradicunt plantae Linnaeanae, omnibus autem notis congruunt cum *R. Grossularia* et *Uva crispa* Besser 1809! — Frondescit initio Maji m., floret fine Maji v. initio Junii; fruct. mat. circa med. Julii. ♄.

Hist. spec. Petropoli copiose culta et efferata (Sobol. Fl. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 193 n. 184 s. *R. Grossularia*); Petrop. (Longmire 1823, p. 192 s. *R. Grossularia*); in monte Duderhof, in parte urbis Wiburgensi, in viridario Peterhofiano subsponte et pr. Kempelowo, sed vix ferum; aufugos et superstites fruticulos ipse non raro vidi (Herbb. Bongard, Graff, Horaninow et Graewenitz ex R. Diatr. Petrop. 1845, p. 46 s. n. *R. Grossularia* L.); in fruticetis pr. Peterhof subsponte (Bongard ex R. l. c. sub *R. Uva crispa* L.; — a planta Linnaei tantum diversa ciliis petiolorum plumosis); in ripa ingrica fl. Narowa ab urbe usque ad cataractam valde efferata, nisi vere spontanea (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 216; Mélanges p. 83 s. *R. Grossularia*).

§. 2. RIBESIUM Dodon. 1583! Raj. 1688! Dillen. 1732 (Linné) = RIBES Clus. 1601 et patr. ad

Boerhaave 1727! Rami inermes. Racemi 4—∞ flori. Limbus calycis campanulatus v. tubulosus.

258. *G. nigra* Dalech. 1587 c. fig.! = *R. nigrum* Dodon. 1583 c. fig. ex Lobel!, Schwenckfelt 1600!, L. = *R. nigra* Pena et Lobel. 1570! obiter, Lobel. 1581 c. fig.! Tabern. 1590 fig. bona! = *Piperastrum* Ruell. 1536 (sec. Haller).

Folia glabrescentia, subtus glanduloso-punctata. Flores magnitudine *G. spinosae*, albo-virentes, intus purpurascentes, in racemis pendulis pubescentibus. Calyx pubescens, glanduloso-punctatus, campanulatus. Styli in 1 connati (propterea ad diversum genus: *Botryocarpium* A. Richard, Spach 1838). Baccae nigrae (dulces).

In sylvis humidis et fruticetis, ad ripas fluviorum copiose spontanea; Petropoli praecipue in insulis et regione demissa usque ad Narowam et inferiora Lugae fluv., Lotschkina, Siworitzü, Lissino. Floret fine Majo et init. Junio; fruct. mat. init. v. med. Jul. ♄.

Hist. spec. In insula rotunda! copiose vidit Krascheninnikow; ego legi a. 1757 in insula Basilii (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 38 s. n. *R. nigrum* L. ut seqq.; Krasch. in Codice mss. addidit: sed an spontanea planta sit, nescio); circa Murinam et Ochtam, ad Goreloy Kabak, aliisque in locis sylvosis humidis copiose (Sobol. Petr. 1799, p. 61, n. 176; ed. ross. I, 1801, p. 192, n. 183); in sylvis humidiusculis circa Petrop. (Weinm. Pawl. 1824, p. 117); in sylvis humidis ins. Gutujew (Turcz! 1825, n. 164); in sylvis et fruticetis humidis (Weinm. Petr. 1837, p. 26, n. 172).

259. *G. rubra* (v. *transmarina* Ruell. 1536!) Dodon. 1583 (in textu)! Dalech. 1587 c. fig.! = *R. rubra* Pena et Lob. 1570! sive *rubrum* L. = *R. acidum* Schwenckf. 1600! = *Ribes Arabum* (quod non est) Lobel. 1576 c. fig.! = *R. officinarum* Matth. 1558! C. Bauh. et plur. patr. = *R. vulgaris* Matth. 1558 c. fig.! Clus. 1583! Camer. in Matth. 1586 c. fig.! ubi *dome-*

stica et *sylvestris* e Bohemia distinguitur = *R. hortense* Trag. 1552 c. fig.! = *Ribes* Dorsten. 1540 c. fig.! Fuchs c. fig.! Lonic. Tabern. c. fig.!

Flores flavo-viriduli, bracteis ovatis minutis fulti, in racemis puberulis basi parce glandulosis, cernuis, defloratis pendulis. Calyx glaber pelviformis. Folia subtus cano-pubescentia. Baccae rubrae, acidae, rarius in hortis carneae vel albidae (Clus. 1601) margaritis similes (C. Bauh.). — Flores variant heic intus virescentes v. albidi, concolores v. purpureo-maculati; praeterea β: *microphylla*, fol. minus incisis, sublucidis, pedunculis glabris glandulosis, ad *G. insipidam* ex habitu accedens.

In umbrosis subhumidis vel montosis sylvarum hinc inde; Petropoli praecipue in regione demissa; ad lacum Tscheremenetz circa monasterium; in sylvis montosis ad fl. Luga copiose et sine dubio ab origine spontanea; β. ad ripas fl. Tossna pr. Turowo, typo praecocius. Floret paulo ante finem Maji et init. Junii; fruct. mat. init. Julii v. prius. ♄.

Hist. spec. In sylva umbrosa ad Krasnoi Kabak! et passim in sylvis vastissimis subhumidis (Laxmann ex Gorter append. ad Fl. Ingr. 1764, p. 196 s. n. *R. rubrum*, ut seqq.), tum circa Murinam atque Ochtam, passim in sylvis vastissimis subhumidis (Sobol. Petrop. 1799, p. 60, n. 174; ed. ross. I, 1801, p. 191, n. 181); in sylvis antiquis circa Petropolim (Weinm. Pawl. 1824, p. 117); in sylvis humidis uti in insula Krestowsky, in monte Pulcowo!, etiam prope Murinam leg. Prescott (Turcz. 1825, n. 163); in sylvis et fruticetis (Weinm. Petr. 1837, p. 26, n. 171).

260. *G. insipida* (Schwenckfelt 1600! s. *Rib.* e synn. et descr. opt.) = *R. alpinum* L. (nomen a J. Bauh. et Clus. petitum, non bonum pro planta generatim sylvatica planitierum v. montium, neque satis antiquum) = *R. alpinus dulcis* J. Bauh. 1651 fig. bona! „fruct. fere insipidi" = *R. fructu dulci* ex alpibus Austriae et Sty-

riae Clus. 1583! 1601 excl. fig. = *R. sylvaticus* Gesner 1561! e sylvis Bernensibus = *R. sylvestre* Trag. 1552!

Flores *G. rubrae*, sed dioici (unde verba Lobelii 1576 explicanda), ♂ minores densiores 7—30, bracteis ellipticis v. lanceolatis pedicello sublongioribus fulti, in racemis glandulosis erectis; ♀ 2—5, antheris effoetis. Baccae sapore fatuo. Folia parva, subtus lucida, glabrescentia, supra grosse et parce pilosa.

In sylvis montosis, fruticetis ad ripas fluviorum elevatas, substrato fere semper calcareo systematis silurici, sat frequens et copiose; Petropoli in regione elevata tantum (Pulcovo, Duderovo, Tsarskoje Selo, Nicolskoje, Bornitzü, Arbonje, Lapuchinka), Lissino pr. Peri, Orlino, ad cataractas fl. Wolchow et Narowae, ad fl. Luga pr. Jamburg et inferius pr. Warjewa; ad lacum Peipus abnormiter in arena mobili colliculorum pr. Samogilje. Floret paulo ante finem Maji et primis Junii diebus; fruct. mat. medio et fine Julii. ♄.

Hist. spec. In montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 38 s. *R. alpino*, ut seqq.); in m. Duderowo!, tum circa Gatczinam! et Sivoritzam aliisque in locis montosis (Sobol. Petr. 1799, p. 60, n. 175; ed. ross. I, 1801, p. 192, n. 182); in sylvis praesertim montosis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 117); in montosis Duderovii! (Turcz. 1825, n. 165); in sylvis umbrosis ubique (Weinm. Petrop. 1837, p. 27, n. 173).

Fam. XLI. UMBELLIFERAE.

Char. Flores regulares (peripherici saepe radiantes irregulares), symmetrici, saepe perfecti ☿, rarius monoici (radiantes ♀, centrales ♂ in eadem umbella v. dioici, pentameri, isostemones, anisomeri, in umbellis simplicibus v. saepius compositis, basi involucro cinctis v. eo desti-

tutis. Cal. cum ovario connatus, limbo supero 5-dentato v. obsoleto. Petala 5 calyci inserta et laciniis ejus alterna caduca, aestivatione imbricata v. valvata. Stam. 5 cum petalis inserta iisque alterna, caduca, aestivatione incurvata. Styli 2, singuli basi in discum epigynum (stylopodium) dilatati, apice in stigmata simplicia saepe capitata desinentes, in fructu saepissime persistentes. Ovarium inferum, 2- (rarissime 1-) loculare, loculis 1-ovulatis. Fructus e carpidiis 2, cum dimidia calycis parte concretis (mericarpiis 2), ex apice columnae centralis filiformis (carpophori) indivisae v. bipartitae pendulis, maturis a basi ad apicem solutis, rarius cohaerentibus, intus (ad commissuram) subplanis. Fructus extus nervis s. costis (jugis) primariis 10 munitus, quorum dimidia pars e nervis mediis s. carinis sepalorum in dentes calycinos productis oritur (juga carinalia), altera pars (juga suturalia) suturis sepalorum respondet et in sinus dentium calycis tendit; accedunt interdum nervi (juga) secundarii totidem cum primariis alternantes, qui sepalorum nervi laterales sunt. In quolibet mericarpio igitur juga primaria 5, nempe: 1 dorsale, 2 intermedia, 2 lateralia; ita ut in uno mericarpio (exteriori) jugum dorsale et lateralia carinalia, intermedia autem suturalia; in altero (interiori) dorsale cum jugis lateralibus suturalia, intermedia carinalia sint. Juga omnia plus minusve prominula vel obsoleta, interstitiis (valleculis) remota. Canales (vittae) longitudinales intra pericarpium coeci, in valleculis vel commissura mericarpii solitarii v. gemini v. plures, rarius sub jugis siti, interdum nulli. Semen inversum, pericarpio adnatum, rarius liberum; albumen copiosum; em-

bryo rectus minutus in apice albuminis pendulus; radicula supera hilum spectans; cotyledones subinaequales, rarissime unicus. — Herbae plerumque ⚩ v. ♃. Caules nodosi. Folia alterna, rarissime opposita, saepissime dissecta, petiolis basi in vaginam dilatatis. Flores plerumque albi, rarius purpurascentes, flavo-viriduli v. lutei.

Affinitas. *Umbelliferae* habitu et fructibus distinctissimae, familiam summopere naturalem et indivisibilem, hoc nomine jam a Dodonaeo propositam et a Dalechampio bene circumscriptam sistunt, solis *Araliaceis* proxime affinem. His intercedentibus ad *Corneas* vergunt. Aliqua etiam est cum *Saxifrageis* analogia.

Qualitates et usus. *Umbelliferarum* virtus eximia ab oleo aethereo et substantiis resinosis repetenda; illud in fructibus, hae in radicibus generatim praevalent. In quibusdam speciebus principium acre seminibus et radicibus inest, in aliis muco-saccharum in caulibus junioribus et radicibus tuberoso-incrassatis exuberat. In paucis substantiae alcaloideae in succo lacteo v. glutinoso herbae s. caulis s. radicis continentur, quibus vim eminenter venenatam, narcotico-acrem debent.

Cicutaria aquatica, quam Linnaeus *Cicutam virosam* dixit, inter plantas indigenas infames facile venenatissima est. Herbam armentis non raro lethalem fuisse constat. Vehementissima autem rhizomati inest vis narcotico-acris. Virus in succo corticis lacteo pallide flavo, aëris accessu in colorem croceum mutato, saporis caustici, odoris valde nauseosi, contentum est et pendet e principio resinoso, admixta olei aetherei, calcis phosphoricae et notabili sacchari quantitate. Rhizoma ab un-

dis avulsum et rejectum vel ab ignaris effossum et pro *Apii* radice comestum, ardorem et dolores vehementes ventriculi, sitim inexplebilem, vertiginem et temulentiam, saepe apoplexiam, convulsiones et mortem miserrimam attulit. Videsis Wepferum, qui integrum librum de hac planta scripsit. Auxilium quandoque fert emeticum, clysmata purgantia ex oleo *Ricini*, serius decocta e substantiis taninâ divitibus, acetum externe v. cum aqua interne.

Conium maculatum sive *Cicuta* vera Romanorum, qualitatibus suis proxime ad *Cicutariam aquaticam* accedit. Radix *Petroselini* radici similis, junior succo lacteo spisso dives, saporis primum aromatico-subdulcis, deinde acris, verno praecipue tempore venenata est. Odorem herba recens non solum contrita, sed etiam sponte sua exhalat nauseosum, vel etiam e longinquo perceptibilem murinum, speciatim urinae felinae ex parte et cantharidibus altera similem, vertiginem inducens. Herba et omnino etiam fructus continent principium alcaloideum peculiare *conicina* dictum, a. 1826 detectum, cui vis plantae largiori copia in ventriculum ingestae deleteria et vitae inimica debetur, Atheniensibus praecipue et Massiliensibus jam optime cognita, ut exitus Socratis funestissimus docet, quem *Cicuta* sublatum fuisse, testis est gravissimus Plato. Restricta autem quantitate herba recens externe vel circumspectissime dosibus minimis interne adhibita, in morbis systematis lymphatici eximiam et specificam exerit virtutem, nullo alio medicamento aequiparandam; herba sicca vero, quae in officinis servatur, fere iners est; recens vernale nondum florens

vehementius agit. Etiam Caviae Cobajae, suibus et anseribus lethale, sed a sturnis innoxie devoratur, ut Galenus tradidit, et capras imo pingues reddit, ut Lucretius cecinit.

Cynapium, facile pro *Petroselini* herba sumtum, pariter venenum narcotico-acre; tritum odore virulento et alliato. *Sium latifolium* odore bituminoso, sapore acri-amarō, veneno narcotico suspectum est. Herba *Cerefolii sylvestris* officinalis forte immerito inter narcotico-acria numeratur; odor foliorum peculiaris nauseosus, sapor amariusculus. Radix *Conioselini* odore fortissimo *Cynapii* v. *Petroselini*, quoad facultates adhuc ignota.

Radix *Tragoselini* s. *Pimpinellae albae* adhuc in officinis est; recens sapore mordaci amaro-aromatico; principium acre resinosum aethereo-oleosa in radice ejus contenta fere annihilat; incolae Ingriae, referente Krascheninnikow, radicibus spiritum frumenti aromaticum et coeruleum reddunt. Radix *Thysselini palustris* lactescens, fervidissima, urens, masticatorium Lapponum teste Linnaeo; tota etiam planta, saltem in australioribus, ut ex Bertolonio patet, scatet lacte albo foetente, quod cito in resinam fuscam concrescit; *Scammonii* adinstar catharticam esse, asseverat Haller.

Libanotidis radix amara, aromatica; folia contrita in Sibiria inter vulneraria habentur. Radicis *Heraclei* acro-amarae usus exoletus; caulis decorticatus muco-saccharo scatens et folia juniora oleracea hinc-inde comeduntur. Primum vero locum inter radices *Umbelliferarum* aromaticas, oleo aethereo et resina gravidas tenet

Archangelica; hyeme effossa in officinis s. n. *Rad. Angelicae* servatur; odor penetrans, gratus, aromaticus; sapor initio subdulcis, deinde aromaticus, mordax, calefaciens, postremo amariusculus; virtus eminenter stimulans substantiis peculiaribus: oleo aethereo volatili, acido, principio extractivo et resinae debetur; efficacia sua accedit ad radicem *Aristolochiae Serpentariae virginianae*, *Arnicam* et *Calamum aromaticum;* planta in septemtrione praecipue nemini ignota, caules juniores masticati pro alimento salubri antiscorbutico in deliciis habentur. *Angelicae sylvestris* radix virtute multo inferior *Archangelicâ*, saporis ingrati, acris. Leniter aromatica, mitius stimulans est herba *Podagrariae* et *Chaerophylli aromatici*, quae hinc inde comeditur. *Cerefolium sativum*, *Myrrhis odorata* et *Anethum graveolens* propter herbam aromaticam pro condimentis in usum veniunt, quapropter passim coluntur; semina *Myrrhidis* juniora fortius aromatica, anisata, stomachica; herba et flores *Anethi* condiendis jusculis frequentissime inserviunt.

Radix *Carotae sylvestris* lignosa, sapore aromatico-acri, inutilis est; semina aromatico-amara, carminativa, diuretica, emenagoga. Radix *Carotae sativae* carnosa, muco-saccharo abundat, oleo etiam aethereo et pingui anthelmintico gaudet; cruda et cocta comeditur; tosta loco *Coffeae;* succus expressus et inspissatus in officinis asservatur. Radix culta *Elaphobosci*, *Pastinacae* improprie dictae, proxima *Apio graveolenti;* muco-sacchari copiam continet praeter aroma peculiare, at propter leviusculum amarorem facile nauseam majori quan-

titate ingesta producit; *sylvestris* acrior est; annosas radices venenatas esse, vetus est traditio.

Fructus *Umbelliferarum* plurium in vittis oleum aethereum deponunt; inde non solum inter remedia stimulantia volatilia et carminativa, sed quoque inter condimenta frequentissimi usus sunt, ut v. g. semina *Anisi*, *Coriandri* et *Carvi*. Semina *Phellandrii* s. *Foeniculi aquatici* officinalia aromatico-acria sunt et majori quantitate assumta narcotica dicuntur; odor peculiaris penetrans sensus obnubilans; sapor nauseosus acri-aromaticus; in inveteratis pulmonum catarrhis curandis aliquam sibi conciliarunt laudem.

Systema. Dioscorides satis notabilem numerum *Umbelliferarum* in libro III, c. 55—92 affert; summitates expresse vocat σκίαδιον, umbellam, muscarium. Caesalpinus 1583 *Ferulacea* appellat et inflorescentiam: umbellam; erat primus, qui familiam ab heterogeneis segregavit et iis integrum librum VII destinavit. Eodem anno Dodonaeus primus sub *Umbelliferarum* titulo colligerat plura, sed nonnulla spuria immiscuit, aliam partem considerabilem sub *Oleraceis* habet. C. Bauhinus 1623 primus in *Umbelliferis* ordinem tentavit, in sectionem IVtam tenuifolias, Vtam latifolias collocans. Morisonus 1672 proprium opus de *Umbelliferis* edidit, ordines 9 et genera Bauhiniana primus ex forma fructus stabilivit. Rajus varia in Morisono aliter exposuit, uterque tamen foliorum formae adhuc nimium tribuit. Tandem Rivinus 1699 posthabitis organis vegetativis, odore, sapore etc. genera *Umbelliferarum* e florum et seminum figura distinxit, at ne verbo quidem tetigit ge-

nera a Tournefortio in libro suo 1694 divulgato instituta, quorum characteres non pejus Rivinianis propositi fuerunt. Linnaeus fere semper Rivino prioritatem prae Tournefortio tribuens, nomenclaturae justae non raro nocuit; ceterum magis ad florem, quam ad fructum attendebat et potius habitum, quam characteres essentiales e fructibus petitos respexit. De *Umbelliferis* post Linnaeum optime meruit Crantz 1767, magis tamen in specialioribus. Cusson, e sententia Sprengelii, fructibus maximam dignitatem in generibus constituendis tribuit et terminologiam fructuum dedit hodie adoptatam; sed praeter Isagogen posthumam, a Jussiaeo 1783 editam, fere nil prodiit de ejus operibus. C. Sprengel, vestigia Cussoni premens, 1813 prodromum *Umbelliferarum* exhibuit, in quo fructibus primam, involucris secundam, petalis vero nullam dignitatem in generibus stabiliendis concessit. Debite agnoscendi quoque sunt labores recentiorum, inprimis Hoffmanni, Besseri, Candollei, Kochii, Fischeri et Meyeri, Ledebourii, alqq. in systemate *Umbelliferarum* excolendo.

Conspectus generum indigenorum.

Trib. A. ORTHOSPERMAE.

Albumen latere interiore (ad commissuram spectante) planum, nec convolutum, nec involutum.

§. SANICULEAE.

(⚹) SANICULA. Flores polygami. Fructus subglobosus, aculeis uncinatis dense tectus, non deciduus. — *S. europaea* L. in Livonia non procul a lacu Peipus pr. Heiligensee crescens, indaganda est in Ingriae finitimae sylvis humidis. Folia radicalia palmati-partita, la-

ciniis trifidis, inciso-serratis; scapus fere nudus, apice umbellam subsimplicem ferens.

§. AMMINEAE. Fructus (sub sectione transversali) a latere compressus. Mericarpia jugis primariis 5, filiformibus, secundariis nullis. (Petala in generibus seqq. regularia obcordata cum lacinula inflexa.)

CXXI. CICUTARIA. Cal. 5-dentatus. Valleculae 1-vittatae. — Haller cum *Sio* conjunxit, Linnaeus solum defectu involucri distinxit.

CXXII. SIUM. Cal. margo obsoletus v. 5-dentatus. Valleculae trivittatae, vittis superficialibus. Crura carpophori mericarpiis adnata.

CXXIII. PODAGRARIA. Cal. margo obsoletus. Fructus oblongus. Vittae nullae.

CXXIV. CARUM. Cal. margo obsoletus. Fructus oblongus. Valleculae 1—3 vittatae.

CXXV. TRAGOSELINUM. Cal. margo obsoletus. Fructus ovatus, didymus. Valleculae trivittatae.

§. SESELINEAE. Fructus teres vel a dorso levissime compressus, teretiusculus. Juga primaria 5 filiformia v. alata (secundaria nulla), lateralia marginantia aequalia v. paulo latiora. Raphe marginalis vel submarginalis.

CXXVI. PHELLANDRIUM. Cal. margo dentatus. Carpophorum adnatum. Styli erecti.

CXXVII. CYNAPIUM. Cal. margo obsoletus. Juga crassa, elevata, argute carinata, lateralia paulo latiora.

CXXVIII. LIBANOTIS. Cal. margo dentatus; dentes subulati elongati, decidui. Carpophorum liberum. Vittae commissurales 2—6 per paria approximatae. Styli erecti v. divaricato-reflexi. — Genus *Seseli* differt: calycis dentibus brevibus persistentibus, involucro nullo aut oligophyllo. Cel°. Godron tantum subgenus *Seseleos;* Kochio et Ledebourio quoque magis habitu, quam characteribus distincta.

CXXIX. CNIDIUM. Cal. margo obsoletus. Juga alata, submembranacea, aequalia. — In proximo *Seseleos*

genere juga aut non alata aut in alam crassam corticosam elevata sunt.

CXXX. CONIOSELINUM. Juga alata, alae marginales dorsalibus duplo latiores (inde *Angeliceis* accedit). Valleculae 3-, rarius 1-vittatae (in priorib. gener. tantum 1-vittatae). — A *Selino* (*carvifolia*) differt: mericarpiis tota superficie anteriore sese tangentibus, nec commissura angustiore connexis et margine hiantibus (Koch).

§ ANGELICEAE. Fructus a dorso modice compressus, margine dilatato alato duplicato hiante. Mericarpia jugis 5 alatis vel dorsalibus 3 filiformibus, lateralibus semper in alas dorsalibus subduplo latiores expansis. Raphe centralis v. subcentralis.

CXXXI. SELINUM. Semen pericarpio adnatum. Petala obcordata cum lacinula inflexa.

CXXXII. ANGELICA. Semen totum pericarpio adnatum. Petala integra acuta v. acuminata. Valleculae 1-vittatae.

CXXXIII. ARCHANGELICA. Semen in pericarpii cavitate liberum, vittis copiosis undique tectum.

§. PEUCEDANEAE. Fructus a dorso plano- v. lenticulari-compressus, margine alato, acuto v. incrassato cinctus. Juga primaria filiformia, secundaria nulla. (Vittae in generib. seqq. plerumque superficiales, 1—2 in qualibet vallecula.)

(CXXXIV.) PEUCEDANUM. Petala obcordata v. subrotunda, in lacinulam coarctata, plana vel incurvata. Juga aequidistantia. — OREOSELINUM solum differt: involucro polyphyllo (nec oligophyllo) et floribus albis.

CXXXV. THYSSELINUM. Vittis commissuralibus pericarpio tectis a *Peucedano*, quocum plures jungunt, tantum differt.

⚹ ANETHUM. Petala truncata, arcte involuta. Juga aequidistantia. — *A. graveolens* L. = *A. hortense* C. Bauh. = *Anethum* Virg. Plin. Colum. Apic.; Brunf. et omn. patr. = ἄνηθον Theophr. et Diosc. Petropoli in ruderibus, fimetosis, rejectamentis saepius,

parce tamen occurrit et initio Aug. fruct. mat., alias autem vix nisi flores perficit. Odore, floribus luteis, foliorum laciniis filiformibus, radice ⊙, statim dignoscitur.

CXXXVI. ELAPHOBOSCUM. Juga ut in *Heracleo*. Vittae filiformes. Petala involuta.

CXXXVII. HERACLEUM. Juga tenuissima, 3 dorsalia aequidistantia, lateralia remota, margini dilatato applanato contigua vel ab eo tecta. Vittae clavatae. Petala obcordata.

§. THAPSIEAE.

(※) LASERPITIUM. Fructus a dorso pl. min. compressus. Mericarpia jugis primariis 5 filiformibus, secundariis alatis: ala integra. — *L. prutenicum* L. in paludibus pr. Dorpat! crescens, in Ingriae finitimae pratis humidis sylvaticis indagandum. Dignoscitur caule angulato-sulcato, inferne retrorsum hispido; jugis primariis et radiis umbellae dense hispidis; involucro polyphyllo persistente; folia bipinnata, pinnulis pinnatifidis.

§. DAUCINEAE.

(CXXXVIII.) CAROTA. Fructus a dorso pl. min. compressus. Mericarpia jugis primariis 5 filiformibus setosis; secundariis 4: bi- v. trifariam aculeatis. Petala exteriora radiantia.

Trib. B. CAMPYLOSPERMAE.

Albumen marginibus involutis, facie interiori sulco v. canali longitudinali notatum.

§. CAUCALINEAE.

(CXXXIX.) TORILIS. Mericarpia dorso dense aculeata, interpositis 3 seriebus setularum.

§. SCANDICINEAE.

CXL. CEREFOLIUM. Mericarpia rostrata (inermia, rarissime setulis parvis hispidula), jugis nullis; rostrum jugis 5.

(CXLI.) CHAEROPHYLLUM. Mericarpia non rostrata, jugis 5 obtusis.

(⁘) MYRRHIS. Albumen involutum. Juga cava, acuta v. alata, non crenata. — *M. odorata* Scop. = *Scandix odorata* L. = *Myrrhis major*, *Cicutaria odorata* C. Bauh. 1623 = *Myrrhis* Ruell. 1536, Matth. 1554 c. fig.! = *Myrrhis*, herba *Cicutae* similis Plin. (at tantum in Italia super. crescit) = μυῤῥίς Diosc. (sec. Fraas).

§. SMYRNEAE.

CXLII. CONIUM. Fructus a latere compressus. Mericarpia jugis 5 prominulis, undulato-crenatis, intus solidis.

TRIB. C. COELOSPERMAE.

Albumen hemisphaericum vel saccato-concavum.

§. CORIANDREAE.

⁘ CORIANDRUM. Fructus globosus, jugis filiformibus, 10 rectis, interjectis totidem flexuosis. — *C. sativum* L. = *Coriandrum* Plin. Colum. Apulej. = κορίαννον Theophr. Diosc. Petropoli in ruderibus et fimetosis quandoque aufugum.

CXXI. CICUTARIA.

Rivinus 1699 genus *Cicutaria* tab. 77 stabilivit et a genere *Cicuta* distinxit; sub primo intellexit *Cicutam aquaticam* patrum s. *virosam* Linnaei, sub altera *Cicutam veram* Plinii et omnium fere patrum a Fuchsio et Trago usque ad Hallerum s. *Conium* L. Patres minus ad characteres subtiles, quam ad naturam et vires attenti, utrasque plantas *Cicutam* appellarunt et alteram spuriam solum epitheto „*aquatica*“ specie quasi diversam posuerunt. Linnaeus nomenclaturam Rivini optimam pervertens, *Cicutariam* Riv. *Cicutam* (*virosam*)

dixit propterea „ut ipsis pueris virositatis horrorem incutiat“, *Cicutam* Tourn. et Riv. vero *Conium* „cúm longe minor, si modo quid virositatis alat“; sed in his sibi ipsi quam maxime contradixit, quum κώνειον Theophr. et Diosc. ab ipso resuscitatum nemo plantam innocuam dixerit, excepta illa anicula Atheniensi, quae, referente Galeno, ab exigua *Cicutae* portione auspicata, nullo detrimento sensim sensimque ad permagnam progressa est copiam. Sunt praeterea permulti, qui vocem *Cicutam* aeque, ac *virosam* non intelligant. Quare Haller, Jussieu 1791!, Lamarck et Decandolle 1815 *Cicutariam* Rivini contra Linnaeum defenderunt, licet nomen hoc antea a Tournefortio et patribus quibusdam (Thalio, Dalech., Lobelio) *Ligustico peloponesiaco* L. (*Molopospermo* Koch) impositum et primitus Gesnero 1561 *Cerefolium sylvestre* fuerit, ideoque non plene historia sancitum sit. Tamen absentia alius, nomen *Cicutaria*, utpote optimum pro planta ejusdem familiae et virulentiae ac *Cicuta vera*, a nomenclatura Linnaei parum tantum recedens, antiquius genericum et a botanicis quibusdam jam adoptatum, retineri potest. *Cicuta* absolute idem ac κώνειον. *Cicuta* Linnaei est planta Europae mediae et borealis, versus austrum mire rarescens, et tantum quibusdam locis Italiae superioris familiaris, Romanis et Graecis omnino ignota. Exceptione tantum et quasi tropo *Cicuta* et κώνειον ad varias plantas venenatas v. g. *Helleborum* apud quosdam autores antiquos pervenit. *Cicutam* Latini vocabant etiam quamlibet cannam intus cavam et inanem, quibus fistulant pastores et inde spatium inter duos nodos caulis. Sed haec tantum *Conium* Linnaei sublevant.

261. *C. aquatica* Lamarck 1795! Illust. tab. 195! Decand. 1815! = *Cicuta virosa* L. 1753! = *Cicuta aquatica* Gesner 1553! 1561! (testante etiam Haller, qui C. Bauhinum correxit), Thal., J. Bauh. 1651 fig. bona! Wepfer 1679, 1716! c. fig., Linne 1737.

Radix ♃, utplurimum verno tempore crassam admo-

dum et subrotundam faciem habet, autumno autem oblonga fit, intus cava et dissepimentosa. Folia subtripinnatisecta: foliolis lineari-lanceolatis, acuminatis, inciso-serratis. Involucrum nullum; involucella lineari-setacea. Fructus cordatus, truncatus, 1 lin. longus et latus, vittis nigris lineatus. — Herba glaberrima bipedalis, caule et petiolis teretibus fistulosis. Odore fructuum forti, peculiariter aromatico statim dignoscitur. Variat foliolis, praesertim terminalibus, elliptico-lanceolatis, $1/_2$ poll. latis, duplicato-serratis et β. *C. angustifolia* Kitaib. ap. Schultes 1814! = *C. tenuifolia* Schrank 1818 in Act. Monac. VII, 1821, tab. 4! jam ad limites Ingriae pr. Cardis (Bunge exsicc!), ideoque indaganda; humilis, tenuis, foliolis angustissimis, subintegerrimis, umbellis tantum 5—8 radiatis; pro forma in locis exsiccatis orta declarant.

In paludibus et ad ripas aquarum stagnantium, in regione demissa, praecipue circa ostia Newae, ubique copiosissime; Lissino, ad lacum Tscheremenetz, in fl. Luga pr. Gorki, inter Gorodetz et Sapolje etc. Floret a fine Julii, saltem ad medium Sept.; fr. mat. a medio Aug. ♃.

Hist. spec. Circa Catherinhof (Deschisaux 1725, p. 7 s. n. *Ciguë aquatique*, que M. Buxbau m'a dit être un poison); in aquis praesertim stagnantibus frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 44 s. *Cicuta virosa* L, ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in aquis praecipue stagn. ins. lapideae!, ad ductus aquarum Catharinhofii et ad viam regiam Peterhoffianam! frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 71, n. 204; ed. ross. I, 1801, p. 223, n. 215); in fossis, locis paludosis et ad fluviorum ripas (Weinm. Pawl. 1824, p. 140); ubique (Turcz.! 1825, n. 198); in stagnis, fossis et fluviis (Weinm. Petr. 1837, p. 33, n. 217 cum var. latifolia).

CXXII. SIUM.

Genus *Sium* Tournef. et Rivin. pro typo *Sium latifolium* L. habet. Sub titulo generico *Sion* C. Bauhinus 1623 *S. latifolium* et *angustifolium* L. enumerat,

admiscuit vero *Cicutariam aquaticam*. Patres plurimi pro typo *Sii* veri *S. angustifolium* L. (quod Koch sub nom. *Berula* genere avulsit) existimabant. Interim cel. Fraas σίον Diosc. pro *S. latifolio* L. haberi posse, credit, quia similem dixit *Nasturtio aquatico*, quod Anguillara et Lobelius σίον Cratevae fuisse opinantur. Nomen derivant ἀπὸ τοῦ σείειν, quod folia esta calculos excutiant, ut Dioscorides de planta sua refert.

262. *S. latifolium* C. Bauh. 1623! Tournef. L. = *S. majus latifolium* Tabern. 1590 fig. bona! = *S. verum* Camer. 1586 = *S.* s. *Laver Dioscoridis* Lobel. 1581 = *Sium* Dodon. 1566 fig. bona! ut 1583!, Rivin. tab. 78! = σίον Diosc.

Radix junior fasciculata, fibris longis tuberoso-incrassatis, adulta stolonifera; rhizoma ad nodos fibris aliquot longissimis: radiculis capillaceis obtectis. Folia submersa supradecomposita capillacea, semiemersa interdum bipinnatisecta: lacinulis linearibus, margine spinuloso-serratis; emersa pinnata: pinnis ovato-oblongis apice rotundatis, basi inaequalibus, aequaliter arguto-serratis. Involucrum polyphyllum. Dentes calycis elongati. Fructus oblongo-ovati, $1^1/_2$ lin. longi, $^3/_4$ lin. lati, jugis et vittis pulchre variegati. — Variat in eodem saepe loco: β. *angustifolia*, pinnis lineari-lanceolatis acuminatis; sed umbellae non ita evidenter laterales sunt, ut pro β. *longifolio* Fries (Presl, Dec.) haberi possit.

In ramis fluviorum pigris, nec non in stagnis, hinc inde circa Petropolin copiose; in fl. Ishora fere ubique; Lissino, ad fl. Luga pr. Gorki et versus ostia circa Itowskaja, ad fl. Sholtscha, inter Nisü et Narwa. Floret medio v. fine Julii; fr. mat. med. Aug. ♃.

Hist. spec. Non procul ab Ishora Newae, flor. Aug. (Gmelin mss. 1733 ex syn. C. Bauh. Pin.); in australi ripa Newae fl. supra Tosnam, ad rivum nullo nomine insignitum reperi (Krasch. Index mss. 1749, n. 354 et Cod. mss. 1754, n. 59 cum synn: Linné H. Cliff., Haller, Gmel. Fl.-Sib. et *Sium medium* J. Bauh.; species

Krasch. a Gorter penitus neglecta, ut jam in Diatr. Petr. 1845, p. 11 praevie indicavi); in paludibus circa Petrop. (Weinm. Pawl. 1824, p. 138); in stagnis prope Catharinenhof et ultra ad viam Peterhofianam! (Turcz! 1825, n. 192); in fossis, ad margines lacuum et in locis paludosis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 32, n. 212).

Obs. 1. *Sison innundatum* L. errore tantum indicatum: in aquis stagnantibus circa ductum aquarum Ladogensium (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 13; in Codice mss. Krasch. sub. n. 98 tantum adsunt synn. Halleri et J. Bauh., quae ad plantam spectant aenigmatosam, a Linnaeo non receptam, mihi *Sium latifolium* sterile foliis submersis; Gorter false synn. Linnaeana et Morisoni addidit atque sub n. *Sison innundatum* L. proposuit; at descriptio Krasch. in Codice clare indicat formam supradictam *S. latifolii*) et in ripa parvae Newae saepe inundata ex adverso insulae Basiliensis, tum Catharinhoffii et in aliis locis similibus (Sobol. Petr. 1799, p. 70, n, 202; ed. ross. I, 1801, p. 221, n. 213; citatur Fl. Dan. tab. 89, quae verum *Sison innundatum* repraesentat et evidenter probat, descriptiones, synonyma et figuras in ejus Fl. Petr. saepe nihili habendas esse; conf. R. Diatr. 1845, p. 54); Ingria (Georgi 1800, p. 851, n. 1).

Obs. 2. *Falcaria Rivini* Host = *Sium Falcaria* L. cum aliis plantis peregrinis semel in ruderibus ad ostia Newae adportata 1848 adparuit (Kühlew. in litt!), sed posthac non amplius reperta fuit.

CXXIII. PODAGRARIA.

Genus hoc nomine Rivino 1699, Ruppio et Dillenio 1719, cujus typus *Podagraria* Pena et Lobel. 1570! e vernaculo brabantico et germanico, quod podagricis optimam herbam esse indicat. Linnaeus nomenclaturam in *Aegopodium* mutavit (quare?), auctorem generis Knautium 1716 citans, qui nomen a Taber-

naemontano 1588, 1590! mutuatus est. *Aegopodium* dicitur ab aliquali convenientia foliorum in figura cum ungula vel pede caprae, sed potius vocem Geysbart (Brunfels 1536!) subesse suspicor. Genus idem *Angelica* Tournef. 1694 tantum ad *Ang. erraticam* Thal. 1588 referri potest, quam Tragus 1552 *Angelicae vitium* dixit; *Angelicae* typicae patrum omnino contradicit. Est etiam *Pycnocomos* Brunf.! haud vero genuina Dioscoridis varie interpretata. Ex his conciliandum, cur Haller et Mönch justum genus *Podagraria* Rivini contra Linnaeum defenderunt.

263. *P. Aegopodium* Mönch 1794! = *Aegopodium Podagraria* L. = *Podagraria* Rivin. 1699 tab. 47! = *Aegopodium* Tabern. 1588, 1590 c. fig.! = *Podagraria* germanica aut belgica Lobel. 1576 fig. opt! = *Pycnocomos* Brunf. 1536 c. fig! (non Diosc.)

Dignoscitur praecipue foliis radicalibus et inferioribus caulinis triternatis!, interdum foliolum terminale unum trisectum; foliola ovata, basi inaequaliter subcordata, conformia, subtus pubescenti-hirsuta. Involucrum et involucella nulla. Radii tenuissime puberuli quidem, sed tenuiores et non cano-albescentes, ut in *Angelica*, cujus foliola subtus glaberrima. Fructus oblongus, 2 lin. longus, $^{3}/_{4}$ lin. latus.

In locis umbrosis saepe calcatis, copiosissime cum *Angelica* et *Cerefolio sylvestri*, communissima species, subinde jam initio Junii et adhuc medio Sept. florens; fr. mat. ab init. Aug. ♃.

Hist. spec. In sylva ins. pharmaceuticae! (Krasch. Ind. mss. 1749 n. 113 et Codex mss. 1754, n. 107; locum hunc Gorter mutavit in sequentem:) ad sepes et in hortis oleraceis frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 46 s. *Aegop. Podagr.* L. ut seqq.) et in pratis sylvosis aliisque copiosissime (Sobol. Petr. 1799, p. 75, n. 212; ed. ross. I, 1801, p. 234, n. 223); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); abundat in fruticetis graminosis, umbrosis et ad sepes (Weinm. Pawl. 1824, p. 144); ubique

(Turcz! 1825, n. 206); ubique in dumetis, sylvis et ad sepes, Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 33, n. 216).

CXXIV. CARUM.

Tournefort 1694 genus *Carvi* instituit, typo vulgatissimo et cuilibet noto; posthac Rivinus 1699 tab. 58 *Carvum* dixit et Linnaeus in *Carum* mutavit. Lectiones igitur variae ejusdem nominis examinandae. *Carvi* scripserunt Lonicer 1551? 1569, Pena et Lobel., Caesalp., Thalius, C. Bauhinus; *Carum* Turner 1551?, Lacuna 1552, Dodon. 1553 fig. mala!, Matth. 1554 fig. pessima, si huc, Cordus 1561! Lobel., Camer. 1586 fig. opt! Dalech., Tabern. 1590 fig!; *Careum* Plinius! Columella, Apicius; Fuchs 1549 fig!, Raj.; Κάρεον sive κάρῶν Aetius; *Caros* Brunf. Ruell. 1536, Trag. 1552 fig. ex Fuchs! Gesner 1561, J. Bauh. Κάρον Diosc. quod alii e variis codicibus legunt κάρος, καρώ, κάρωον, cel. Fraas paulo dubium, quia in Graecia non crescit, at Dioscorides facile ex Italia superiore habuit. Optimum igitur erat, nomen idem duplex componi, ut Lobelius 1581, Morison et lege artis Linnaeus fecit. Plinius nomen derivat a Caria regione, in qua laudatissimum *careum* nascitur (fictio!).

264. *C. Carvi* L. Synonyma patrum vide supra.

Facillime cognoscitur pinnulis in latere utroque ad basin vaginae foliorum caulinorum et odore fructuum. Radix incrassata fusiformis. Caulis $^1/_2$—2 pedalis. Folia tripinnatisecta, laciniis anguste linearibus confluentibus. Involucrum interdum monophyllum, involucella nulla. Flores albi, rarius rosei v. purpurei. Fructus magnitudine fr. *Podagrariae.*

In graminosis, apricis, secus vias, ubique vulgatissima planta. Floret a fine, rarius medio Majo, saltem ad med. Aug. v. init. Sept., medio Jul. vero plerumque jam defloratum; fruct. mat. a medio Jun. ⚨.

Hist. spec. In insula cui a Petro! nomen: Krascheninnikow, item in pratis circa Tschornaja Retschka (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 45); Koirowa (Falk ex Gorter Append. 1764); in ins. apothecaria!, lapidea!, Petri!, crucis et ubique in pratis, cultis et ad vias copiosissime (Sobol. Petrop. 1799, p. 74, n. 210) et praecipue prope Strelinam et Peterhoffium (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 231, n. 221); in pratis, pascuis et ad margines agrorum vulgatissime (Weinm. Pawl. 1824, p. 143 s. *Foeniculo Carvi* Link); ubique (Turcz! 1825, n. 204 s. *Bunio Carvi* M. B.); in locis graminosis uberrime (Weinm. Petr. 1837, p. 32, n. 215 cum var. β. flore roseo).

CXXV. TRAGOSELINUM.

Genus *Pimpinella* Rivini 1699 et Linnaei idem est ac antiquius *Tragoselinum* Tournef. 1694, Boerhaave et Haller, cujus typus est *Tragoselinum* Tabern. 1590! s. *Saxifraga hircina* Gesner, J. Bauh.; Gmelin, Mönch et Lamarck nomen legitimum Tournefortii contra Linnaeum juste defenderunt. Genus *Tragium* Sprengel 1813!, Hoffmann 1814!, Presl, Link, Schultes, Besser comprehendit *Tragoselina* australiora seminibus pubescentibus v. villosis diversa et a recentioribus tanquam subgenus conjungitur. *Tragium*, quod *tragoceros* aliqui vocant, ex Dioscoride nomen sibi adoptavit, quod folia autumno hirci virus oleant. *Pimpinella* omnibus fere patribus duplex erat: *P. Saxifragia* et *P. Sanguisorba*, haec posterior pro πεμπίνελε Myrepsii habetur. *Pimpinella* rarius etiam *Pampinella*, *Bipinella* (Gerard) et *Bipennula* (Lacuna) dicta, originem forte trahit a foliorum pinnis in quolibet latere petioli ita sitis, ut similitudinem cum penna referant. Brunfels 1536 a teutonico Bibenell. At vox potius originis romanae videtur et *Pimpinella* jam apud Baptista Sardum obvenit, teste Dodonaeo 1574. Hispani Americam inhabitantes *Pimpinellae* nomine *Acaenas* vocant, genus *Sanguisorbae* affine. Hinc forte majori jure

Pimpinella ut genus ab Haller, Adanson, Gärtner et Lamarck pro *Poterio* L. aut *Sanguisorba* L. ponitur. *Tragoselinum minus* cel. Fraas idem esse credit, ac καυκαλίς Theophr. et Diosc. et *Caucalis* Plinii, quod καυκαλίδρα Neograecorum praecipue sit; sed hinc inde eodem nomine etiam *Caucalis* venit et cum Theophrastus plantam non descripserit, Dioscorides vero caulem hirsutum et folia *Foeniculo* similia postulet, explicatio dicta dubia videtur.

265. *T. minus* Tabern. 1590 c. fig! (ad α), Tournef. (ad β), Lamarck 1778! = *Tragos. Saxifragum* Mönch 1794! = *Pimpinella Saxifraga* C. Bauh. et L. ex parte (non Matth. et Camer.) = *P. Saxifr. minor* Lobel. 1581 fig. bona ex Dodon. 1574! = *Saxifr. hircina minor* Gesner (1553) 1561 = *Saxifr. minor* Dodon. 1553! fig. mala.

Folia radicalia pinnata; pinnae subovatae, pl. min. profunde incisae. (Caulis teres, tenuiter striatus, superne subnudus. Styli in floribus ovario breviores.) Flores numquam rosei. Fructus ovatus, 1 lin. longus. — Variat in eodem saepe loco glabra et pubescens; praeterea: β) folio caulino tripinnatisecto: *P. Saxifr. tenuifolia* C. Bauh. 1620! et herb!; γ) *cyanopus* (an Cordi?), caulis cum foliis opacis magis pubescens, radix coeruleo lactescens; an *P. nigra* Willd. 1787 et Koch Syn. ed. 2, quae caule et ramis villosulis et radice nigra describitur; conf. Diatr. 1845 p. 53; an *Tragos. majus coeruleum* Walther 1735, quod destillatione dat spiritum coeruleum (quod etiam Krasch. de Ingrica refert) et Marchiae peculiare est sec. Elsholz; δ) formae praecedentes, sed stylis post anthesin valde elongatis, divaricato-flexuosis, germina excedentibus (prope Polja) vel stylis jam in flore elongatis; ε) pinnis ovatis, foliorum radicalium et caulinorum acutioribus, glabrescentibus, inferioribus petiolulatis; stylis florum interdum elongatis, caule magis foliato; haec var. cum typica crescit et a *T. majori* adhuc distingui potest caule tereti, tantum striato, nec sulcato;

sed in ζ) caulis subglaber interdum profunde sulcatus, elatior, glaber, foliosus; foliola majora glabra; styli in flore elongati; an potius var. *T. majoris*, pinnis fol. obtusioribus, remotioribus?, sed in m. Duderhof cum *T. minori* typico mixtim crescit et in illud transire videtur. Characteres igitur ambarum specierum fere obliterantur. Linnaeus asseverat, experimentis in horto Upsaliensi institutis *P. Saxifragam* β. solo laetiori satam in γ. *majorem* Spec. pl. I. transmutasse.

In ericetis, graminosis apricis, campis sterilibus, elevatioribus calcareis, hinc inde sat copiose. Floret ab initio v. med. Jul., rarius jam fine Junii, ultra finem Sept.; fruct. mat. a fine Aug. ♃.

Hist. spec. Nascitur in pratis circa Nowogrodium, non procul a monasterio St. Antonio dicato (mihi tamen legere non licuit: Codex mss. n. 106!); var. *P. Sax. major altera* C. Bauh. (in Codice mss. n. 107 loco hujus citatur: *Sax. hirc. minor fol. Sanguisorbae* J. Bauh. et *Tragoselinum* n. 2. Haller helv.) in insula cui a Petro nomen est (et alibi siccioribus locis: Codex mss. n. 107!), non infrequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 46 s. *P. Sax.* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis siccioribus elevatis, in monte Poclonnaja! in insula lapidea et apothecaria et passim copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 74, n. 211) et in monte Pulcovo (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 233, n. 222); in locis siccis graminosis, promiscue cum β. *nigra* Willd. Roth, γ. *dissecta* R. S., δ. *media* Hoffm. (Weinm. Pawl. 1824, p. 143); ubique (Turcz. 1825, n. 205); in locis graminosis, ad margines viarum agrorumque copiose (Weinm. Petrop. 1837, p. 32, n. 214 formae a) nigra, b) alba, c) bipinnata).

Obs. 1. *Tragoselinum majus* Tabern. 1590 fig. bona! Tournef. Lamarck 1778! = *Tragos. magnum* Mönch 1794! = *Pimp. magna* L. 1771, Fries herb. norm. Suec. II, 41! = *Pimp. Saxifraga* Matth. 1558 fig! Camer. 1586 fig. opt! — in Livonia fere terminum boreali-orientalem attingit v. g. prope Dorpat!; ex Ingria

nondum vidi. Forma floribus roseis extrema et optima est, in australioribus semper a *T. minori* facilis distinctu. Indicatur quidem *P. magna* β. *dissecta* Retz. in fruticetis siccis ad ductus aquarum Taitzenses una vice, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 32, n. 213); sed *P. dissecta* Retz. 1783 tab. 2! mihi contra opinionem optimorum auctorum, nil aliud videtur, quam *T. minus* fol. omnibus tripinnatisectis.

Obs. 2. *Anisum vulgare* Clus. 1601 c. fig! Gärtn. 1788! = *Tragium Anisum* Link = *Pimpinella Anisum* L. = *Anisum* Plin., Cels., Colum. = ἄνισον Diosc.; odore fructuum pubescentium, radice annua et fol. infimis simplicibus insigne, in ruderatis circa Petrop. rarius emergit (Borszczow!).

CXXVI. PHELLANDRIUM.

Generis *Phellandrii* a Tournefortio et Rivino constituti typus est *Ph. aquaticum.* Est etiam *Phellandrium* Dodonaei 1566, qui *Phellandrion* Plinii (herba palustris foliis apii) idem esse credit, cui opinioni saltem patria non obstat, cum in tota fere Italia sponte nascatur. Ex quo auctore φελλάνδριον exscripserit Plinius et quid nomen exprimat, latet. Recentiores genus *Oenanthe* Tourn., Rivin. et L. cum *Phellandrio* conjungunt, vel potius hoc ut subgenus primo subordinant, quod rectius inverse faciendum fuisset; nam οἰνάνθη Theophr. et Diosc. pessimo errore, ut Endlicher ait, ad plantas hujus generis pervenit; Theophrasti est *Phytolacca decandra* sec. Fraas, Dioscoridis vero in petris nascitur; conf. supra p. 305.

266. *Ph. aquaticum* L. = *Phell.* s. *Cicutaria aquatica* quorundam J. Bauh. 1651 c. fig! = *Cicutaria palustris* Lobel. 1576 c. fig! = *Phellandrium* Dodon. 1566! 1583 fig. bonae!, Rivin. tab. 65! = *Ligusticum sylvestre* Trag. 1552 (sec. C. Bauh.).

Rhizoma fusiforme, septatum, fibrosum, fibris filifor-

mibus verticillatis. Caulis ramosissimus, ramis divaricato-patentibus. Folia submersa capillaceo-multifida; emersa 2—3-pinnata, petiolulis divaricatis v. refractis; laciniis pinnatifido-incisis, lacinulis parvis lineari-ellipticis. Umbellae oppositifoliae, breve et crasse pedunculatae. Involucrum 0, involucella polyphylla. Fructus oblongo-lineares, 2 lin. longi, $^1/_2$ lin. lati.

Ad margines stagnorum, in locis paludosis, hinc inde circa Petropolin, praecipue circa ostia Newae copiosissime, Duderovo; inter Nisü et Narwa etc. Floret a fine Junii ad medium Julii v. ultra; fruct. mat. medio Aug. v. prius. Radix ⊙, sed planta per stolones hyemales biennes perennat, ut *Epilobia.*

Hist. spec. In ramis Newae fl., ubi cursus ejus tardior, una cum *Scirpo altissimo* copiose provenit (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 43); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in ramis Newae fl. minoribus circa insulas: lapideam, crucis et apothecariam copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 71, n. 203) et circa insulam Basileensem (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 222, n. 214); in fossis profundioribus (Weinm. Pawl. 1824, p. 139 s. *Oenanthe Phell.* Lam.); ubique (Turcz! 1825, n. 199); in fossis, locis paludosis copiose (Weinm. Petr. 1837, p. 32, n. 210 s. *Oenanthe Phell.* Lam.).

CXXVII. CYNAPIUM.

Nomen *Ethusa* generi quidem impositum est a Linnaeo 1737, qui ab a. 1753 in *Aethusam* mutavit, verosimiliter propter colorem plantae viridi-nigricantem, quasi igne combustae: αἴϑουσα. At jam 1699 genus *Cynapium* Rivinus optime stabilivit typo *Apio* s. *Petroselino canino* Tabern. 1588, ita ut nulla ratione mutatio nomenclaturae Rivinianae a Ruppio et Dillenio adoptatae defendenda sit.

267. *C. Rivini* Ruppius 1718! Dill. = *Aethusa Cynapium* L. (*Cynapium Aethusa* nomen rectius fuisset) =

Cynapium Rivin. 1699 tab. 76! = *Petroselinum caninum* Tabern. 1588 = *Petroselini vitium* Trag. 1552!

Involucella triphylla, post anthesin reflexa! umbellulam excedentia. Vittae commissurales basi subdistantes. Pedicelli fructiferi peripherici in nostris variant fructum vix aequantes vel duplo superantes. Involucrum 0. Fructus ovatus, $1^1/_2$ lin. longus, 1 lin. latus. Folia 1—2 pinnata, foliolis deltoideo-rhombeis inciso-laciniatis. Caulis $1—1^1/_2$ ped. v. humilior.

In ruderibus et hortis oleraceis Petropoli et ins. Kronstadt, parcissime. Floret a med. Jul.; fine Aug. et med. Sept. cum flor. et fruct. mat. ⊙.

Hist. spec. Inter fluv. Russiam et Sistam in sylvis (Krasch. Codex mss. n. 102; ed. Gorter 1761, p. 44 s. *Aeth. Cynap.* L. ut seqq. — e loco vix vera! an *Conioselinum* in Ingria inexspectatum? syn. in Ledeb. Fl. Ross. non admittendum); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); Petropoli in hortis oleraceis! (Sobol. Petrop. 1799, p. 72, n. 205; ed. ross. I, 1801, p. 226, n. 216); in cultis et ruderatis prope Petropolim (Weinm. Pawl. 1824, p. 140); in oleraceis (Turcz! 1825, n. 200); in hortis oleraceis mihi parce obvia, Jun. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 32, n. 211).

Obs. Aethusa cynapioides M. Bieb. in fruticetis humidiusculis prope Slavienkam fl. Jun., Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 140) minime vera, potius *Conioselinum* erat.

CXXVIII. LIBANOTIS.

Libanotidis, generis Riviniani typus est *L. montana*. Nomen accepit, quod radix *Thus* s. λίβανον aliquo modo redoleat et Dodonaeus 1553 nostram indigenam pro altera *Libanotidis* specie habuerit, variis notis descriptioni veterum respondentem et saltem in tota Italia spontaneam. Ceterum patribus diversae *Umbelliferarum* aromaticarum species nomine „*Libanotis*“ salutatae; nec mirum; apud Graecos enim eadem incertitudo. Λιβανω-

τίς Theophrasti, cujus semen κάχρυς vocatur pro *Cachryde cretica* habetur a Sprengelio; λιβανωτίς Dioscoridis omnium fere consensu est *Cachrys Libanotis* L., sed *Rosmarinum* quoque sic appellavit et additis epithetis varias plantas heterogeneas. Nomen *Libanotis* maxime meretur planta Linnaei, etiam Plinio *Cachrys* et *Libanotis* dicta. Cum vero nequaquam apud auctores recentiores constet, an *Libanotis* Rivini revera genere satis distincto a *Seseli* recedat, nomen Rivini ad interim immutatum retinui.

268. *L. montana* Crantz 1767!, Allione 1785 tab. 62 bona! = *Seseli Libanotis* Koch = *Athamanta Libanotis* L. Bertol. = *Libanotis* Rivin. 1699 tab. 37! = *Daucus montanus apii folio minor* C. Bauh. 1620 c. fig! teste quoque herb. C. Bauh. = *L. alba minor* s. *amara* Thal. 1588! = *Apii montani* genus *amarum* Gesner 1561 e Legerio monte ad Badam nostram (teste Haller) = *Libanotidis* II genus Dodon. 1553 c. fig!

Radix crassa, perpendiculariter descendens et in partes subaequales divisa, ad collum fibris dense comata. Caulis robustus, angulato-sulcatus (glaber). Petioli et pinnae glaberrimae, subtus glaucae vel in forma microphylla subtus ad costam et petiolos hirtae. Paria infima foliolorum ad costam mediam decussata vel (in *L. intermedia*) a costa media remota. Folia radicalia bipinnata, caulina simpliciter pinnata, pinnulis bipinnatifidis; sed variant: radicalia simpliciter pinnata (specim. Turcz!) vel radicalia et caulina bipinnata (ex Arbonje), ita etiam variat pinnularum magnitudo, minimae $^1/_4$—$^1/_2$ poll., mediae 1 poll., maximae (*L. intermedia*) 2 poll. et longiores, latissimae, grosse incisae. Involucrum et involucella polyphylla. Radii et radioli umbellae hirti. Fructus in omnibus hirti! 1 lin. circiter longi, diversitatem sequentem exhibent in diversis exemplaribus ejusdem regionis: α) mericarpia ovalia ad commissuram glaberrima et ibi vittis 4 manifestis, per paria approximatis percursa; β) meric. ovato-oblonga ad commissuram cano-hirtula et ibi

vittis 4 in 2 omnino confluentibus percursa; haec ex forma latifolia; sed fructus formae angustifoliae omnino his intermedia; γ. meric. ovata latiora quam praeced., ad commissuram subglabra, vittis plerumque 6 manifestis (*L. intermedia*).

In apricis, calcareis collium et montium raro; in montibus Duderowianis copiosissime; alibi parce: pr. Arbonje, inter Gatschina et Siworitzü, Narwa. Floret a med. Jul. v. serius usque ad init. Sept.; fruct. mat. fine Aug. ♂.

Hist. spec. Ingriae montosis familiaris est, ubi semen tamen perpetuo hirsutum fert (Gmelin Fl. Sibir. I, 1747, p. 186, s. n. *Athamanta* n. 3.); circa urbem Narwam! in sylvis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 41 s. *Atham. Lib.* L. ut seqq. — cur non in m. Duderovo vidit?); in monte Duderovo! atque in Ossinova Roscza (Sobol. Petrop. 1799, p. 67, n. 194; ed. ross. I, 1801, p. 212, n. 204); in montosis Duderhovii! et Pulcovae (Weinm. Pawl. 1824, p. 133); in montosis Duderhovii et in ripis elevatis Newae fl. circiter 30 leucas ab urbe var. *sibirica* copiose, sed typus rarius occurrit (Turcz! 1825, n. 190; specim. Turcz. Petrop., quod vidi, recedit a reliquis: fol. rad. simpliciter pinnatis et involucro ante anthesin nullo); in montosis siccis aridis (Weinm. Petr. 1837, p. 31, n. 209 s. n. *Seseli Libanotis* Koch).

Obs. *L. intermedia* R. Diatr. Petr. 1845, p. 53, sive *L. sibirica* Koch (nec *Ath. sibirica* Linné, quae fructus glabros et flores subtus rubros habet, qualem v. g. e Slatoust vidi), cujus tantum unicum specimen 4 pedale in umbrosis ad pedem montis pr. Duderovo a D. Zobel, nec posthac amplius repertam vidi, propter proventum nimis parcum in eadem regione cum *L. montana* sat polymorpha, hic conjunctim pertracta est. Ceterum *Libanotis* nostra jam diu dubiis variis vexata fuit. Gmelin plantam sibiricam adeo proteam vidit, ut ingricam cum reservatione junxerit; Turczaninow var. *sibiricam* frequentiorem dixit, quam typicam, et idem fere H. Mertens in mss. 1823, syn. Sobolewskii et plan-

tam Petropolitanam pro *A. sibirica* considerans et cum homonyma Mosquensi, non cum *A. Lib.* Upsaliensi comparans. Huc sine dubio etiam pertinet: *A. sibirica* ex Ingria (Georgi 1800, p. 843, ubi Gorterum et Gmelinum citat); et Petropoli (Ledeb. Fl. Ross. II, 1844, p. 280 ex syn. J. G. Gmelin, sed verba Gmelini sat accurate probant, plantam Ingricam non hujus loci esse). *L. sibirica* Bot. Suec. foliis omnibus tantum pinnatis, pinnis grosse inciso-dentatis, teste Fries Mant. III, p. 23, est *L. montana* typica, post foenisecium iterum enata; in Hb. norm. XII, 45 omnino alia forma a nostris Ingricis exhibita.

CXXIX. CNIDIUM.

Genus *Cnidium* Petr. Cusson in mém. soc. med. Paris 1782, 3 constituit typo *Selino Monnieri* L. Κόκκος κνίδιος, κνίδιον Theophr., latine granum Gnidium, est fructus *Daphnes Gnidii* L. Radicem vero habet vox, ut κνίδη Hippocr. (*Urtica*) ἀπὸ τοῦ κνίζειν vel κνιδᾶσθαι, quia mordet.

269. *C. venosum* Koch 1824, 1826! optime = *Selinum venosum* Hoffm. 1800! = *Seseli dubium* Schkuhr 1791! = *Seseli Saxifragum* Scholler 1775! non L. = *Selinum sylvestre* L. sec. Nolte et alios, sed syn. C. Bauhini princeps, ex quo nomen, est *Thysselinum palustre* = *Pimpinella tenuifolia* Rivin. 1699, tab. 84! omnino videtur.

Habitus *Seseleos annui* L., sed juga fructus alata. Omnium fere Umbelliferarum maxime constans. Radix simplex, extus lutescens, intus alba, odore et sapore *Carotae*. Caulis gracilis, ad umbellam usque glaberrimus, superne tantum subtiliter sulcatus, parce et arrecte ramosus vel omnino simplex, striatus (nec angulato-sulcatus ut *Selini Carvifoliae*). Vaginae magis elongatae, superiores arctius convolutae, quam in aliis Umbelliferis similibus. Folia tripinnata, laciniis anguste linearibus,

pellucido venosis!, margine incrassato (sub lente) asperulis, omnibus subparallelis. Involucrum commune et partiale nullum vel oligophyllum, filiforme; partiale e foliolis subulatis glabris longitudine umbellularum. Fructus maturi ovales $^3/_4$ lin. longi.

In pratis nemorosis, ad margines sylvarum vel inter virgulta, tantum in regione demissa Petropoli, praecipue circa ostia Newae ubique, sed fere semper parcissime; ceterum tantum circa lacum Peipus pr. Rudnitza in campo sterili arenoso juxta Juniperos specimen offendi. Floret a fine Julii ad initium v. med. Aug.; fruct. mat. init. Sept. ♂.

Hist. spec. Krascheninnikow in Ind. mss. 1749, n. 210 cum dubio plantam hanc pro: *Tragoselino* foliis tenuissime divisis, pinnulis ultimis tripartitis Haller helv. 430 habuit, sed optime *Cnidium venosum* descripsit; specimen unicum d. Julii 2 minus evolutum in ins. Petri! ipse legit, nec plus invenire potuit; in codice mss. Krasch. n. 66 haec species deleta et verosimiliter iterum sine loco sub n. 101 redit, ubi pro *Seseli annuo* a Gorter habita est. Petropoli (Falk Beitr. 1786, p. 145 s. *Selino sylvestri*); Petr. (Boeber et Rudolph ex Georgi 1790, n. 177 s. *Selino sylvestri* L.); circa Petropolin in sylvis inundatis paludosis (Sobol. Petr. 1799, p. 66, n. 192) et Catharinhoffii! (Sobol. ed. ross. I, 1801, p. 210, n. 202, utroque loco sub *Selino sylvestri* L.; planta Sobol. vix verum *Cnidium venosum*, potius forma *Thysselini palustris*, ut H. Mertens in mss. 1823 credidit; conf. Diatr. Petr. 1845, p. 53, ubi etiam *Conioselinum* ad explicationem admittitur); Ingria (Georgi 1800, p. 842, n. 1 sub *Selino sylvestri; Sel. palustre* sub n. 2 adest); circa Petrop. raro (M. Bieberst. herb! s. n. *Seseli selinoides* Besser, cui Besser adscripsit, idem esse ac *Seseli venosum* Hoffm.); Petrop. (H. Mertens mss. 1823 s. n. *Selinum pratense* Sprengel); Petr. (Longmire 1823, p. 193 s. *Selino sylvestri*); circa Petropolin (Weinm. Pawl. 1824, p. 142 s. *Seseli venoso*); ubique (Turcz! 1825, n. 202 s. n. *Seseli dubium* Schk.); in pra-

tis tam siccioribus, quam humidiusculis passim (Weinm. Petrop. 1837, p. 31, n. 208).

Obs. 1. Certo certius huc referri debet *Seseli annuum* (non L.) Kraschen. ed. Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 45, ubi Gorter meminit, in Codice Krasch. mss. sub n. 101 locum specialem non additum esse, quare dubitat, an hic locorum crescat; confer, quae supra dicta sunt. Ingria (Georgi 1800, p. 856, n. 2 ex Gorter transscriptum); in pratis siccis et ad margines sylvarum locis elevatis pr. montem Duderhof et Krasnoje Selo (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 229, n. 219; in edit. latina 1799, p. 73, n. 208 ex auctoritate Gorteri quidem inseruit, sed quaerendum esse adhuc Petropoli, monet Sobol.). A Weinmann 1824, Ledebour in Fl. Ross. et in Diatr. 1845, p. 53 pro *Cnidio venoso* interpretatur; an planta Sobolewskii ex loco ad *Selinum Carvifolia?*, sed etiam H. Mertens in mss. 1823 plantam Sobol. ad *Selinum pratense* (Sprengel) ducit.

Obs. 2. *Silaus pratensis* Besser e Petropoli apud Ledeb. Fl. Ross. II, 1844, p. 287, fide syn. Gorteri receptus et s. n. *Peucedanum Silaus* L. ex Ingria indicatus, ad hallucinationes pertinet. In sylvis circa urbem Narwa (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 42; in cod. mss. 1754 Krasch. sub n. 93 synn. allata, etiam J. Bauhini, nullam lucem afferunt); Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 146); copiose in pratis et sylvis humidis circa fabricam pyriam Ochtensem, ad viam Wiburgensem, Peterhofianam, Sarskoseliensem et alibi (Sobol. Fl. Petr. 1799, p. 68, n. 197; ed. ross. I, p. 214, n. 207). Nescio qualem Umbelliferam referat. Quandam similitudinem habet cum *Cnidii venosi* specc. foliolis latioribus, etiam in *Silao* pellucide venosis; forte potius *Thysselinum palustre* (latifolium) in Fl. Ingr. Krasch. ed. Gort. non obvium, cui et loca apud Sobol. melius conveniunt. *Silaus* floribus luteolis e longinquo distinctus.

CXXX. CONIOSELINUM.

Nomen optimum et genus a F. G. Fischer in Hoffmanni Umbelliferis 1814! et 1816 propositum, tunc solum numero vittarum in valleculis fundatum et a *Selino* distinctum, charactere novo a Koch 1837 detecto confirmatum, habitum *Conii* cum fructibus *Selini* jungit.

270. *C. Gmelini* Fries 1841 hb. norm. Suec. VIII, 17, propter *Ligusticum Gmelini* Cham. et Schl. 1826! et *Selinum Gmelini* de Bray 1818! e Kokenhusen Livon.; utrumque vero propter syn. princeps Gmelini in Fl. Sibir. 1747! tab. 44 et opt. descr.! sub *Angelica* n. 10. = *Conios. Fischeri* Wimm. et Grab. 1827! (excl. libro false citato) = *Conios. ingricum* Fischer 1824! solum nomen = *Conios. tataricum* Hort. Gorenki ex Hoffmann 1816! fig. 5 in titulo (absque syn. Gmelini) = *Angelica chaerophyllea* Lottermoser in Eysenhardt 1823! (nomen nequaquam melius, quam *Gmelini*). Cel. Koch etiam citat *Ligusticum vaginatum* Sprengel 1815, sed descr. et syn. repugnant; refutatur etiam ex Eysenhardt.

Radix crassa, brevis, ramosissima, odore *Petroselini.* Caulis 3—4 pedalis, teres, flexuosus, striatus, glaber, plerumque purpurascens et pruina glauca leviter obductus, superne patenti-ramosus. Vaginae ampliatae. Folia fere *Cerefolii sylvestris*, semper glabra, pinnata, pinnis tripinnatifidis, laciniis confluentibus v. inferioribus rarius remotis. Involucrum caducum, 1—2 phyllum, longe setaceum, rarius foliaceum; involucellum polyphyllum, foliolis setaceis umbellam aequantibus v. superantibus, saepe in modum *Cynapii* reflexis. Flores virginei interdum roseo-purpurei. Fructus plene maturi 2 v. $2^1/_2$ lin. longi, $1^1/_2$ lin. lati. — Variat in eodem loco fol. laciniis angustioribus densioribus v. latioribus remotioribus.

In fruticetis ad fossas et in declivibus riparum et montium umbrosarum, solo pingui et humido; Petropoli in reg. demissa, praecipue circa ostia Newae et in insu-

lis sat frequens et copiose; Pulcovo, Orlino, Wassilkowa, ad cataractas fl. Wolchow, versus ostia fl. Luga pr. Karowina. Floret a medio Julio saltem ad med. Aug.; fruct. mat. ab initio v. fine Aug. ♂.

Hist. spec. Krasch. et Gorter, nec non Sobol. verosimiliter jam habuerunt, sed false pro *Cynapio* aut *Conio maculato* determinaverunt; Weinmann 1824 sub *Aethusa cynapioide* M. B. Vidi specimen in sylvis umbrosis Petropoli a. 1817 lectum in Herb. M. Bieberstein s. n. *Selinum Gmelini* sibi! et e Petropoli jam 1823 indicatum in mss. H. Mertens s. n. *Conioselinum ingricum*. Prima relatio publica in Ind. sem. horti Petrop. 1824, p. 22 s. n. *Conioselinum ingricum* Fischer, eodemque nomine in Catal. plant. Fl. Petrop. apud Turcz. 1825, n. 197; in fruticetis humidiusculis passim Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 31, n. 207 s. n. *Conios. Fischeri* W. et Gr.); exhibita quoque e Petropoli specc. a Kühlewein 1848 in Fries herb. norm. Suec. XIII, 40! s. n. *Conios. tataricum* Fisch. var. *Ingrica* Fries.

CXXXI. SELÍNUM.

Genus *Selinum* sensu hodierno a Hoffmann 1814 constitutum, typo *S. Carvifolia* L., sub quo Linnaeus 1768 characterem generis inscius dedit, dicens „semina lateribus a se invicem hiant". Genus *Selinum* apud Linnaeum mixtum e *Thysselino*, *Selino*, *Peucedano*, *Ligustico* et *Cnidio*. Gaudin 1828 *S. Carvifolia* L. pro typo generis novi habuit et *Mylinum* (*Carvifolia*) dixit; Bertoloni genus agnovit et nomen *Selinum* ad genus *Thysselinum* cum *Oreoselino* junctum transtulit; at reformatio *Selini* apud Hoffmann longe praestat; nihilominus forte nomen Gaudini substituendum propterea, quod *Selinum* nomenclaturae Graecorum non satis respondeat. Σέλινον Theophr., σέλινον κηπαῖον Diosc., σέλινα hodie, est *Apium* Romanorum sive *Ap. graveolens* L. cultum; planta sylvestris ἐλειοσέλινον Theophr.

et Diosc., *Helioselinum* Plinio, ἀγριοσέλινον hodie Neograecis dicitur. Πετροσέλινον Diosc. et partim hodie est *Apium Petroselinum* L. Ἱπποσέλινον Hippocr. Theophr. Diosc. Galen.=*Hipposelinum* Plin. Colum. est *Smyrnium olus atrum* L. Ὀρεοσέλινον Theophr. Diosc. (Plin.), *Buselinum* et *Thysselinum* Plin. ad alias pertinent. Nomen *Selinum* igitur ad varias Umbelliferas, odore subsimili gravi acri-aromatico praeditas a veteribus translatum fuit. Radix *S. Carvifoliae* similem odorem fortiter spargit. Derivandum forte nomen ἀπὸ τῆς σελήνες vel ἀπὸ τοῦ σεληνιακοῦ, morbo comitiali lunatico, quod epilepsia laborantibus noceat, ut Trallianus et Avicenna docent, moderate vero sumta ex Galeno prosit.

271. *S. Carvifolia* L. 1762, exactius definitum 1767! excl. synn. quibusd.; Jacq. 1773!! tab. 16 opt! a Linnaeo citata jam 1771! in Mantissa II (quo modo hoc intelligendum?) = *S. Pseudo-Carvifolia* Crantz 1767! 1769! primus confusionem apud Linnaeum revelavit, (nam *Carvifolia* C. et J. Bauhini et ideo *Seseli Carvifolia* L. 1753 ad *Selinum Chabraei* Jacq. pertinet, quod verum *Peucedanum Carvifolia* Bauhinorum sistit; sub diverso igitur genere *Selinum Carvifolia* L. subtiliter defendi potest) = *Selinum* n. 18 Gmelin Sibir. I, 1747, tab. 48! a Linnaeo 1762 citatum, Ledebourio dubium, mihi optimum videtur = *Angelica tenuifolia* Rivin. 1699 tab. 18? a L. 1762 citata, propter segmenta nimis lata jam dubia et a Crantzio rejecta = *Seseli pratense tenuifolium* C. Bauh. 1620! e pratis udis Michelfeld. fide Linné qui in herb. Burseri vidit, etiam teste herb. Hagenbachi, amici C. Bauhini et e loco classico a Hagenbachio jun. confirmatum, exordium speciei sistit.

Radix perpendicularis, subinde radicibus accessoriis filiformibus tuberoso-incrassatis aucta, ad collum vaginis fusco-nigricantibus et petiolorum residuis fibrosis comata. Caulis plerumque bipedalis, sulcato-angulatus. Fo-

lia glabra, circumscriptione oblonga, 2—3 pinnata, pinnulis iterum pinnatifidis, laciniis oblongis calloso-mucronatis! Involucrum 0 v. oligophyllum; involucella polyphylla, foliolis linearibus umbellula brevioribus. Radii umbellae hirtuli. Mericarpia ovalia, $1^1/_2$ lin. longa. — Variat laciniis pinnularum latioribus. A *Thysselino palustri* vel jugis fructuum alatis, vel involucro subdeficiente, vel mucronulo foliolorum, vel etiam radice dignoscitur.

In pratis elevatioribus, fl. Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 134); in fruticetis elevatis graminosis rarissime legi, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 31, n. 206; vidi in herb. Weinm. specim. e via Taitzensi!); in graminosis Gatschinae cum *Brachypodio pinnato;* copiosius in pratis pr. Lissina (R. Symb. 1846, p. 230); in fruticetis graminosis elevatioribus circa montes Duderhof sat copiose, rarissime aberrans in fruticeta turfosa regionis vicinae demissae inter Ligowo et Gorjelowo (Borszczow!). Extra ditionem Fl. Petrop. in graminosis ad margines sylvarum pr. Gorodetz, in pratis turfosis inter Gorodetz et Sapolje, nec non in graminosis declivibus siccis ad ripas elevatas fl. Pljussa prope Polja, non parce. Floret a medio, rarius initio Julii; med. et fine Aug. cum fruct. matur. et floribus ultimis. ♃.

CXXXII. ANGELICA.

Vox *Angelica*, etiam radix St. Spiritus dicta, ex aevo medio ad patres pervenit; sic dicta forte propter suavissimum radicis aroma vel a singulari adversus morbos facultate. Nulla alia apud omnes patres saltem usque ad C. Bauhinum exstiterat vera *Angelica*, quam *A. sativa* et *A. sylvestris*, quarum prima ex opinione communi ad *Archangelicam* pertinet. *Angelica* Rivini tab. 15 *Archangelicam* exprimit et quamquam autor generis *Angelicae* a Linnaeo dicitur, propter accumulationem specierum heterogenearum sub *Angelica*, vix jure habendus est. Multo magis depuratum est genus *Angelica* apud Linnaeum; continet enim 1) *Archangelicam*, 2) *A.*

sylvestrem, 3) *Peucedanum verticillare*, 4) *A. atropurpuream* et 5) *A. lucidam*. *Angelica* Tournef. tab. 167 pro typo habet *Podagrariam*, *Angelicam* omnibus patribus spuriam. Separata *Archangelica*, ut typus generis remanet *Angelica sylvestris* Fuchs 1542! et plurr. patr.

272. *A. sylvestris* Fuchs 1542 fig. opt! repetita apud Camer. 1586!, Pena et Lobel. 1570!; Dodon. 1583 fig. opt! et plurr. patr. usque ad Linné!

A similibus Umbelliferis indigenis, excepta *Archangelica*, praecipue dignoscitur: pedunculis infra umbellam et radiis dense incano-hirtis. Radix crassa. Caulis robustus, interdum humanae altitudinis. Vaginae inflatae. Folia inferiora 2-, rarius 3-pinnata, pinnulis ovatis acuminatis v. fere lanceolatis, margine duplicato-serratis, subtus glabris, reticulato-venosis. Involucrum subnullum, involucella polyphylla. Mericarpia ovali-obovata, utrinque truncato-emarginata, $2^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata, substraminea; variant angustiora et fusca; vittae commissurales 2 superficiales.

Ocurrit α) *typica:* pinnulis terminalibus basi ad rachin non decurrentibus; huc omnes figg. patrum citatae; β) *decurrens:* foliolis saltem summis basi decurrentibus = *A. montana* Schleicher pl. exsicc. ex Sprengel 1813! (nomen tantum, Decand. 1815! et Gaudin 1828! (descr.) = β. *elatior* Wblbg. 1814! „foliola praecipue lateralia basi attenuata sunt (nec rotundata) et interdum trifida". Petropoli frequentior, quam typica, in quam aperte transit (R. Diatr. 1845, p. 53); datur etiam hujus modificatio in agro Petrop. obvia pinnulis plerisque plus minus perfecte decurrentibus (Avé Lallemant in Ind. IX. sem. hort. Petr. 1843, s. n. *A. sylv.* var. *decurrens* sibi cum synn.).

γ) Caulis humilior, jam a basi ramosissimus; foliola pauciora, saepe tenuiora, valde irregularia, latissima, grosse dentato-incisa; umbellae plerumque minores, radiis paucioribus. Petropoli: Uljanka et Ligowka (Kühlewein! et Borszczow!); δ)? *macrocarpa** mericarpia ad

4 lin. longa, $2^1/_2$—3 lin. lata, basi et apice cordata, margine undulata; vittae commissurales obtectae. Quoad fructus exacte cum specc. Pyrenaicis *A. Razulii!* Gouan 1773, tab. 6 et praecipue cum descriptione apud Mert. et Koch 1826! concordans. Petropoli in litore submarino sylvatico prope Uljanka (Kühlewein!); plantam, cujus tantum summitatem fructiferam med. Sept. decerptam vidi, ulterioribus observationibus commendo, an γ. fructibus maturis, sed involucro communi oligophyllo persistente insuper diversa fuit.

In pratis udis circa frutices, in sylvis humidis saepe calcatis, umbrosis hortorum, fere ubique copiose, praecipue tamen in regione demissa Petrop. exuberans. Floret medio Jul. in serum autumnum; fruct. mat. a fine Aug. v. init. Sept. ♃, sec. Reichb. ♂.

Hist. spec. In sylvis humidis circa fluvium Strelnaja (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 42); ubique in sylvis et pratis humidis, praecipue ad fossas et margines sylvarum (Sobol. Petrop. 1799, p. 70, n. 201) et prope Zarscoje Selo et Krasnoje Selo (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 221, n. 212); ubique (Turcz. 1825, n. 195); in sylvis et fruticetis humidis frequens, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 31, n. 205; 1824 casu omissa).

CXXXIII. ARCHANGELICA.

Hoffmann 1814 et 1816, nec non Decandolle *Archangelicam* genere ab *Angelica* (*sylvestri*) diversam esse demonstrabant. *Angelica Archangelica* L. rite remitti potest ad *Archangelicam* Lobelii 1576. Vaga tunc temporis vox *Archangelica* vulgo ad *Lamium album* et *purpureum*, *Campanulam Trachelium* venit, ut Pena et Lobel. 1570 referunt; Lobelius optime nomen ita fixit, ut quasi *Angelicam* natura et viribus medicatis nobiliorem, nec non affinitatem intelligere possis. Lobelius 1576 de *Archangelica Norvegica* loquitur, eadem, cujus Dodonaeus 1574 sub *Angelica sativa* meminit et a qua Lobelius distinxit. Minus certa est

Archangelica Dodon. 1574 et Clus. 1583, quae posterior e Croatia veniens, a Wulfenio 1786 pro *Laserpitio Archangelica* declaratur. Magna confusio parata est ex officina Plantiniana, quae figuram sub titulo *Archangelica*, addita umbella abscissa, primo in Lobelii iconibus 1581 impressit, posthac Dodonaeo 1583 et Clusio 1601 addidit; haec est *A. Archangelica* β. Linne 1753 (involucellis excedentibus serratis). Similis fig. apud Tabern. 1590 s. *Ang. Scandiaca* s. *Archangelica*. Bertoloni 1837 *Archangelicam* pro genere nimis artificiali declarat et ad *Angelicam* iterum amandat.

273. *A. officinalis* Hoffm. 1814!, 1816! (excluditur tantum planta Lapponica Wahlenbergii propter flores lutescentes et pedunculos laeviusculos) = *Angelica Archangelica* L., Heyne VII, tab. 8! = *Ang. sativa* Fuchs 1542 c. fig. bona, repetita apud Camerarium 1586 et plurr. patr. forte mixta usque ad Miller 1768!, cui planta culta *officinalis!*, in ripis regionum septemtrionalium spontanea. Ab hac Miller rigorose distinxit *Ang. Archangelicam* suam ex Hungaria et Germania, culturâ immutabilem, duplo altiorem, foliis majoribus, margine profundius serratis, floribus luteis; haec omnino etiam videtur *Ang. Arch. α. alpina* Wahlenb. 1814, edulis.

Ab *Angelica* simili praeter fructus optime dignoscitur: foliolis tenuioribus, latioribus, majoribus, subtus eximie glaucis; terminali semper majori, numquam decurrente, ad medium usque vel paulo ultra trifido!; caule ramisque purpurascentibus, pruina quasi obductis; vaginis superioribus semper saccato-inflatis (quod non semper in *Angelica*), pedunculis apice cum radiis saepe minus incanis. Petala albo-viridula, nonnulla etiam leviter purpurascentia. Mericarpia ovali-oblonga, 3 lin. longa, 2 lin. lata, pallide straminea; variant paulo majora ($3^1/_2$: $2^1/_2$ lin.) vel in eadem umbella minora.

Planta Ingrica propter dissensus maximos auctorum in speciebus *Archangelicae* Europaeis nondum plene de-

terminata. Radii umbellae in nostra semper pubescenti-scabri (numquam glabri) et involucella umbellulis plus dimidio breviora (nec aequilonga), quibus notis et insuper petalis albis (nec viridulis), caule altiori et duriori, aromate crudiori (ut edi non possit, neque condimentis inserviri) *A. littoralem* distinxerunt Wahlenberg 1814! Fries et Agardh ab *A. officinali*, licet auctores laudati non plene inter se conveniant. At in specim. Lappon. *A. officinalis* Fries herb. norm. XI, 27 (sine fruct.) radii umbellae nequaquam glabri et in *A. officinali* Koch involucella etiam brevia describuntur; praeterea *A. littoralis* Fries herb. norm. X, 20 ex ins. maris baltici differt ab Ingrica: foliolis multo rmioribus, fere coriaceis. Facilius distinguere possum ab his *A. Norvegicam* Fl. Samoj. n. 135 fructibus subrotundis; si cel. Friesium (Summa veg. Scand. et Mant. III) rite intelligo, haec *A. Norvegica* patrum esset *A. officinalis* illius (non Hoffm.) propter carpella hemisphaerica turgida et Ingrica planta esset *A. littoralis* illius aut varietas, vulgo pro *A. sativa* habita.

Circa ostia Newae fl. in insulis et secus litus marinum usque ad Strelna non adeo rara in fruticetis; exinde secus fossas ad viam Krasnoseliensem et canalem Ligowka loca editiora et a mari remotiora petit; in plagis Ingriae interioribus solum ad ripas fluviorum et rivulorum: Slavjanka, Oredesh pr. Whyra, Ruditza pr. Lapuchinka et versus ostia Lugae pr. Karowina, plerumque parcius, in conspectum venit. Floret a fine Junii v. initio Julii; fruct. mat. ab initio Aug. ♂.

Hist. spec. Hic locorum in campis spontanea (Siegesbeck Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 10 s. *Ang. sativa* C. Bauh.); in sylvis praesertim ad margines fl. copiose provenit (Krasch. Codex mss. n. 91! ed. Gort. 1761, p. 42 s. *Ang. Arch.* L.); in sylvis circa fluvium Nevam! et in pratis montosis circa Murzincam copiose (Sobol. Petrop. 1799, p. 70, n. 200; ed. ross. I, 1801, p. 219, n. 211 s. *Ang. Arch.* L.); in locis sylvaticis humidiusculis prope Strelinam! (Weinm. Pawl. 1824, p. 134 s. *Selino*

Archangelica Link); in fossis ad vias Peterhofianam! et Sarskoseliensem (Turcz. 1825, n. 196 s. *Arch. offic.* Hoffm.); in fruticetis humidis et ad fluviorum ripas, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 31, n. 204 s. *Arch. off.* Hoffm.); Petropoli (Avé-Lallemant 1843 in Indice sem. IX hort. Petr. p. 62 s. *Arch. offic.* Hoffm. *α. sativa* sibi, cum synn.).

(CXXXIV.) PEUCÉDANUM.

Generis *Peucédani* Tournef. et Rivin. tab. 11 typus est *P. officinale* L., quod etiam πευκέδανον e verbis Hippocr., Theophr. et e descriptione fusiori Dioscoridis est, inde etiam *Peucedanum* Plinii. In hoc saltem omnes patres conveniunt, *P. germanicum* et *majus italicum* distinguentes, apud Linnaeum in *P. officinale* conjuncta. Nomen sortitum est inde, quod e foliorum laciniis angustis, longis et duris πεύκην referat, quare ab Apulejo *Pinastellum* vocatur. Quidam nomen invenisse putant a foetore amaro horrendo, per vocem πευκεδανός expresso apud Homer. Iliad., Hesychium et Nicandrum; huic vero obstat, quod πευκέδανος herba, accentum in antepenultima habeat, ne videatur esse epithetum. — Recentiores cum *Peucedano* jungunt genus *Oreosélinum* Tournef. et Rivini; quod idem est ac *Oreosélinum* Gesner 1561, Pena et Lobel., Dodon. (qui jam pro illegitimo cognovit), Clus. Dalech. Tabern.; at vix ὀρεοσέλινον Theophr. et Diosc., quod Fraas cum dubio pro *Seseli annuo* L. habet, licet semen *Cumino* simile describitur. *Oreoselinum* in tota quidem Italia crescit, sed rarius.

(**274.**) *P. Oreoselinum* Mönch 1794! = *Athamanta Oreoselinum* L. Jacq. tab. 68 opt! = *Oreos. legitimum* M. Bieb. 1819! = *Oreos. majus* Moris. 1672! = *Oreoselinum* Rivin. tab. 8 opt!; Lobel. 1576 c. fig! repetita apud Dodon. 1583 et Clus. 1583, 1601; Gesner 1561 p. 247b! prope Basileam loco specialiss. indic. =

Polychrestum Cordus s. *Polytmetum* Gesner 1561 (sec. Haller) = *Dauci* II genus Trag. 1552 loco specialissimo (teste Haller).

A *Thysselino palustri* et aliis similibus indigenis facillime dignoscitur: diramificationibus petioli divaricato-refractis!, longis; foliolis cuneato-rhombeis, incisis, latioribus, pellucide reticulato-venosis; caule tereti, tenui, striato, minus foliato.

Crescit tantum in limite australi occidentali gubernii Petrop. in toto tractu sylvae primaevae vastissimae Ssorokowoi Bor dictae, inter urbes Pskow et Gdow, ad margines sylvae, in fruticetis, ericetis et pinetis disperse (R. in Bull. Acad. 1854, p. 221; Mélang. p. 91). Medio Jul. florens et partim defloratum fruct. immaturis. ♃.

Obs. 1. *P. Oreoselinum* Weinm. Petrop. 1837, p. 31, n. 203 et inde in Ledeb. Fl. Ross. II, 1844, p. 312, indicatum Petropoli in locis turfosis elevatis, Jul. Aug. est *Thysselini palustris* forma.

Obs. 2. *Peucedanum officinale* Ingricum (non L.) ad hallucinationes pertinet. Indicatum fuit: inter fluv. Russiam et Sistam in sylvis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 42; in codice Krasch. mss. sub n. 92 syn. Linnaei citata ad *P. officinale*, Morisoni vero ad *Triniam vulgarem* pertinent; Ledebour in Fl. Ross. plantam Krasch. cum dubio ad *Conioselinum* ducit, sed hoc potius sub *Cynapio* aut *Conio* intellexisse credo; apud Krasch. et Gorter vero deest *Thysselinum palustre* vulgatissimum, an forte hoc?); Ingria (Georgi 1800, p. 844, n. 1 ex Gorter); ad margines sylvarum prope Sarscoje Selo et ad viam Wiburgensem ultra montem Poclonnaja, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 68, n. 196; ed. ross. I, 1801, p. 213, n. 206); ad viam Wiburgensem, fl. Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 136).

Obs. 3. *Peuc. Cervaria* Lapeyr. s. n. *Athamanta Cervaria* L. pro Ingria indicatum, fide indignum. Jamburg (Boeber ex Georgi 1790, n. 180); Ingria (Georgi 1800, p. 843, n. 2); in montosis circa urbem Jamburg,

fl. Jul. Aug. (Boeber ex Sobol. Petr. 1799, p. 68, n. 195; ed. ross. I, 1801, p. 212, n. 205).

CXXXV. THYSSELINUM.

Typus generis *Thysselini* Tournef. et Rivin. est *Thysselinum* Lobelii 1576, qui etiam pro planta homonyma Plinii habet, ut Zannichelli et Sprengel, licet in Italia tantum superiori proveniat. Hoffmann 1814 genus restauravit charactere novo, Reichenbach et Koch agnoverunt, alii vero cum *Peucedano* jungunt.

275. *Th. palustre* Tournef. 1694! Seguieri 1745! Hoffm. 1814! = *Peucedanum palustre* Mönch 1794! = *Selinum palustre* L. (caulis tantum in ramis tenellis lactescens, radix unica; in *S. sylvestri* L. sive *Th. Plinii* Lob. radix fusiformis, multiplex) = *Thyss. angustifolium* Rivin. tab. 20! = *Seseli palustre lactescens* C. Bauh. 1620 fig. bona! sed omissum est involucrum; est fons *S. palustris* L. a Hagenbachio corroboratus = *Apium sylvestre succo lacteo turgens* C. Bauh. 1623 et herb! quod Linné pro *S. sylvestri* suo citat, unde etiam nomen; = *Thysselinum Plinii* Lobel. 1576 fig. bona, sed sine involucro (in agris udis Batavorum, caulis vulneratus succum lacteum fundit); Tournef. 1694! Zannich. 1735, Sprengel 1825 = *Daucus* quidam *palustris*, liquore lacteo resinoso turgens, radice amara; circa lacum felinum: Gesner 1561 (teste Haller) = *Siler aquaticum* Ruell. 1536 (sec. Haller).

Radix lactescens, subsimplex crassa vel omnino jam a collo in radices plures soluta, ut in Lobelii figura. Caulis sulcatus. Folia 2—3 pinnata; pinnulis supremis confluentibus, inferioribus pinnatisectis, segmentis omnibus ± anguste lineari-lanceolatis acuminatis, margine (sub lente) scabriusculis, venis subpellucidis. Involucrum generale notabile polyphyllum deflexum! foliolis lineari-lanceolatis longe acuminatis, viridibus, albo-marginatis! (ex hoc a plerisque similibus primo intuitu cognoscitur;

non satis certum, an interdum desit). Radii puberuli. Mericarpia anguste obovata, 2—$2^1/_2$ lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata, dorso 5-juga, ala marginali angusta.

Varietas memorabilis (propterea, quod contra sectiones *Peucedani* stabilitas pugnet) est: β. *macropterum*, mericarpiis late ovalibus, $1^3/_4$—2 lin. latis, dorso 3-jugis, ala marginali lata cinctis. Petropoli (Kühlewein!). Videtur *Thysselinum Rivini* tab. 19 et *Th. angustifolium* Rchb. 1832 (non Rivin.) propter „fructus lenticulares suborbiculares". Vidi etiam e gubern. Twer in herb. M. Bieberst! s. n. *Selinum Schiwerekii*, at Besser 1809 et 1822 in descriptione sua fructus non tangit. Forte in *Thysselino*, ut in *Anetho graveolente* experimentis didici, seminum figura diversis generationibus inconstans.

Ad fossas et lacus, in fruticetis humidis et sylvis paludosis, pratis turfosis, hinc inde copiose per totam Ingriam. Floret Jul. et Aug.; fruct. mat. a fine Aug. v. prius; med. Sept. cum flor. ultimis et fruct. partim delapsis. ♂, sec. Ledeb. ♃.

Hist. spec. J. G. Gmelin in mss. 1733, n. 76 inter Petropolin et Nowgorod m. Aug. florentem et semina ferentem legisse affirmat: *Foeniculum sylvestre perenne, Ferulae folio breviore* Tournef. p. 311, quod Linné ad *Seseli montanum* citat; at forsam nil aliud vidit, quam *Thysselinum palustre* secus itinera in fossis vulgare, cui icon Lobelii a Tournef. citata non absimilis. Circa Petropolin (Falk ex Georgi 1790, p. 62, n. 178, s. *Selino palustri* L.); in paludibus Catharinhofii aliisque frequens est (Sobol. Petrop. 1799, p. 67, n. 193; ed. ross. I, 1801, p. 211, n. 203 s. *Selino pal.* L.); in sylvis et fruticetis humidis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 133 s. *Selino*); ad rivulos et canales uti: ad viam Pargolensem, prope Malinowkam et fabricam pyriam Ochtensem etc. (Turcz! 1825, n. 191 s. *Thyss. pal.* Hoffm.); in locis turfosis humidis et in paludosis sylvaticis, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 30, n. 202, s. *Peucedano pal.* Mönch, citat formam majorem et minorem). Addenda

praeterea sunt loca quaedam *Selini sylvestris* Auct. Fl. Petr. sub *Cnidio venoso.*

CXXXVI. ELAPHOBOSCUM.

Ἐλαφόβοσκον Diosc. et Plinii i. e. cervi pabulum, quo serpentum morsibus resistere fama est, Dioscoride et Plinio auctoribus, testante Dodonaeo nec non recentissimo indagatore plantarum classicarum, Fraas, est *Elaphoboscum* Tabern. 1590!, Clus! 1583 (p. 703 in descr.), Durante 1585!, Dodon. 1553, Lacuna 1552, et Tragus 1552! sive *Pastinaca sativa* L. (non Lobel. et Fuchs), sive genus *Pastinaca* Tournef. et Riv. (non C. Bauh.), sive *Pastinaca latifolia* C. Bauh., sive *Pastinaca* Trag. Anguill. Caesalp. Thal. Plurimi patres vero sub *Pastinaca* etiam *Carotam* intellexerunt, aliqui exclusive. Et revera *Pastinacam* Romanorum exclusive *Carotam* fuisse, gravissimi testes sunt, quos sub *Carotae* consideratione invenies. Dioscorides *Elaphobosci* flores subluteos et radicem simplicem describit; hoc minime quadrat ad *Sium Sisarum* L., quod flores albos et radicem tuberoso-fasciculatam habet, quare etiam rejicienda opinio Caesalpini et Columnae, qui *Sisarum* pro *Elaphobosco* sumunt. *Pastinacam* Linnaei et Tragi longe distare ab *Elaphobosco* veterum et potius eandem esse plantam ac σίσαρον Diosc. seu *Siser* Plin. et Columellae opinio est Endlicheri, non video in quo fundata; descriptio enim *Elaphobosci* apud Dioscoridem satis apta est et contrarium potius probat, quod Endlicher affirmat. Σίσαρον Diosc. (quasi aliud σάκχαρον) nimis obiter memoratum et *Siser* (ſüße?) referente Plinio est illa planta „quam Tiberius Augustus quotannis e Germania flagitavit (ubi et nunc *Sisarum* colitur), ubi praecipua generositas circa castellum Gelduba Rheno impositum (hodie Gelb pagus prope Uerdingen), ex quo apparet frigidis locis convenire“. *Siser* hoc pro *Sio Sisaro* L. jam Tragus et omnes fere patres agnoverunt. De his confer etiam Fraas et fusius Bo-

daeum a Stapel. Plinius praecipue XX, 5, obscurus varia commutare videtur.

276. *E. sativum* Tabern. 1590 fig. opt! plantae cultae = *Pastinaca sativa* Trag. 1552! Matth. 1554 fig. bona! et nonn. patr. (culta); Linné vero hoc nomine plantam sylvestrem intelligit et cultam sub β, an lapsu calami? = *Sisarum sativum magnum* Fuchs 1542, p. 750, fig. opt! pl. cultae (*Sium Sisarum* L. sub *Sisere sativo primo* ibid.).

Caulis angulato-sulcatus, inferne glaberrimus. Folia simpliciter pinnata, pinnis terminalibus trilobis. Involucrum et involucellum nullum. Flores lutei. Mericarpia ovalia, 2 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata, flava; commissura bivittata. Saepe distingui potest:

α) *typicum;* pinnis magnis late ovatis, lateralibus trilobis v. inferioribus ad basin usque fissis, grosse crenato-dentatis, subtus glabriusculis. Plantae cultae radix succulenta, dulcis, edulis; efferatae lignosa amaricans.

β) *sylvestre* = *E. erraticum* Tabern. 1590, fig. bona! = *Past. sylvestris* Trag. 1552 e descr! = *Siser sylvestre* Fuchs 1542, p. 753, fig. opt!; pinnis ovato-oblongis subintegris, margine inaequaliter serratis, subtus dense pubescentibus. Per formas intermedias in α transit. Licet haec forma mater sativae esse videatur, tamen sativa sponte disseminata, observ. Fries, glabra et dulcis persistit, nec recedit ad sylvestrem.

Colitur et efferascit in hortis oleraceis, fimetosis et ruderatis, circa pagos et urbes; praeterea quasi sponte et fere ubique in agris neglectis, inter segetes, secus vias occurrit; nec non β. vere sylvestre in siccis sterilibus lapidosis praecipue calcareis declivibus v. g. in montibus Duderovii cum α, Arbonje et Jermolino, Lissino, Gorodetz, ad lacum Tscheremenetz, ad ripas Narowae infra cataractam. Floret ab initio ad finem Julii v. raro serius; fruct. mat. fine Aug. et init. Sept. ♂.

Hist. spec. Circa urbem Narwam! in sylvis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 45 s. *Past. sat.* L. ut omnes seqq.);

Petropoli circa fossas viarum atque in hortis oleraceis copiose, nec non ad pagos circa montem Duderovium! (Sobol. Petr. 1799, p. 73, n. 209), prope Crasnoje Selo et Pargelovium (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 230, n. 220); ad pagos (Weinm. Pawl. 1824, p. 142); ad margines viae Peterhofianae et ad m. Duderhof etc. (Turcz. 1825, n. 203); abundat in ruderatis et ad pagos, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 30, n. 201).

CXXXVII. HERACLEUM, melius SPHONDYLIUM.

Sphondylium Tournefortio et Rivino genus, C. Bauhino 1623 titulus genericus purus, 4 species continens. *Sphondylium* Matth. Gesner, Caesalp. Dodon. Tabern. sive *Spondylium* (ut Plinius scribit) Pena et Lobelius 1570, Dodon. est *Heracleum Sphondylium* L. Cel. Fraas testatur, hoc quoque esse σφονδύλιον Dioscoridis (in aliis codicibus σπονδύλιον), nec non πάνακες ἡράκλειον Theophr., non vero Dioscoridis, quod pro *Ferula Opopanace* declarat; monendum vero, a Theophrasto et Plinio floribus luteis describi et *Sphondylion* in opacis proveniens ab eo distingui foliis minoribus *Platani* (non *Ficus*) divisura; *Sphondylium* Dioscoridis vero foliis *Platani*, floribus albis et statura majori, statione palustri et aquosa. *Spondylion* sic dictum fortasse ob odoris gravitatem, a *Spondyle* insecti genere odoris similis, ut Pena credit. Quare ad evitandam homonymiam hoc nomen exclusit Linnaeus et ejus loco posuit *Heracleum* (Plin.), cum *Panax* titulus antiquis et patribus collectivus sit pro pluribus Umbelliferis. *Herculeum panaces* dicitur, vel quod instar Herculis, monstrorum domitoris, haec herba malorum et morborum domitrix sit; vel quod *Heracleum* ab Hercule inventum tradant, ut Plinius scribit; vel ab Hippocratis patre Heracle, ob aliquam forte in medicina singularem ab eo detectum usum, ut Linnaeus putat; vel denique quod herculeum sive comitialem debellet morbum, ad quem efficax esse Theophrastus

scribit. Genus *Heracleum* L. a Hoffmann 1814 et Besser in 2 genera dispartitum fuit: *Heracleum*, flosculis aequalibus et *Sphondylium*, flosculis marginalibus radiantibus, potissimum diversa. *H. Panaces*, sola species, quae antiquum *Heracleum* apud patres, Plinium et Theophrastum memoratum esse deberet, a Linnaeo 1748 floribus radiantibus ad specimen Sibiricum describitur, 1774 vero floribus uniformibus (ad specim. ex Apeninis?), hoc igitur pro typo *Heraclei* et *H. Sphondylium* L. pro typo *Sphondylii* intelligendum esset; recentiores tamen tantum subgenere distincta admittunt. Melius sane fuisset, nomen et genus *Sphondylium* bene stabilitum, cum Haller, Adanson, Scopoli, Gärtner, Mönch aliisque intactum relinquere.

277. *H. sibiricum* L. 1753! M. Bieberst. = *Sphondylium conforme* Mönch 1794! = *Pastinaca* n. 30 Gmelin Sibir. 1747, tab. 50 opt!; a Linnaeo 1762 citatur.

Caulis, rami, vaginae, petioli cum diramificationibus hirsuti, pilis canis inferioribus praecipue retroversis (in *Elaphobosco* hae partes glabrae v. minute pubescentes). Folia simpliciter pinnata; pinnae variae (in typica forma lato-cordatae palmatilobae), inferiores petiolulatae, subtus ad nervos vel in parenchymate scabro-hirsutae; pinnae in toto folio 5 (ut Linné et Besser pro *H. sibirico* poscunt) vel 3 (*H. flavescens* Besser). Involucra oligophylla; involucella polyphylla, foliolis brevibus lanceolatis. Petala subaequalia, flavo-viridia. Germina cum fructibus glabra. Mericarpia stramineo-flava, vittis fuscis lineata (dorsalibus 4, commiss. 2), ovalia v. subrotunda, 3 lin. longa, 2 lin. lata; at variant in aliis specim. β. *obovata*, 4 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata; haec in planta augustifolia (e Lissino); an *H. longifolium* Rchb. 1832? aut forte *flavescens angustifolium* Rchb? — γ. *obcordata* et basi magis attenuata, 4 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, in eadem umbella cum minoribus dimensionum normalium; an *H. flavescens* Rchb? aut potius *H. sibiricum* var. altera

Besser in R. S. 1820!; nequaquam *H. barbatum* Ledeb. quod albiflorum.

Quoad figuram foliorum variat: β. *angustifolium* = *H. flavescens* Besser 1809! Baumg. 1816 (et etiam Willd. 1797 teste citato Jacq. tab. 173, at false corollis radiantibus descriptum) = *H. angustifolium* Jacq. 1774, tab. 173 opt! (non Jacq. 1762, neque L.). Pinnae profundius laciniatae, laciniis angustioribus, lanceolatis. Ex hac forma sensim abit in γ. *longifolium*, si laciniae lineari-lanceolatae magis (ad $^1/_2$ ped. usque) elongantur et in pinnas trijugas cum impari in singulo folio colliguntur. *H. longifolium* Jacq. 1774 tab. 174 exacte habitum nostrae exprimit, sed propter flores albos radiatos specie differt.

In graminosis, secus vias et fossas, in pascuis, pratis et hortis, ubique sat copiose. Floret a medio Junio ad Sept. et imo in medium Octobris; fruct. mat. a fine Julii v. initio Aug. ♂.

Hist. spec. In insula, cui a Petro nomen est, d. 2 Julii florentem legi (Krasch. Index mss. 1749, n. 209 et Codex mss. 1754, n. 63 ex syn. Gmelini optime definivit!; posthac vero Krasch. ipsa manu in *H. Sphondylium* L. immutavit et sub n. 103 in Codice iterum enumeravit); circa Petropolin et Jamburg! (Boeber ex Georgi 1790, p. 62, n. 184 sub *H. angustifolio* L., quod vix erat); in monte Pulcovo et Duderovo! et in aliis locis montosis herbosis (Sobol. Petrop. 1799, p. 69, n. 199; ed. ross. I, 1801, p. 216, n. 209 sub *H. angustifolio* Jacq.); Petrop. (M. Bieb. herb! ex a. 1817 s. n. *H. angustifolium*); in herbosis elevatioribus frequens, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 136 s. *H. angustif.* L.); in locis graminosis vulgatissime (Weinm. Pawl. 1824, p. 136 s. *H. sibirico* L.); ad viam Peterhofianam (Turcz. 1825, n. 193 et 194 s. *H. sibirico* et *angustifolio* L.); in herbosis vulgatissime, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 30, n. 200 s. n. *H. flavescens* Baumg. 3 formae: a) vulgare, b) vulg. minus, c) angustum et var. β. *angustifolium* Jacq.).

Obs. 1. ***H. Sphondylium*** L. in insula Newae fl.

cui a Petro nomen est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 42; prius in Cod. mss. pro *H. sibirico* habuit; conf. supra); Koirowa (Falk ex Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764); in montosis nemoribus et ubique in hortis (Sobol. Petrop. 1799, p. 69, n. 198; ed. ross. I, 1801, p. 215, n. 208); Petropoli Longmire 1823, p. 193). H. Mertens jam in mss. 1823, plantam Sobol. pro *H. sibirico* L. habuit; idem de Gorteriana dictum in Diatr. 1845, p. 53. Statio Petrop. igitur in Ledeb. Fl. Ross. delenda. Genuinum *H. Sphondylium* L. floribus albis v. roseis, marginalibus radiantibus e longinquo dignoscitur. At *H. Sphondylium* L. Fl. Suec. pro majori parte ex loco (non ex descriptione) est *H. sibiricum*, ut Fries monuit, unde examinatis speciminibus flosculos uniformes dixit 1774.

Obs. 2. *H. angustifolium* (floribus viridibus) L. Mant. I, 1767 (non Jacq. 1762), cujus specc. Upsaliensia in Fries Hb. norm. IV, 29 exhibita exstant, ab omnibus formis *H. sibirici* angustifoliis et longifoliis Ingricis diversum est : foliolis exactissime linearibus integerrimis, nullibi ultra 2 lin. latis.

Obs. 3. *H. austriacum* L. ex Ingria (Georgi 1800, p. 849, n. 7) ad fabulas pertinet.

(CXXXVIII.) CAROTA.

Δαῦκος Theophrasti est *Lophotaenia aurea* Grieseb. teste Fraas; in antiquissima versione apud Gaza *Pastinaca* interpretatur, unde tanta confusio jam apud patres exorta est. *Pastinacam* et *δαῦκος* idem esse, nullibi evidenter probari potest; error Gazae sequenti modo ortus est. Δαῦκος Dioscoridi genera tria: 1) cretica = *Athamanta cretensis* forte; 2) *Apio sylvestri* similis = *Peucedanum Cervaria* sec. Sprengel; 3) foliis *Coriandri* = *Ammi majus* s. Fraas. His vero 4tam) addidit Diocles, nempe σταφυλῖνον; sed hoc nequaquam *Dauci* generis primitivi erat, ut facile intelligendum. *Pastinacae* vero genera 4 dari, Plinius scribit; unum genus inquit, *agreste*, sponte provenit et graece *Staphylinus*

dicitur; alterum etc.; est et quartum genus in eadem similitudine *Pastinacae*, quam nostri *Gallicam* vocant, Graeci vero *Daucon*. Ex hoc quarto genere spurio Gaza *Daucum* pro *Pastinaca* habuit. Σταφυλῖνος ἄγριος Theophr. et Diosc. est *Daucus Carota* α. L. (Fraas addit *D. guttatum* Sibth.); a Romanis *Carotam*, *Pastinacam erraticam* s. *rusticam* appellari, sunt testes varii scriptores graeci: Hesychius, Neophytus, Auctor Auctuarii et Athenaeus ex Diphili auctoritate, nec non inverse Columella XI, 4: tum *agrestis Pastinaca* et ejusdem nominis *edomita*, quam Graeci σταφυλῖνον vocant. *Staphylinum sylvestrem* Dioscorides expressis verbis describit „floribus candidis, in umbellae medio exiguum quoddam, colore purpureo et fere ad croceum inclinante"; etiam *hortensem* (κηπευτώς) meminit cibo aptiorem. *Staphylinus* antiquissimis Graecis κὲρας, Doris κάρας erat, inde Romanis *Cara* et *Carota*. Radix illa creditur, qua exercitus Julii Caesaris ad dies aliquot nutritus fuit, quam J. Càesar (de bello civili c. III) „*Chara*" scripsit. Ex his colligi potest, *Daucum Carota* L. certissime idem fuisse ac *Carota* Romanorum et *Staphylinus* Graecorum, *Pastinacam* vero testibus auctoribus gravissimis eandem plantam et diversam a planta Tragi et hodierna; *Daucos* vero Theophr. et Diosc. absolute diversos ab his. Quare recte sub titulo generico *Pastinaca* C. Bauhinus *Carotam* intellexit et *Pastinacas latifolias* longe separavit; at cum hoc nomen nimis ambiguum factum sit et *Daucus* Dodon. 1553, Pena et Lobel. Thal. Clus. 1601 sive genus *Daucus* Tournef. et Linné minime genuinus sit: aut *Staphylinus* Trag. Dodon. 1553, Caesalp. et genus Rivini tab. 28 (non Zoolog.), aut *Carota* Italorum, Matth. 1554 fig. opt! Guiland. Caesalp. Camer. Dalech. Durante sive *Carotta* Pena et Lobel., Camer., ut nomen numquam anceps pro planta typica ubique culta et notissima praefertur. *Pastinaca* dictum volunt a pascendo, quia corpus alit, quia radix ejus praecipuus pastus hominis sit, alii quod radix pastinum (ferramentum) una furca referat,

unde etiam piscis (*Raja Pastinaca* L.) nomen accepit. Σταφυλῖνος dicta videtur nonnullis a colore radicis violaceo in varietate culta *Carotae*, uvae (σταφυλή) simili.

(278.) *C. sylvestris* Lobel. 1576 c. fig! = *Daucus Carota* α. Linné = *Staphylinus sylvestris* Trag. 1552! = *Pastinaca sylvestris* Fuchs 1542 in descr!, Matth. 1554 fig. bona!, Camer., J. Bauh. = *Past. erratica* Plin., Apulej., Apic.; Fuchs 1542 fig. bona!, Cord., Tabern. 1590 fig. bona! Reliqua synn. antiq. vide supra.

Caulis hispidus. Folia bipinnata; pinnulis pinnatisectis, lacinulis lanceolatis cuspidatis. Foliola involucri polyphylla pinnata setacea rigide reflexa, involucellorum plerumque trifida umbellulam subaequantia.

In ripa esthonica fl. Narowa infra cataractam usque ad urbem Narwa, in pascuis apricis elevatis sat copiose (R. in Bull. Acad. 1854, p. 215; Mélang. p. 82 s. *D. Carota*). Medio Jul. floret. ♂.

Hist. spec. In sylvis circa urbem Narwa frequens (Krasch. Codex mss. n. 89! ed. Gorter 1761, p. 41; Sobol. Petr. 1799, p. 65, n. 190 ex Gorter; uterque s. *Dauco Carota* L. ut seqq.); Ingria (Georgi 1800, p. 840, n. 1, ex Gorter); in fruticetis pr. Jamburg et Gatschina (Weinm. Pawl. 1824, p. 132, sed 1837 omissa).

Obs. *Carota sativa* Lobel. 1576 c. fig! = *Pastinaca sativa* Fuchs 1542! Lob., Tabern. fig! = *Daucus Carota* β. et γ. Linné, quae in hortis ad usum culinarem colitur, profecto pertinet ad speciem (a *C. sylvestri*) diversam et rectius forte censenda veluti varietas *D. maximi* Desf. Ita Bertoloni 1837.

(CXXXIX.) TORILIS.

Genus *Torilis* ab Adanson 1763 ex *Tordylio Anthrisco* L. formatum est, cui *Caucalin leptophyllam* L. addidit. Gärtner 1788! et Mönch 1794! quasdam species spurias immiscuerunt. Gmelin tandem 1806 generis reformati et depurati characteres exhibuit. Origo no-

minis, more Adansoniano, fortuita et ignota, forsan a *Tordylio?*

(279.) *T. Anthriscus* Gmelin 1806! (non Gärtner 1788! et Mönch 1794! quae *Scandix Anthriscus* L. sive *Cerefolium Anthriscus*) = *Torilis rubella* Mönch 1794! = *Tordylium Anthriscus* L.! Jacq. tab. 261! = *Anthriscus* quorundam J. Bauh. fontes Boll. 1598 et 1651 c. fig! fide L. et Haller (facile ad *T. helveticam*); non *Anthriscus* Plin., neque Dalech. = *Caucalis* semine aspero flosculis sub-*rubentibus* C. Bauh. 1620 fig. opt! et herb! teste Hagenbach.

Tota planta pilis adpressis hispidis scabra. Rami patentes. Folia obscure virentia, 2—3-pinnatifida, pinnulis omnibus et pinnis superioribus confluentibus. Umbellae longe pedunculatae. Involucrum 2—6 phyllum. Petala alba v. rosea. Aculei fructus subulati incurvi, non glochidiati.

In ripa lapidosa calcarea fl. Wolchow circa cataractas parcius (R. in Bullet. Acad. 1854, p. 221; Mélang. p. 90). Initio Aug. flor. cum fruct. matur. primis. ♂.

CXL. CEREFOLIUM.

Cerefolium s. *Caerefolium*, quod et *Chaerephyllum* Graeci vocant, acerrimum sapore, ignis vim habet, ut Plinius XIX, 8 scribit; conf. Palladius III, 24, X, 13, et Apulejus herb. 104, qui *Cerefolium* scribit. Omnes patres pro *Cerefolio sativo* s. *Scandice Cerefolio* L. habuerunt. Morison 1672! et Rivinus 1699, tab. 43! 44! genus *Cerefolium* proposuerunt ex *Scandice Cerefolio* L. et *Chaerophyllo sylvestri* L. formatum, quod plene respondet generi *Chaerophyllum* Tournef. 1694! Haller 1742! et Mönch 1794! et p. p. C. Bauh., nec non generi *Anthriscus* Persoon 1805! Sprengel 1813 emend. Hoffmann 1814!, sed utrisque antiquius et nomine aptius est. *Anthriscus* (*Scandici* similis) Plinii et Clusii 1601 testante quoque Fraas est *Scandix austra-*

lis L. sive genus *Wylia* Hoffmann 1814!. Videtur ἄνθρίσκος, ἄνθρισκον, ἔνθρισκον Athenaei, Hesychii, Phavorini et forte corruptum ἐνθουσικόν Theophrasti idem esse. Derivatur nomen ab ἀναθρώσκειν, sursum saliendo, exiliendo, quod praecipue in *Scandicum* fructibus maturis a carpophoro solutis ad oculos demonstratur.

280. *C. sylvestre* (Morison 1672!) Rivin. 1699 tab. 44! = *Chaerophyllum sylvestre* (Tourn.) Linné = *Myrrhis sylvestris* seminibus laevibus C. Bauh. 1623 et herb! = *Chaerefolium sylvestre* Trag. 1552 omnino videtur; = *Myrrhis* Fuchs 1542 fig. opt!

Fructibus vel etiam junioribus et involucellis facillime dignoscitur. Caulis glaber, versus basin minutissime scaber. Folia tripinnata; pinnulis ovato-oblongis pinnatifidis, subtus setuloso-pilosis. Involucrum subnullum; involucellum 5-phyllum, foliolis ovatis v. lanceolatis, margine villoso-ciliatis, reflexis, umbellula plerumque brevioribus. Petala radiantia. Fructus oblongi, laeves vel sparse tuberculati, tuberculis non hispidis, 3 lin., fuscovirentes, subtilissime punctulati, apice quasi in rostrum breve attenuati; variant paulo majores $3^1/_2$ lin. et in specc. macris 2—$2^1/_2$ lin. Ludit etiam foliis majoribus v. minoribus, pinnis angustissimis v. latissimis.

In umbrosis hortorum, ad sepes, in fruticetis, sylvis humidis, ubique maxima copia. Floret a fine Maji v. init. Junii in serum autumnum (20 Octobr.); fruct. mat. a med. Jul.; at in campis siccioribus, ubi rarius occurrit, fine Julii exsiccatum. ♃.

Hist. spec. Forte jam Amman in mss. post a. 1736 habuit s. n. *Myrrhis sylvestris* seminibus glabris non striatis, circa Duderhoff! et Krasnoe Selo, m. Junio repertum. Petropoli in pratis humidis frequens (Gmel. Sibir. I, 1747, p. 210, n. 26 sub *Chaerophyllo* seminibus nitidis scabris); in sylvis et pratis passim, sed non magna copia (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 44 s. *Chaerophyllo sylv.* L. ut seqq.); in sylvis insulae lapideae!, apothecariae! et ubique in hortis copiosissime (Sobol. Petr. 1799,

p. 72, n. 206; ed. ross. I, 1801, p. 227, n. 217); ubique in graminosis siccis (Weinm. Pawl. 1824, p. 141); ubique (Turcz. 1825, n. 201, s. *Anthrisco sylv.* Hoffm. ut seq.); in graminosis, ruderatis, sylvis, ubique, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 38, n. 218).

⚹ *Cerefolium sativum* Morison 1672!, Besser = *Scandix Cerefolium* = L. *Chaerophyllum Cerefolium* Mönch 1794! = *Chaerophyllum sativum* C. Bauh! et plur. patr. Gärtn. Lam. = *Cerefolium vulgare* Gerard 1597 (ex C. Bauh.) = *Chaerefolium sativum* Trag. 1552. c. fig! = *Cerefolium.* Dorsten. 1540! Rivin. tab. 43! Petropoli in ruderibus et hortis oleraceis desertis copiosum, nullibi tamen vere indigenum (R. Symb. 1846, p. 229 s. *Anthr. Ceref.*). Planta annua, ex odore seminum et herbae cuilibet nota.

(CXLI.) CHAEROPHYLLUM,

quasi χαιρέφυλλον nominari putatur, quod luxuriosa foliorum foecundate gaudeat. Columella X, 110, XI, 3 *Chaerophyllum* s. *Chaerephyllon* s. *Chaerephylum* habet, quod an *Caerefolium* Plinii sit, propter brevitatem verborum asserere non licet. Ex etymologia omnino idem esse deberet ac *Cerefolium. Chaerophyllum* C. Bauh. 1623 ex parte propter *Ch. sylvestre* C. Bauh. = *Ch. temulum* L. fundamentum sistit generis *Chaerophylli* apud Linnaeum sat quidem puri, sed diversi a Tournefortiano. Hoffmann 1814 (aut potius Haller 1742 ad exemplum Tournefortii) genus paulo reformavit, *Ch. sylvestre* L. quidpiam anomalum elidens, ita ut *Chaerophylli* character genericus, jam a Tournef. propositus, Linnaeo omnino ignotus fuerit. Tali modo limitatum, fere refert genus *Myrrhis* Tournef. 1694!, Haller 1742! Sprengel 1813!; sed nomen hoc juste translatum est ad *M. odoratam*, quam Bertoloni 1837 a ceteris speciebus generice non diversam censet, quod si ita aliis videbitur, genus et nomen *Myrrhis* absolute praeferendum erit *Chaerophyllo* Hoffmanni.

(281.) *Ch. aromaticum* L. = *Myrrhis aromatica* Spreng. 1813! = *Myrrhis Podagrariae folio* Rivin. 1699 tab. 53! = *Cerefolium* rugoso *Angelicae* folio *aromaticum* Boccone 1697, tab. 19! testante quoque Bertol., qui ex eodem fere loco vidit = *Angelica sylvestris hirsuta inodora* C. Bauh. 1620!, at describit radicem odore medicato; habuit e Lusatia a Franco, qui 1594 s. n. herba *Podagrariae* cognata meminit.

Caulis sub geniculis tumidus, plerumque hispidus et maculatus. Folia *Podagrariae* v. *Angelicae sylvestris*, sed utrinque pl. min. dense hirsuta. Involucella late lanceolata margine ciliata. Styli demum $^1/_2$ lin. longi. Mericarpia oblongo-linearia, 4 lin. longa.

Inter pagos Varoneschscaia (müsa : in Codice) et Novaburia ad marginem sylvae (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 45 ; in Codice Krasch. additum : 5 Aug. fruct. nondum maturis lect.; Sobol. Petr. 1799, p. 72, n. 207 et Georgi 1800 p. 856 cit. Gorter); ipse in loco priori Krascheninnikowii, nempe circa pagum Woronina circuli Oranienbaumensis, ubi vulgatissimum videtur, legi; exstat in herb. Petrop. Kastalskiano, sed sine loco speciali (R. Diatr. Petr. 1845, p. 54, 16). Ceterum per Ingriam sat frequens et copiose in collibus graminosis apricis, in declivibus ad ripas, circa fruticeta: Gorodetz, ad lacum Tscheremenetz pr. Konóserje, circa Soltza ad limites gubernii Pskow, ad fl. Pljussa pr. Poljá, nec non ad cataractas fl. Wolchow. Circa Petropolin vero ubique desideratur, quod in Ledeb. Fl. Ross. corrigendum. Floret ab initio vel medio Julio; ab init. Aug. vel serius fructibus mat. ♃.

CXLII. CONIUM.

Κώνειον Theophr. et Diosc., latine *Cicuta* (Plin. Horat. al.), in Albania hodie κιρκοῦτα (Fraas), omnino planta est, de qua Fuchs 1542 sub §. *Conio* agit sive *Conium maculatum* L. Ita forte dicitur ab effectu veneni, quia animalia intoxicata in gyrum circumagat (κω-

νάω); vel a circumvertendo: quod vertiginem inducat iis, qui eam biberunt, vel quod oculi vertantur in orbem, ut Nicander observavit, qui symptomata intoxicationis perbelle decantavit. Theophrastus narrat, Thrasiam Mantinensem venenum quoddam comperisse, quod sine dolore inferre posset obitum et succum *Cicutae* et *Papaveris* fuisse credit; refert etiam, quo modo Chii *Cicutam* praeparent, ut celeriter enecet; optimam *Cicutam* Susis Parthorum adferri scribit. Vinum quidem antidotum *Cicutae* fatetur Plinius (Dioscorides quoque), sed in vino potam immedicabile esse venenum affirmat, quod etiam ex Plutarcho probatur. Haec planta etiam est *Cicuta* omnium patrum a Fuchsio usque ad Rivinum, qui ex eo genus *Cicuta* tab. 75! constituit, quod Haller, Adanson et Lamarck contra Linnaeum defenderunt.

282. *C. maculatum* L., Hayne I, tab. 31! = *Cicuta domestica* Morison 1672! = *Cicuta* veteribus et neotericis J. Bauh. 1651! = *Cicuta vera* Gesner 1561! = *Cicuta* Plin. et omnium fere patrum, Fuchs 1542 fig. opt! Dodon. 1574 fig. bona! = κώνειον Theophr. et Diosc. cum descr!

Caulis erectus, robustus, elatus, fistulosus, leviter pruinosus, sanguineo-maculatus! glaber. Folia fere *Cerefolii sylvestris*, sed foliola subtus glaberrima. Involucri et involucelli 3—5 phylli foliolae breves, ovatae. Fructus crassi, ovati, $1^1/_2$ lin., a latere compressi, cinerei (*Aniso* similes, sed candidiores: Diosc.).

In solo pingui, locis juxta domicilia squalidis, in neglectis hortorum areis, secus vias, in ruderibus, circa Petrop. et in ipsa urbe pluribus locis, tamen rarius magna copia; ceterum similibus locis rarius in Ingria v. g. circa Sholtscha et Gdow parce, copiosius pr. Narwa. Floret a fine Junii v. initio Julii; init. Aug. plerumque defloratum; fine Aug. et init. Sept. fruct. mat. optimis. ♂.

Hist. spec. Petropoli ad sepes, floret et sem. perficit Jul. et Jul. (Amman mss. 1734, n. 21 ex syn. Dodon.

C. et J. Bauh.; nimis praematurum ideoque suspectum); passim in paludosis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 41; propter locum suspicari licet *Conioselinum*, ut apud Sobol.); in sylva paludosa, umbrosa insulae apothecariae, prope fabricam pyriam et passim in locis similibus (Sobol. Petrop. 1799, p. 66, n. 191), nec non in monte Pulcovo, ad viam Peterhofianam (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 208, n. 201); Petrop. (Longmire 1823, p. 193; Mertens mss. 1823, qui heic fere primus *Conioselinum* distinxit); in ruderatis circa Petrop. fl. Jun. Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824 p. 133, prima indicatio fida; idem Petrop. 1837, p. 33, n. 219); prope Katharinhof! ex Nippa, ad fl. Tschornaja, prope Krasnoi Kabak! ex Monin, pr. Antelewa ex Prescott (Turcz! 1825, n. 199).

Fam. XLII. CORNEAE.

Char. Flores regulares, symmetrici, perfecti vel abortu imperfecti, isostemones, tetrameri, anisomeri. Cal. tubus cum ovario connatus, limbus 4-dentatus. Petala 4, margini calycis inserta, sepalis alterna, decidua, aestivatione valvata. Stam. 4 cum petalis inserta iisque alterna. Stylus simplex, subclavatus; stigma capitatum. Ovar. 2-, rarius 3-loculare; loculis 1-ovulatis, ovulis pendulis. Drupae distinctae vel (in *Benthamia*) in syncarpium coalitae; putamen osseum, 2- v. 3-, interdum abortu 1-loculare. Semina pendula; embryo in axi albuminis situs ejusdem fere longitudinis; cotyledones subfoliaceae; radicula brevis supera. — Arbores vel frutices, rarius (in §. *Chamaepericlymenis*) herbae trunco subterraneo pe-

renni. Folia opposita v. rarissime alterna, simplicia, exstipulata. Flores capitati v. umbellati, involucro colorato saepe cincti, rarius corymbosi exinvolucrati.

Affinitas. *Corneae Caprifoliaceis* gamopetalis simillimae et diu cum iis conjunctae, transitum Calyciflorarum polypetalarum ad monopetalas efficiunt. *Umbelliferis* tantum mediantibus *Araliaceis*, a quibus fructu nucamentaceo differunt, accedunt.

Qualit. et usus. Cortex plurium adstringens principium extractivum peculiare (*Corniinam*) continet, cui virtus febrifuga adscribenda. Nonnullarum fructus acidulo - dulces comeduntur, aliarum semina oleosa sunt. Lignum plerumque durum et tenax. *Corni suecicae* drupae dulces et aquosae; Fennones Ingrici, referente Buxbaum baccas siccatas et in pulverem contusas in morbis nephriticis adhibent, decoctum foliorum adversus febres intermittentes.

CXLIII. CORNUS.

Cornus Virgil. Plin. Colum. Lucret. est *Cornus mas* L. = κρανεῖα Homer. Theophr. = κρανιὰ Diosc. Nomen latinum habet, quod duritie et rigiditate cornubus similes ramos ferat; eadem fere de causa etiam Graecis, quod instar cranii duri sint rami; propter hanc soliditatem ex *Corni* ligno sagittas fecere veteres. Θηλυκρανεῖα Theophr. = *Cornus foemina* Plin. = *C. sanguinea* L. usque ad Livoniam et Esthoniam propagata, in Ingria nondum reperta est.

Char. generis ut familiae.

283. *C. suecica* L. 1753; quare non *C. prutenicam* dixit ad analogiam *Laserpitii?* = *C. borealis* Gorter

1761 = *C. herbacea* L. Fl. Lapp. 1737 cum monographia et tab. 5 fig. 3 bona!; Fl. Suec. 1745 = *C. pumila herbacea, Chamaepericlymenum* dicta Dillen. 1732, tab. 91 opt! = *Chamaepericlymenum prutenicum* Clus. 1583 fig. opt! plantae fructif. quam a Th. Pennaeo accepit s. n. *Chamaeper.* e Prutenia circa Dantiscum, Norwegia et Suecia, ubi in maritimis copiose; florentem Clus. describit 1601!

Rhizoma (caulis subterraneus) ramosum. Caules (rami) digitales vel fere pedales, herbacei, simplices sub apice florifero in ramulos duos oppositos soluti. Folia omnia opposita sessilia ovata v. elliptica, 5—7 nervia. Umbella pedunculata, involucro tetraphyllo carneo-albido $^3/_4$ pollicari dimidio brevior. Flores minuti purpurei. Drupae coccineae.

In sylvis et fruticetis ad litus australe sinus Petropolitani fere ubique copiosissime, a Dolgoi Noss ad Krasnaja Gorka (ipse), circa lacum Ishorskoje (Owerin), ins. Kronstadt! Oranienbaum!, Babuilskaja (ipse), Jemeljanowka (Borszczow!), sed non propius ad urbem accedit; in litore boreali pr. Systerbeck (Schychowsky). Floret initio Junii, rarissime usque ad init. Jul.; fruct. mat. fine Julii et m. Aug. ♃.

Hist. spec. Ingria (Buxbaum in Comment. Acad. Petrop. III, 1732, p. 270 s. n. *Periclymenum humile Norvegicum* C. Bauh.); in sylva circa ostium Lugae fluvii (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 24 sub *C. boreali;* Sobol. Petrop. 1799, p. 40, n. 120; ed. ross. I, 1801, p. 141, n. 126); in solo turfoso prope Oranienbaum! (Weinm. Pawl. 1824, p. 71; vidi specc. in herb. M. Bieb. 1817 ibi lecta); ad fabricam pyriam Ochtensem, in ins. Kronstadt et prope Oranienbaum sec. Prescott (Turcz. 1825, n. 111); in pascuis turfosis, subhumidis prope Oranienbaum, Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 19, n. 115).

Subclassis III. Monopetalae s. Synpetalae.

Corolla a calyce distincta, in petala nondum disjuncta.

Fam. XLIII. CAPRIFOLIACEAE.

Char. Frutices, rarius herbae ♃. Folia opposita, plerumque exstipulata. Flores perfecti (exc. *Viburni* spec.). Cal. plerumque perfecte superus, laciniis limbi 5. Corolla non raro irregularis, limbo 5-fido aestivatione imbricato. Stam. tubo corollae inserta et laciniis alterna iisque numero aequalia. Germen 2—5 loculare; ovula ex apice columnae centralis pendula, anatropa. Fructus baccatus v. drupaceus, sarcocarpio succoso, carnoso v. sicco, 2—5 locularis vel septis evanidis 1 locularis. Semina in baccatis dura, in drupaceis endocarpio osseo v. firmo inclusa. Embryo in axi albuminis rectus; radicula supera.

Affinitas proxima cum *Rubiaceis*, praesertim generum Trib. II, potissimum flore 5-mero et foliis exstipulatis diversorum. *Sambuceae* corolla profundius partita et foliis interdum pinnatisectis ad *Corneas*, *Araliaceas* et *Umbelliferas* accedunt, mediante *Viburno* ad *Hydrangeam* et *Saxifragaceas;* aliqua etiam adest similitudo *Moschatellae* cum *Chrysosplenio* propter flores heteromor-

Jun. 1855.

phos et calycem semisuperum. *Sambuceae* cel^{o}. Fries sunt *Valerianaceae* sarcocarpicae.

Qualitates et usus affinitati cum *Rubiaceis* respondent, quod ex odore florum, nec non e substantiis amaris, adstringentibus et emeticis inclarescit. *Sambucus vulgaris* et *racemosa* odore herbae gravi, inamoeno excellit; sapor amaro-acris; flores graveolentes mucoso-amari, frequentissime ad diaphoresin excitandam in infuso adhibentur; baccae acidulo-dulces, edules, majori quantitate alvum laxant; semina oleosa vehementius purgant. *Opuli* baccae saporis ingrati cum saccharo coctae Scrofulosis utilissimae creduntur. Fructus *Xylostei* alvum laxant; oleum empyreumaticum ex ligno combusto obtentum, referente Georgio (1790, p. 61) medicamentum usitatissimum internum et externum incolarum Ingriae. *Linnaeae* herba amara, diaphoretica et diuretica; flores praecipue vespere odori.

Conspectus generum indigenorum.

Trib. I. SAMBUCEAE.

Corolla rotata. Styli 3—5, interdum brevissimi.

CXLIV. MOSCHATELLA. Flos terminalis 4-merus (unde Linnaeo ad Octandriam Tetragyniam); laterales 5-meri: Cal. 3- (rarissime 5-) partitus, in fructu semisuperus. Cor. limbo 5-partito. Stam. 10, per paria approximata, antheris 1-locularibus (stamina juvenilia 5, filamentis bipartitis). Styli 5. Germen 5-loculare, loculis uniovulatis. Bacca drupacea, 3—5 pyrena. — Roeper et Koch affinitatem cum *Sambuco* revelarunt; antehac ad *Araliaceas* posita fuit. Sec. cel. E. Meyer et Fries familia sui juris.

⁜ SAMBUCUS. Cal. 5-dentatus, in fructu superus.

Cor. 5-partita. Stam. 5. Styli brevissimi, subnulli, stigmatibus 3 sessilibus. Germen 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Bacca drupacea 3-pyrena.

CXLV. VIBURNUM. Cal. superus 5-dentatus. Cor. 5-fida. Stam., stigm., germen et loculi ut in *Sambuco*. Bacca drupacea, abortu 1-pyrena. Folia simplicia. — *Opulus* a reliquis *Viburnis* saltem subgenere differt: floribus periphericis umbellae majoribus, sterilibus et semine cordato-rotundato.

Trib. II. PERICLYMENACEAE.

Corolla tubulosa v. campanulata. Stylus filiformis.

CXLVI. PERICLYMENUM. Cor. ringens, bilabiata, 5-fida. Stam. 5 tubo inserta. Stigma capitatum, sub-3-sulcum. Bacca carnosa, trilocularis, loculis oligospermis. Semina in apice columnae centralis affixa, testa crustacea. — Species Ingricae recedunt a *Periclymenis* typicis: pedunculis axillaribus bifloris et ramis non volubilibus atque pertinent ad subgenus *Xylosteum*.

CXLVII. LINNAEA. Cor. turbinato-campanulata, semi 5-fida. Stam. 4 subdidynama, in fundo corollae inserta. Germen inferum, 4-bracteatum, 3-loculare, loculis 2 multiovulatis abortientibus, tertio 1-ovulato fertili. Bacca sicca, abortu monosperma, bracteis 2 adnatis inclusa.

CXLIV. MOSCHATELLA.

Nomen hoc plantulae tenerae indidit Cordus propterea, quod folia ejus odorem Moscho similem spirent, ut ex Gesnero 1561 comperimus, qui in Collectione stirpium sua, 1587 (et forte jam 1553) edita, *Moschatellam* vel etiam *Muscatellam* appellavit; Lobelius et Thalius nomenclaturam hanc agnoverunt; C. Bauhinus 1623 in *Muscatellinam*, J. Bauhinus 1651, Rajus, Tournefort, Ruppius in *Moschatellinam* modifica-

bant. Forte propter *Erinum alpinum*, a Germanis quibusdam *Moschatella* dictum, ut C. Bauhinus ex Dalechampio 1587 colligit et J. Bauhinus 1651 (III, 144) testatur, qui plantam eandem a Gesnero s. n. *Moschatellina alpina* acceptam tradit; sed prioritatis jus in aprico est. Tandem Linnaeus 1737 nomen *Adoxa* substituit, designans plantam paradoxam s. adoxam, systemati sexuali ejus oppugnantem. Sed Haller, Mönch et Scopoli *Moschatellinam* contra innovationem Linnaei jure defenderunt.

284. *M. Cordi* Gesner Collect. 1587 (jam 1553?) p. 123! Thal. 1588! = *Muscatella Cordi* Gesner ibid. p. 91! Lobel. 1581, p. 674 c. fig! = *Moschatella* Cordus 1561 p. 172 c. fig! = *Moschatellina Cordi* J. Bauh. 1651 in descriptione! cum fig. bona = *Adoxa Moschatellina* L. = *Moschatellina Adoxa* Scop. = *Moschatellina tetragona* Mönch 1794! = *Aristolochiae rotundae concavae (Capniti) similis herbula* Trag. 1552, p. 767!

Herba tenella, 2—5 pollicaris. Radix filiformis, albida, squamis remotis alternis dentata (hinc *Denticulata* Dalech. 1587), apice desinens in squamas 2—4 approximatas et incrassatas bulbum mentientes, e quarum axillis exeunt petioli foliorum 1—2 et cauliculus simplicissimus cum foliis 2 oppositis et pedunculo terminali. Folia radicalia biternata, caulina ternata, lobis trifidis. Flores parvi capitati, viriduli, odore Moschi, at non semper insigni.

In umbrosis hortorum, nemorum et sylvarum frondosarum, praecipue declivium, solo pingui, saepe in consortio *Capnitis*, *Chrysosplenii* etc.; copiose circa Petropolin et alibi: Nikolskoje, Lissino, Jamburg, ad lacum Tscheremenetz. Floret toto mense Majo, rarius ad medium Junii usque; post medium Julii, interdum vero ante *Capniten* herba evanescit. ♃.

Hist. spec. In umbrosis subhumidis ad praedium Ill. Comitis Strogonow Mandere dictum, magna copia (Laxmann ex Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764, p. 197

s. n. *Adoxa Moschatellina* L. ut seqq.); ante portam Petropolin spectantem urbis Oranienbaum! (Rudolph ex Georgi 1790); in sylvis subhumidis apricis, uti in insula Kamennoy Noss et in viciniis Sarscoselii (Sobol. Petrop. 1799, p. 93, n.*267; ed. ross. I, 1801, p. 282, n. 279); in sylvis umbrosis humidiusculis (Weinm. Pawl. 1824, p. 190); in pratis elevatis, e. g. in praedio Naryschkin ad viam Peterhofianam, in monte Pulcovo! (Turcz. 1825, n. 262); in sylvis umbrosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 43, n. 283).

⁜ SAMBUCUS.

Sambúcus Plinio et Recent. (ἀκτῆ, ἀκτέα Theophr. Diosc.) seu *Sabucus* Q. Sereno Sam., ut Hermolao et Ruellio videtur, a *sambuca* s. sabuca, musico instrumento et hoc ab auctore, cui nomen Sambyx. Tournefortio genus bene stabilitum, C. Bauhino titulus genericus, sed ut plerisque patribus *Opulo* Ruellii inspurcatus.

⁜ *S. racemosa* (Calceolar. 1566, C. et J. Bauh.) L. = *S. montana racemosa* Lobel. 1581 c. fig! = *S. montana* Matth. 1554! Gesner! = *S. sylvestris* Trag. 1552 c. fig! Dalech. (non Plin.). Panicula ovata. Baccae rubrae. Medulla ramorum fulva. Georgi 1800 (III, p. 865) in Ingria indicat, sed vix spontanea aderit (vide Trautvetter Pflanzen-Geogr. Russ. III, 46); frequentissima certe in hortis Petrop. et interdum efferata. Flor. Jun.; fruct. mat. initio Aug. vel. prius. ♄.

⁜ *S. vulgaris* Trag. 1552! Thal. J. Bauh. Raj. Lamarck = *S. nigra* L. (sed etiam fructus albos et virides interdum habet) = *Sambucus* Plin.! Brunf. Fuchs c. fig! Matth. 1554 c. fig! et pl. patr. Cyma florifera et petiolis glabris, foliis parcissime puberulis, praecipue vero inflorescentia et colore baccarum a *S. racemosa* differt. In ruderibus ad ostia Newae fl. frutices humiliores florentes saltem ex a. 1850 observatae, sine dubio adportatae adsunt 2 formae, angustifolia et latifolia,

corymbi ramis primariis 3—4 natis (non evidenter quinis) et medulla ramorum sordide albo-cinerea (nec candida) a descriptionibus recedentes. Medio Julio flor. et fruct. immaturis. ♄.

CXLV. VIBURNUM.

Nomen a *vieo*, quia ad viendum h. e. ligandum aptum est, unde „lenta *Viburna*" dixit Virgilius Eclog. I, 25. Testibus Strabone et Nemesiano, cujusque virgulti et fruticis nomen generale *Viburnum* est. *Viburnum* Dodonaei 1553! (et omnium Gallorum teste Belloni) est *Clematis Vitalba* L., *Viorna* vulgo dicta, ut Pena et Lobelius referunt. *Viburnum* Matth. Gesneri Camer. Dalech. est *V. Lantana* L. Ab hoc typo *Opulus* Ruellii et Tournefortii genere non differt, monente Linnaeo 1753. An *Opulus* Varronis et Columellae idem frutex aut potius *Acer campestre* sit, dubitari potest. Ruellius opinionem suam in eo fundatam vidit, quod apud illum ruri *Obierus* v. *Opierus* audiat; in Italia inferiori rarius crescit, sed non deest saltem in Fl. Neapolit. et palud. Pontinis.

285. *V. Opulus* L. = *Opulus Ruellii* Vaill. 1727 = *Lycostaphylus* i. e. uva lupina Cord.! 1561 (e vernaculo saxonico, teste Gesner) = *Sambucus aquatica* Trag. 1552 c. fig! Matth. 1565, Tabern. 1590 c. fig! et plur. patr. = *Opulus* Ruell. 1537! ex opinione cl. Fraas etiam Columella V, 6 et Varro I, 8; VII, 7.

Frutex interdum arborescens, ligno albo fragili (hinc non *Viburnum* Virg., ut Fraas credit). Folia acerina, 3—5 loba, subtus (semper in nostra) pubescenti-villosa. Petioli versus apicem glandulosi. Flores albi, exteriores majores radiantes neutri steriles. Baccae rubrae.

In fruticetis et sylvis humidis, ad ripas ubique; copiosissime in regione demissa Petropoli; in elevatis siccioribus calcareis (Duderhof, Arbonje, Bornitzy) saepe

parvifolia. Frondescit fine Maji, floret ab initio ad finem Junii; fruct. mat. fine Julii ad Sept. usque. ♄.

Hist. spec. Ubivis circa Petropolin in sylvis subhumidis et ad ripas fl. Newae! inter *Alnum*, excepta insula Basilii; sylvae etiam circa canalem Ladogensem et fl. Wolchow! eadem abundant (Krasch. ed Gorter 1761, p. 47); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); ubique in sylvis humidis, praecipue ad viam Wiburgensem et circa fabricam pyriam Ochtensem, usque ad fl. Wolchow (Sobol. Petrop. 1799, p. 75, n. 213; ed. ross. I, 1801, p. 235, n. 224); in sylvis et fruticetis humidiusculis ubique frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 145 et Petrop. 1837, p. 33, n. 220); ubique (Turcz! 1825, n. 207).

CXLVI. PERICLYMENUM.

Sic dictum volunt, quod se adminiculis convolvat, hinc monente Bodaeo a Stapel rectius scriberetur περικλίμενον aut περικλινόμενον; sed in omnibus Codicibus Dioscoridis περικλύμενον scribitur. Haec planta (ideoque etiam *Periclymenus* Plinii) est *Lonicera etrusca* Savi, testante Fraas. Verosimiliter propter summitates capreolatas specierum *Periclymeno* typico affinium aut ex vernaculo germanico Geißblatt *Caprifolium* dixit Brunfels, Gesner, Lonicer, Dodonaeus 1574! et alii. Sed mox nomen antiquius et classicum *Periclymenum* restauratum fuit a Trago, Fuchs, Dodon. et plur. patr. C. Bauhinus 1623 genera duo distinxit: *Periclymenum* et *Chamaecerasus* spuria (Cordi, non Plin.). Jam Pena et Lobelius, Clusius, Tabern. Dalechamp *Chamaecerasos* appellarunt *Periclymena;* ideoque jam ante Linnaeum genera varia Tournefortiana: *Caprifolium*, *Periclymenum*, *Chamaecerasus* et *Xylosteum* in unum conjuncta erant. Causa igitur nulla adfuit, cur Linnaeus pro antiquissimo et optime fundato nomine *Periclymenum* illud Lonicero dedicatum substituerit, ut Haller rite observat. E recentioribus Miller, Aiton et Roehling *Periclymenum* ut genus strictiori sensu conservâ-

bant. Alterum quoque obstaculum adest nomenclaturae Linnaeanae. Linnaeus *Loniceram* introducens a. 1737, credidit, genus suum idem esse cum *Lonicerâ* Plumieri 1703 (citat Plum. et *Loranthum* Vaill. 1722) sive *Lorantho americano* L.; deinde in errore hoc mox perspecto perseveravit. Hinc proposita fuit serius *Lonicera* Burmann 1738, quae autem coincidit cum *Halleria (lucida)* Linnaei 1737. Ut genus diversum a *Periclymeno (Caprifolio)* stabilitum fuit a Dodonaeo et agnitum a Miller, Mönch, Michaux aliisque:

§. XYLOSTEUM Dodon. 1583!

quo titulo iterum sectiones duae, a Cordo pro generibus peculiaribus consideratae comprehenduntur; scilicet:

§§. 1. ORCHOCARPUS Cordus! ed. Gesner 1561, p. 301, addenda ad p. 214, 223 „fructu distinctius gemino" (contra Haller) = XYLOSTEON Dodon. 1574! i. e. lignum osseum e vernaculo helvetico Beinholz. Germina didyma (testiculata) distincta vel basi tantum connata.

286. *P. Xylosteum* (L. sub *Lonicera*) = *Xylosteum vulgare* Röhl. = *X. dumetorum* Mönch 1794! = *Pericl. Allobrogum* Pena et Lobel. 1570! s. *Xylosteum Dodonaei* Lobel. 1576 c. fig! (ad formam angustifoliam vergit) = *Xylosteum* Dodon. 1583! c. fig. bona (var. angustifolia) = *Xylosteon* Dodon. Purg. 1574 fig. opt! (formae latifoliae) et omnium prima, unde nomen servavi, licet recentius; = *Xylosteum, Orcheocarpos Cordi*, Camer. 1588! vide supra = *Halimus* (non Diosc.) Trag. 1552 p. 994! ex Alsatia.

Baccae rubrae, geminae, non connatae. Flores albi pedunculos subaequantes. Folia utrinque pubescentia, ovata obtusa (Linné) aut potius ovato-ovalia. Variat β. *angustifolium* fol. plerisque anguste ovali-ellipticis (Lissino et Duderhof cum typico); ludit praeterea pedunculis fructus brevissimis (1—2 lin.), floribus minoribus, foliis

subtus neuropteris. Cortex sordide albus, truncorum profunde rimosus; lignum ab alburno distinctissimum.

In sylvis et fruticetis, humidis vel siccioribus montosis, hinc inde per totam Ingriam: Arbonje, Lissino, Lapuchinka, ad Lugam inferiorem pr. Jamburg et Warjewa, ad cataractas fl. Wolchow et Narowae, sed rarius in reg. demissa circa Petropolin. Floret fine Maji vel initio Junii; fruct. mat. fine Julii v. Aug. ♄.

Hist. spec. Non raro in ripis umbrosis Nevae fl. praesertim Schlüsselburgum versus, ad fl. Volchov! (Krasch. Codex mss. 1752); in sylvis circa Strelnam! magna copia crescit, sed et per totam Ingriam passim (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 35 s. *Lonicera Xylosteum* L. ut seqq.); in sylvis ad fabricam pyriam Ochtensem, circa pagum Murino, Strelna! et passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 56, n. 164; ed. ross. I, 1801, p. 174, n. 170); in sylvis tam humidis, quam siccioribus frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 110); in sylvis ad canalem Ligowkam, ad pagum Goreloy Kabak, in monte Duderhof! (Turcz. 1825, n. 160); in sylvis humidiusculis (Weinm. Petrop. 1837, p. 25, n. 161 cum var. b. fol. margine crispatis); Pulcovo, Zarskoje Selo, Taitz, Gatschina.

Adnot. *P. tataricum* (L. sub *Lonicera;* Dum. Cours. sub *Xylosteo*) Petropoli in hortis communissimum et in sylvis m. Duderhof alibique efferatum (R. Diatr. Petr. 1845, p. 27, 79), occidentem versus non ultra Mosquam propagatum est (conf. Trautvetter Pflanz. Geogr. Russ. III, 48). Foliis evidenter cordatis, utrinque glabris in statu sterili dignoscitur.

§§. 2. CHAMAECERASUS Cord.! ed. Gesner 1561 (Hundskirschen) = ISIKA Adans. 1763. Germen biflorum, e duobus perfecte connatis ortum.

287. *P. coeruleum* (L. sub *Lonicera*) = *Chamaecerasus coerulea* Delarb. = *Isica coerulea* Borckh. = *Periclym. rectum 1 fructu coeruleo* Clus. 1583 c. fig. bona! e Carinthia ad radicem Tauri Malnitz. (loco specialissimo).

Baccae nigrae, coeruleo-pruinosae. Flores ochroleuci in pedunculo communi brevissimo. Folia ± anguste ovalia, firma, glaucescentia, holosericeo-pubescentia. Rami stricti rigidi, annotini dense pubescentes, in *P. Xylosteo* glabri et tenuiores. Cortex fusco-purpureus, rimosus, fissilis, dependens.

In fruticetis et nemoribus humidis, pratis turfosis Ingriae borealis hinc inde copiose, terminum australem forte constituens. Inter Alexandrowskoje!, Taitz! et Gatschina!; oppidum hoc inter et Korpikowo nec non ad Ilkina (Borszczow!), inter Dylitzy et Osery!, pr. Siworitzy!, Orlino (Faldermann!), hinc in plaga circumscripta syst. Silurici et adjacentis Devonici; rarius ad fl. Pljussa pr. Polja et ex Sobol. pr. Gostilitzy; deest in regione demissa Petrop. et isthmo Kareliae. Floret medio Majo; fruct. mat. a fine Junii ad Aug. ♄.

Hist. spec. In sylvis montosis circa vicum Hostilitzy in quantitate (Sobol. Petrop. 1799, p. 56, n. 165; ed. ross. I, 1801, p. 175, n. 171 sub *Lonic. coerulea* L. ut seqq.); non procul a praedio Demidow! (Prescott ex Turcz. 1825, n. 161); in sylvis e. g. prope Gostilitz, Gatschinam; Majo, Jun. (Weinm! Petrop. 1837, p. 25, n. 160).

CXLVII. LINNAEA.

Plantulae elegantissimae, primo pro *Campanula*, deinde pro *Nummularia* (*Lysimachia*) habitae dignitatem genericam primus perspexit Buxbaum e planta Petropolitana et 1729 *Serpillifoliam* ut genus proprium apud nos constituit. Sed quia talia nomina jam illo tempore incongrua habebantur, Siegesbeck in Primit. Fl. Petrop. 1736 *Obolariam* dixit : paraphrasis *Nummulariae* propter folia magnitudine oboli. Tunc temporis Siegesbeckio vix cognita esse potuit intentio Gronovii, hanc plantulam singularem in honorem et memoriam summi magistri nomine «*Linnaea*» adornandi; haec non prius quam in Gener. pl. ed. 1, 1737 a Linnaeo editis publice

promulgata fuit. Linnaeus genus sibi dedicatum quidem multum illustravit et imo affinitatem cum *Periclymeno* perspexisse videtur; sed jus prioritatis Gronovianae non ita in aprico est, ut omnes botanici crediderunt, quaestionem hanc tacite et sicco pede transeuntes. *Obularia* L. in horto Cliffortiano 1737 constituta et serius in *Obolariam* mutata, est potius obfuscatio consulta *Obolariae* Siegesbeckii. Tamen ex epistola ab Ammano scripta m. Septembri 1736 et ad Linnaeum missa probari potest, huic nondum notum fuisse nomen a Siegesbeckio pro *Serpillifolia* Buxb. propositum. Praeterea opusculum Siegesbeckii minoris voluminis et eruditionis, certe non ante 7 Sept. 1736, die quo praefatio data est, editum fuit. Opus vero Linnaei (Genera plant. edit. 1.) voluminosum, classicum et gravissimum, ut constat, initio a. 1737 publici juris factum est; praefatio data 29 Nov. 1736. Hinc fere pro certo assumere licet, partem libri, quo de *Linnaea* agitur (imo pagina jam citatur in Fl. Lapponica m. Aprili 1737 edita, cum praefat. 12. Febr.), prius e proelo prodiisse, quam *Obolaria* Siegesbeckii.

288. *L. serpyllifolia* (J. Bauh. ex C. Bauh. 1596! et 1620 c. fig. minus bona; e monte Baldo et Rhaetia habuit; J. Bauh. 1651 c. fig. meliori!; uterque sub *Campanula serpyllifolia*) = *Nummularia norvegica* Petiver, Kylling = *Linnaea borealis* Linné (icon bona in Fl. Lapp. et Suec.); nomen triplici ratione rejiciendum: propter auctorem, locum natalem primitus australem, nomen antiquissimum speciei haud pejus. J. Bauhinus in peregrinatione per Rhaetiam cum C. Gesnero detexit.

Fruticulus humillimus herbaceus sempervirens, caule debili filiformi inter muscos serpente. Folia *Serpylli* cujusdam latifolii sensu patrum, opposita, margine crenata et ciliata, coriacea, saltem biennia per hyemem vigentia. Pedunculi e ramis terminales longi, apice biflori (Linné), sed adsunt non raro flores 4 per paria sibi oppositi, in-

feriores axillares. Corolla alba, intus striis roseo-sanguineis. Hofmeister (in Flora 1832 Intell. p. 30) distinguit *L. australem* a *L. boreali* ex flore duplo minori etc.; specc. Sieberiana ex alpibus Tyrol. recedunt sepalis latis, Charcoviensia bracteis inferioribus rotundatis magnis, sed hoc forte nimis ludit.

In sylvis antiquis praecipue tenebrosis humidis ad radices arborum inter muscos copiose hinc inde in regione demissa sublitorali circa Petropolin et in Ingria boreali: Lissino et Kauschta, Siworitzy, Gatschina, Lapuchinka. Floret ab initio Junii ad finem Aug.; fruct. mat. fine Sept. vel prius. ♃ ♄.

Hist. spec. Copiose in sylvis uliginosis circa Petropolim (Buxbaum in Act. Acad. sc. Petrop. II, 1729, p. 346 s. n. *Serpillifolia* sibi, cum syn. C. Bauh. et descript.); ad radices *Alnorum* prope viam, qua in ins. Wassili Ostrow ad mare itur (Amman mss. 1735, n. 52, ex synn. C. et J. Bauh.); in sylvis umbrosis et uliginosis insulae Basilii copiose (Siegesbeck Fl. Petrop. 1736, p. 79 s. n. *Obolaria* sibi, cum syn. C. Bauh. et observ.); ad radices arborum et in colliculis muscosis nihil frequentius hac planta, praesertim in insula cui a Basilio nomen est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 100 s. *L. boreali* L. ut seqq.; ex hoc syn. citato pendet patria Russia apud Linné 1763); in paludosis torfaceis inter Sablina et Tossna hinc inde (Güldenstädt in itin. a. 1768, edit. 1787); in sylvis umbrosis et muscosis, uti Peterhoffii, Strelinae et Petropoli in insula Basileensi frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 150, n. 416; ed. ross. II, 1802, p. 42, n. 429): in sylvis umbrosis, muscosis (Trin. et Libosch. Fl. Petrop. et Mosq. 1818, p. 93, tab. 31), ibid. frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 290); in insula Krestowsky!, in sylva trans Catharinhof! (Turcz. 1825, n. 393); in sylvis praesertim acerosis inter muscorum cumulos, saepe totas plagas tegit (Weinm. Petrop. 1837, p. 63, n. 426).

Fam. XLIV. STELLATAE.

Char. Herbae ⊙ vel ♃. Caules et rami nodoso-articulati. Folia simplicia exstipulata, plerumque verticillata. Flores ☿, rarius diclines, plerumque tetrameri. Cal. cum ovario connatus, limbo saepe obsoleto. Cor. perfecte supera regularis, 4 (3—5) fida, lobis aestivatione valvatis. Stam. tot quot laciniae corollae, iisque alterna. Stylus 1 saepe bifidus; stigm. 2 capitata. Ovarium 1 saepe didymum, biloculare, loculis uniovulatis, ovulis anatropis. Fructus e carpidiis 2 coalitis nucamentaceus v. drupaceus indehiscens vel manifestius didymus bipartibilis. Semina erecta; embryo rectus v. incurvus in axi albuminis cornei.

Affinitas. Stellatae tantum subdivisionem *Rubiacearum* efficiunt et quidem *Coffeacearum*, utplurimum foliis oppositis stipulatis praeditarum. Proxima affinitas intercedit cum *Dipsaceis*, remotior cum *Umbelliferis*, mediantibus *Caprifoliaceis* et praecipue *Sambuco*.

Qual. et usus. Plures propter virtutem amaro-adstringentem olim in officinis erant; nunc vix nisi propter radices tinctorias hinc inde quaeruntur. *Galii borealis* radices rubrae sunt; his mulierculae Finlandiae lanas tingunt (Linné); idem praestat *G. luteum*, cujus flores colorem luteum subministrant et sub praeparatione casei adduntur; herba lac coagulat. *Galio Aparine*, ut Dioscorides refert, pastores coli vice utebantur ad eximendos e lacte pilos. *Asperulae odoratae* herba inprimis exsiccando odora (Penae et Lobelio *Lilii convallii* adinstar, Linnaeo *Meliloti* v. *Milii*, Bertolonio *He-*

liotropii peruviani in modum), sapore amaro et austero; alibi cerevisiae majali injicitur vel medicando vino adhibitur, ut jam Tragus narrat; *Galium triflorum* easdem qualitates possidere videtur.

Genera indigena:

⚹ SHERARDIA. Cal. margo sub 6-dentatus, persistens. — *Sh. arvensis* L. herba ⊙, foliis subsenis lanceolatis, floribus lilacinis capitatis involucratis; tempore Krascheninnikowii heic obvia fuit, ut specimen ejus in herb. Acad. testatur „ex agris insulae cui a Petropoli nomen, prope loca castris metandis legioni Astrachanensi assignata“ (Krasch. Codex mss. ex R. Diatr. Petrop. 1845, p. 41).

CXLVIII. ASPERULA. Cal. ut in *Galio*. Corolla infundibuliformis (tubo distincto).

CXLIX. GALIUM. Cal. margo obsoletus. Cor. rotata (tubo destituta).

CIIL. ASPERULA.

Ruellius 1537! et Fuchs 1542! *Aspergulam* veterum s. *Asperulam*, ut propter herbam *asperam* rectius scribi contendunt, ab *Aparine* non separant. Nomen legitimum pro *Asperula odorata* primo apud Dodonaeum 1559 (ic. p. 77, saltem Kräuterb. ed. 1563! nisi jam 1554) obvenit, a Lobelio, Dalechampio et Clusio aliisque adoptatum et altera specie: *A. coerulea* s. *arvensi* L. auctum. Hoc sensu *Asperula* apud C. Bauhinum titulus genericus. Character generis et limitatio hodierna debetur Linnaeo 1735, qui nomenclaturam patrum rite restituit. Nimis ambigua enim videbantur *Matrisylva* Tragi 1552 et *Caprifolium* Brunfelsi 1531, nomina ad *Periclymenum* rectius referenda, ut ex Scribonio Largo aliisque patet; conf. Bodaeus a Stapel p. 1163 et Brunfels edit. germ. 1532! Dicta etiam fuit *Stellaria* a Brun-

fels 1530, sed a nemine alio, hinc iterum forte error, ut in *Caprifolio* illius; ceterum nomen *Stellaria* diversissimo modo usurpatum et aptissime pro *Callitriche* substituendum, videsis supra p. 176, 376.

2?9. *A. odorata* Dodon. 1574 c. fig! 1583 repetita, Clus. 1583! 1601, Park., Linné = *Matrisylvia vulgaris* s. *Asperula Dodonaei* Thal. 1588! = *Asp. sylvatica* Rupp. 1726! propter: *Rubiam sylvaticam asperam* Gesner 1561 = *Asperula* s. *Aspergula odora nostras* Pena et Lobel 1570! Lob. 1581 c. fig! = *Matrisylva* Trag. 1552 c. fig! Cord. = Waldmeister (Trag. 1552! et in:) Brunf. 1531, ed. germ. 1532 c. fig! = vago aut erroneo nomine apud Brunfels 1530 *Stellaria*, 1531 *Caprifolium* et 1539 *Hepatica tertia*.

Folia octona, lanceolata, margine et carina setoso-asperula. Flores albi odorati in corymbis terminalibus pedunculatis. Fructus setis uncinatis hispidi.

In sylvis umbrosis prope Gatschinam, flor. Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824 p. 69 et Petrop. 1837, p. 17, n. 102). Stirpem Ingricam rarissimam hanc vidi in herb. Weinm. et Kühlew.; recentius circa Lissino! a. D. Lukomski lectam com. D. Herrath. ♃.

CIL. GALIUM.

Genus *Galium* limitatione hodierna constituit Linné 1748, prius *Gallium* et *Aparine* ut genera Tournefortiana fructu glabro aut hispido distincta habuit; *Cruciatam* Tourn. unacum *Valantia* junctam 1737 ad *Galium*, 1748 vero ad Polygamiam rejecit. Haec genera antiquiora nunc ut subgenera iterum agnoscuntur. Apud C. Bauhinum iidem generici tituli: *Gallium*, *Mollugo*, *Cruciata*, *Aparine* occurrunt, quaedam species sub *Rubia* et *Rubeola* latent. *Galium* multo frequentius appellatum fuit *Gallium*, alias etiam *Gallion* s. *Galion*, sed *Galium* semper scripserunt Matthiolus, Linnaeus, Haller et Rec. Γάλλιον (sic in codicibus Diosc.) teste Dioscoride ipso nomen

ex eo traxit, quod herba lac (γάλα) coagulet, unde etiam nomen germanicum Labkraut.

290. *G. triflorum* Michaux 1803! Willd. hort. Berol. tab. 66! = *G. suaveolens* Whbg 1812! citat syn. Michx.; Fl. Dan. tab. 2045!

Habitus *Asperulae odoratae* (hinc *Asp. palustris* Goldbach Catal. pl. Mosq. in Flora 1820) ex forma foliorum, odore herbae recenter siccatae (*Vanîllae* adinstar obs. Torrey et Gray) et fructibus; sed pedunculi fructiferi trichotomi divaricato-patentes, plurimi axillares, pedicelli 1—2 flori, corollae rotatae, folia tantum sena, ad costam subtus retrorsum aculeolata, supra versus margines antrorsum hispidula, caules flaccidi prostrati. Variat foliis longioribus angustioribus et brevioribus latioribus.— Plantam florentem vivam nondum vidi; Willdenow corollam describit albam vel parum ochroleucam, Wahlenberg illi quasi contradicens „flores semper albos", ita etiam in Fl. Dan. pinguntur. Ex hoc dissensu ortum est *G. triflorum* β. *viridiflorum* Decand. 1830! cum syn: *G. bryophilum* Goldbach in litt. 1821 et nomen ex Weinm. 1824 (Decand. false scribit *bryophyllum*) e planta Mosquensi! cui caulem glabellum et corollas virides adscribunt; sed caulis specc. Mosq. et Petrop. non glabrior est, quam americanorum, quorum flores apud Torrey et Gray viriduli describuntur vel in locis apertis viridulo-albi. Etiam cel. Fries (contra Ledeb.) utrasque non distinguit.

Hist. *spec.* Petropoli (H. Mertens mss. 1823 s. n. *G. bryophilum* Goldb., ut omnes seqq.) in sylvis umbrosis in vicinitate arborum vetustarum, inter muscos humidiusculos, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824 p. 69); prope Oranienbaum et Nowo-Iwanowsky (Prescott ex Turcz. 1825, n. 100); in sylvis umbrosis humidiusculis inter muscos; comm. D. Prescott (Weinm. Petrop. 1837, p. 18, n. 109); Bablowa pr. Zarskoje Selo (Bongard in hb. Acad!); Lissino in vivario et pr. Peri (Kubarkin! Greulich!); in sylvis humidis pr. Jaschtschera copiose

(Faldermann!). Floret paulo ante medium Junii; medio Julio flores ultimi cum fruct. semimaturis. ♃.

Adnot. 1. *G. rotundifolium L.* passim (Krasch. Codex mss.) in sylvis (Gorter Fl. Ingr. 1761 p. 23) indicatum et in Adams Enum. pl. Mosq. et Petrop. p. 79 repetitum, erroneum et forte nil nisi *G. palustre ovalifolium* erat. Sobolewsky plantam Gorteri qua β ad *Asperulam laevigatam* suam amandavit, seductus forsan verbis Linnaei, plantas utrasque non semel confundentis.

Adnot. 2. *Asperula laevigata* L. in sylvis siccioribus Pargelovii et in monte Pulcovo et passim in locis elevatis umbrosis, fl. Jul. Aug. (Sobol. Fl. Petrop. 1799, p. 34, n. 105; edit. ross. I, 1801, p. 132, n. 111) pariter erronea. H. Mertens in mss. 1823 pro *G. bryophilo* habuit, sed haec planta nimis rara est et numquam quadrifolia.

291. *G. Aparine* L. saltem Wallr. 1822!! qui primus rite a *G. agresti* limitavit; = *Aparine vulgaris* C. Bauh. 1623! Park. Moris. Tourn. = *Aparine aspera* Thal. 1588! (sec. C. Bauh.) = *Aparina* Ruell. 1537! Trag. 1552 c. fig! = *Aparine* Plin.! — Brunf. Fuchs 1542 fig. bona! Matth. 1554! excl. fig.; Dodon. 1583 fig! et plurr. patr. = ἀπαρίνη Theophr.! Diosc.!

Herba annua, retrorsum aculeato-scabra. Fructus glochidiato-hispidi, vestimentis et imo manibus adhaerentes (unde φιλάνθρωπος veterum, φιλεταίριος, φιλίστιον Hippocr. teste Galeno). Caules flaccidi quadrangulares, ad geniculos plerumque villosuli. Folia 6—8-na, lineari-oblonga, mucronata. Pedunculi axillares trichotomi, pedicellis fructiferis 2—3-chotomis, rigidis, divaricato-patentibus. Corolla lactea.

In agris, oleraceis, ruderibus et fimetosis, multo rarius quam *G. agreste*, v. g. Petropoli in ins. Basilii! et prope Duderovo (Borszczow!). Flores et fruct. a fine Junii ad init. Sept. ⊙.

Hist. spec. potissimum ad *G. agreste* referenda. Ubique inter Petrop. et Bronitz, flor. Aug. (Gmelin sen. mss. 1733, n. 33 ex syn. C. Bauh.); ad fluv. Lugam circa

pagum Itowskaja et (quod in Codice mss. Krasch. omissum) passim in hortis oleraceis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 23) et circa pagum Rybaczia, Strelinae et Petropoli (Sobol. Petrop. 1799, p. 38, n. 114; ed. ross. I, 1801, p. 137, n. 120; H. Mertens plantam Sobol. in mss. 1823 pro *G. infesto* habuit); inter segetes et in hortis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 69; Petrop. 1837, p. 18, n. 110 sine loco).

292. *G. agreste* (*α. echinospermon*) Wallroth 1822! = *G. Vaillantii* Engl. Bot. tab. 2943 opt! non Decand. = *G. spurium* Besser 1809! non L. Synonyma antiquiora aut dubia, aut spuria.

A specie priori semper facillime in vivo dignoscitur: corollis triplo minoribus, minutis, flavo-virentibus (numquam lacteis), etiam fructibus minoribus et caule minus robusto, ad nodos plerumque glabro. Planta culta characteres constanter servat et sane nescio, quo casu factum, ut auctores etiam recentiores optimi cum *G. Aparine* confuderint et fidelem observationem cel. Wallroth neglexerint.

In agris, inter segetes, etiam ad sepes et in ruderatis, hinc inde copiose: Petropoli, Duderovo, Jermolino, Lapuchinka, Narwa. Fl. et fruct. a fine Junii ad Aug. ⊙.

Adnot. 1. *G. infestum* Wald. Kit. 1812 tab. 202, cujus corollae sordide flavescentes quidem describuntur, sed in icone triplo majores exprimuntur, quam *G. agrestis*, etiam propter folia 9—11 verticillata, dubium tantum hujus synonymon est. Indicatum fuit: in hortis oleraceis ins. apothecariae et inter segetes prope Lachtam (Turcz. 1825, n. 106, cui *G. Aparine* deest); inter segetes non rarum v. g. Duderhof, Lapuchinka (R. Petr. 1845, p. 42 ut var.).

Adnot. 2. *G. spurium* L. forte idem ac *G. agreste β. leiospermon* Wallr.; Linné semina describit glabra, folia ad verticillos 6, non vero 8 ut in *G. Aparine.* Talis planta mihi heic nondum obvia, indicata fuit: pr. Jamburg (Boeber ex Georgi 1790, n. 107); inter segetes

circa montem Duderovium et urbem Jamburgum, fl. Julio (Sobol. 1799, p. 36, n. 109; ed. ross. I, 1801, p. 134, n. 115; hanc H. Mertens in mss. 1823 pro *G. infesti* var. fructibus glabris habuit, licet Sobol. fructus scabros dixerit); ad fl. Luga (Georgi 1800, p. 730, n. 7); Petropoli (Adams Enum. pl. Mosq. et Petr. p. 79; Longmire 1823 p. 172).

293. *G. uliginosum* L., Engl. Bot. tab. 1972 opt! = *G.* n. 4 Haller 1742! (prima descriptio bona) = *Aparine aspera pratensis minor* Helwing 1712 (videtur); = *Rubia palustris parva* Gesner 1587 sec. Haller.

Folia subsena lineari-lanceolata mucronata. Fructus tuberculato-scabri in pedicellis brevibus rectis. Inflorescentia densior, herba viridior, scabrior, quam *G. palustris*, quocum in ceteris convenit, at formam glaberrimam numquam enititur. Variat statura, foliis ramulorum minoribus latioribus subquaternis.

In pratis humidis, turfosis, ad aquas, rarius in siccioribus, ubique copiose. Floret ab initio Junii ad finem Aug.; fruct. mat. a medio Julii. ♃.

***Hist.** spec.* Passim (Krasch. Fl. Ingr. ed. Gorter 1761, p. 21); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); ad rivulos prope viam a Zarskoe Selo in Crasnoselium ducentem et margines sylvarum et in viciniis urbis Jamburg (Sobol. Petr. 1799, p. 36, n. 108; ed. ross. I, 1801, p. 134, n. 114); in pratis humidis paludosis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 68); ubique (Turcz! 1825, n. 103); in pratis, pascuis et sylvis uliginosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 17, n. 105).

294. G. *palustre* L. = *Gallium palustre album* C. Bauh. 1623! = *G. album* Lonic. Tabern. 1590 c. fig! (forma fol. sublineraribus, hic rarior), non Lobel. 1576 = *Gallion palustre* Dodon. 1574, 1583! videtur.

Folia quaterna (rarius 5—6 in planta robustiori), lineari-oblonga superne latiora, obtusa mutica. Fructus laeves in pedicellis furcatis divaricatis. Caules flaccidi dif-

fusi. Flores albi, paniculati. Herba in caule et margine foliorum setulis retrorsum versis scabriuscula, rarius (ad ostia Newae!) glaberrima. Variat frequenter magnitudine et latitudine foliorum, inflorescentia laterali, panicula admodum depauperata (R. Petr. p. 42), corollis majoribus et minoribus, interdum trifidis.

In pratis sylvisque humidis, paludibus, fossis, locis inundatis, ubique copiose. Flor. ab initio Junii ad init. Sept.; fruct. mat. a medio Julii. ♃.

Hist. spec. Petropoli in locis uliginosis, Jul. m. (Amman mss. 1734. n. 11 ex synn. Tabern. C. Bauh. et Tourn.); in sylvis humidioribus (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 21); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in sylvis humidis et paludibus (Sobol. Petr. 1799, p. 35, n. 106); in pratis humidis, paludosis, in insula apothecaria! et ubique (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 133, n. 112); in sylvis et pratis humidis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 67); ubique (Turcz. 1825, n. 101); in pratis humidis et ad fossas, Jul. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 17, n. 103).

295. *G. trifidum* L. 1753 β. *europaeum* Rupr. Fl. Samoj. 1845, n. 141! = *G. trifidum* Wahlenbg. 1812! non L.; Fries herb. norm. Suec. III, 7! Icon desideratur, Fl. Dan. tab. 48 jam a Linnaeo citata nostram male exprimit.

Adeo simile *G. palustris* formis teneris parvifloris inflorescentia depauperata instructis, interdum in vicinitate crescentibus, ut dignoscendum tantum sit habitu debiliori tenerrimo, pedunculis fructiferis semper lateralibus simplicibus, longioribus, capillaribus, arcuatis v. refractis, numquam ultra ternis et corollis minoribus fere semper trifidis. Folia linearia, variant rarius obovato-cuneata. — An propria species? culta enim constantissima et annua (contra Koch et Ledeb.). Huc pertinet planta Uralensis e lacu Karakul pr. Troitzk (Lessing!) et Altaica!; Sitchensis et Unalaschcensis vero ad americanam typicam Linnaeanam releganda, caule ramisque crassioribus et

rigidioribus, pedunculis fructiferis brevioribus, vix arcuatis aut capillaribus diversam et per formas robustiores aucto foliorum numero in *G. tinctorium* L. abeuntem.

In inundatis limoso-turfosis regionis demissae Fl. Petrop. copiose ad ripas Newae fluvii: a Schlüsselburg usque ad ostia et ins. Kronstadt; ad margines lacus monasterii Alexander Newsky; rarius in regione elevata pr. Zarskoje Selo; in isthmo Kareliae in prato paludoso ad scholam saltuariam et ad lacum Pargolensem (Borszczow!), pr. Koltuschi (Hb. Kubarkin!), Lembalowo! (ipse); at alibi in Ingria non vidi. Flor. et fruct. ab initio vel medio Julio ad med. Sept. ⊙.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 60, n. 108 s. n. *G. trifidum* L. ut seqq.; Sobol. Petr. 1799, p. 35, n. 107, propter patriam Canadam in dubium vocavit); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); Ingria (Georgi 1800, p. 729, n. 3); rarius in maritimis et in sylva prope Peterhof et Strelinam (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 133, n. 113); in uliginosis paludosisque circa Petropolin (Weinm. Pawl. 1824, p. 67); in paludibus v. g. ad pontem praedii societatis liberae oeconomicae in ins. Petri et ad portam Mosquensem (Turcz! 1825, n. 102); in pratis paludosis prope Krasnoy-Kabak (Prescott ex Weinm. Petrop. 1837, p. 17, n. 104).

296. *G. Mollugo* L. = *Mollugo montana* Tabern. (non Dodon.) 1590 c. fig! propter radicem multicaulem, licet nimium crassam huc; = *Mollugo vulgatior* s. *Gallium album* Pena et Lobel. 1576! Lamck 1778! = *Gallion* 3 Trag. 1552 (descript. opt!) = *Mollugo* (Plin.?) Dodon. 1583! 1574 fig! in variis edit. Plantini repetita, a Lobelio pro *M. montana* Dodon. s. *G. sylvatico* L. declaratur. Propter radicem tinctoriam perperam pro diversa habita fuit: *Rubia sylvestris* Brunf. Fuchs 1542 c. fig! mediocri, Lobel 1576 fig!, Matth. 1554 c. fig. pl. juvenilis! descr. ap. Camer. 1586 (excl. fig.).

Caulis laevissimus (et glaberrimus, ut in Suecia), suberectus, crassus, nodosus, quadrangularis. Folia caulina

suboctona, lanceolata, inferiora saepe obovato-lanceolata, mucronata. Panicula terminalis expansa, pyramidata, multiflora. Corolla alba, laciniis cuspidatis. Specc. humiliora fol. brevioribus et angustioribus: *G. tyrolense* Willd. Rchb. exsicc. n. 2332! — Variat β. floribus ochroleucis, foliis lineari-lanceolatis: *G. ochroleucum* Wolf in Schweigger 1804, saltem *G. vero-Mollugo* Schiede, hybrida planta, rarius hic obvia (v. g. pr. Gatschina! inter parentes). Ab hoc distinguendum est *G. verum* β. *ochroleucum* Fries 1828 et forte *G. Mollugo* β. *ochroleucum* Fries 1828, Hb. norm. II, 20 grandiflorum, non hybridum.

Ad margines viarum, in collibus et pratis siccioribus, ubique copiose. Floret a medio v. fine Junii ad init. Aug.; fruct. mat. a fine Julii. ♃.

Hist. spec. Inter Ischoram Newae et Nowgorod, fl. m. Aug. (Gmelin sen. mss. 1733, n. 31 ex syn. Tourn.); circa Duderhoff! et Krasno Selo m. Jun. (Amman in mss. post 1736, ex syn. Tourn.); in insula quae nomen a rotunditate habet (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 22); in ins. lapidea! et rotunda, tum in monte Poclonnaja! et passim in montosis sylvaticis (Sobol. Petr. 1799, p. 37, n. 111) et in monte Pulcovo! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 136, n. 117, excluso loco in ins. rotunda); ad vias, sepes, in pratis siccioribus vulgaris (Weinm. Pawl. 1824, p. 68); ubique (Turcz. 1825, n. 105); in pratis, collibus siccioribus et ad margines agrorum, Jun. ad Oct. (Weinm. Petr. 1837, p. 18, n. 106).

Observ. *G. glaucum* L. in pratis siccioribus intra (sic!) *Polytricha* (Krasch. p. p. ed. Gorter 1761, p. 22); in monte Pulcovo (Sobol. Petr. 1799, p. 37, n. 112; ed. ross. I, 1801, p. 136, n. 118); Petropoli (Adams Enum. pl. Mosq. et Petr. p. 78). Krascheninnikow in Codice mss. plantam suam solo synonymo Halleri a Linnaeo neglecto illustravit; crederem igitur formam *G. uliginosi* vel? *G. palustre* quoddam polyphyllum intellexisse, vix enim assumere licet *Asperulam tinctoriam* (R. Diatr. 1845, p. 41) non prius, quam in Livonia circa Dorpat obviam. Secundum H. Mertens in mss. 1823 planta So-

bol. nil aliud quam *G. Mollugini*s var. angustifolia. Haec igitur in Ledeb. Fl. Ross. respicienda sunt.

297. *G. luteum* Lobel. (1570!) 1576 et 1581 c. fig! C. Bauh.! Tourn.! Linné 1751, Lamck! Mönch! = *G. verum* L. = *Gallion verum* J. Bauh. 1651 c. fig! = *Galium* Matth. 1558 in descr!, Camer. 1586 c. fig! = *Gallium* Fuchs 1542 c. fig!; I. Trag. 1552 fig!, Dodon. 1574 fig!, Tabern. 1590 fig! = *Galion* Ruell. 1537! Matth. 1554 fig! = γάλλιον Diosc. licet in palustribus crescens (Fraas).

Flores lutei, odorati, laciniis corollae obtusiusculis. Folia caulina 8—12, lineari-filiformia, mucronato-cuspidata, margine revoluta, subtus velutino-puberula. Panicula terminalis, densiflora, thyrsoidea. Caulis rigidus, tetragono-teres, superne praecipue velutino-pubescens; sed variat non raro quadrangularis et glabrescens.

In arenosis, pascuis siccis, apricis calcareis elevatioribus, hinc inde copiosissime, sed in regione demissa Petrop. fere deficiens. Floret a fine Junii v. medio Julii ad init. Aug. vel Sept.; fruct. mat. fine Aug. vel prius. ♃.

Hist. spec. Ad fluv. Lugam! passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 22 s. n. *G. verum* L. ut omnes seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis elevatis Pargelovii! Ossinovae Rosczae, Krasnoselii! et ad fl. Lugam! passim (Sobol. Petr. 1799, p. 36, n. 110; ed. ross. I, 1801, p. 134, n. 116); in littore arenoso Cronstadtii! (Weinm. Pawl. 1824, p. 68); in monte Poclounaja! parce; in ins. Kronstadt! et pr. Oranienbaum! copiose (Prescott ex Turcz. 1825, n. 104); in graminosis siccis, Jul. Aug. (Prescott ex Weinm. Petr. 1837, p. 18, n. 107); ad viam Peterhofianam prope ostia Newae, Duderovo, Gatschina, Gorodetz, Staraja Ladoga, Jamburg, Narwa, in arena mobili ad lacum Peipus.

298. *G. boreale* L. Engl. Bot. tab. 105! = *Rubia pratensis laevis acuto folio* C. Bauh. 1620! e Vallesia ad

thermas Leucenses et e Lipsia (testante etiam Linnaeo ex herb. Burseri, Ruppio et Haller).

Folia quaterna, trinervia, oblonga, infra medium quidpiam latiora, firma. Caulis erectus strictus, crassus, quadrangularis, laevis et glaber. Panicula terminalis. Fructus hispidi. Flores albi speciosi, odore melleo. Variat in humidioribus robustius, 2—3 pedale, latifolium; in siccioribus humilius, fol. brevioribus vel angustioribus sublinearibus.

In pratis et fruticetis, tam siccis, quam humidis, ubique copiosissime. Floret a medio Junio vel paulo serius ad Julium; fruct. mat. ab initio Aug. ad init. Sept. ♃.

Hist. spec. In pratis humidis circa Duderhoff! m. Jun. (Amman mss. 1736, n. 111, ex synn. J. Bauh. Raj. Boerh.); in pratis siccis insulae, quae nomen a rotunditate! habet (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 23); in pratis siccis insulae rotundae!, in monte Poclonnaja!, Pargelovii!, in m. Pulcova! passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 37, n. 113), etiam Strelinae! et ad viam Peterhoffianam! (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 137, n. 119); in locis graminosis siccioribus passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 69); ubique (Turcz. 1825, n. 107); in pratis, ad versuras agrorum et in collibus siccis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 18, n. 108).

Fam. XLV. VALERIANEAE.

Char. Herbae nunc radice ☉ inodora, nunc rhizomate ♃ plerumque aromatico. Folia radicalia in ♃ conferta, caulina opposita, simplicia, exstipulata, integra vel pinnatifida, petiolis basi dilatata subamplexicaulibus. Flores ☿ vel diclines, saepe dichotomo-cymosi. Cal. limbus vel setosus pappiformis (*Centranthus*, *Valeriana*), vel (*Valerianella* etc.) dentatus v. obsoletus. Cor. limbus 5- (ra-

rius 3 v. 4-) lobus, regularis vel subbilabiatus; tubus basi saepe gibbus vel (in *Centrantho*) calcaratus. Stamina libera, plerumque 3, rarius (in *Centrantho*) 1, vel (*Fedia*) 2. Stylus simplex. Stigm. 2 v. 3, libera v. connata. Ovarium inferum 1 loculare (achenium), vel 2—3 loculare: loculo tantum 1 fertili. Ovulum solitarium, pendulum, anatropum. Semina albumine tenuissimo, cotyledonibus longis.

Affinitas proxima cum *Dipsaceis*, ovario numquam 2—3 loculari et semine albuminoso diversis. A *Compositis* habitu, inflorescentia, staminibus liberis rarissime 5, fabrica ovarii et praecipue semine (ovulo) erecto non difficile separantur.

Qualitates et usus. Unica et vulgaris apud nos *Valeriana* radicem *V. minoris* s. *sylvestris* officinalem suppeditat, in locis siccioribus praestantiorem, e forma angustifolia seligendam. Continet oleum peculiare aethereum et acidum *Valerianicum*, nec non substantiam extractivam sui nominis. Sapor initio acris, dein amarus et subadstringens; odor penetrans peculiaris aromaticus, felibus catis inde inebriatis gratissimus. Qualitates has radix siccata per plures annos tenet. Inter remedia nervinotonica non exiguam sibi servavit apud medicos famam.

CL. VALERIANA.

Genus *Valeriana* apud Linnaeum amplectitur genera Tournefortiana optima: *Valerianam* et *Valerianellam* jam a Columna 1606 et acutius a Morisonio 1672 distinctas, praeterea *Patriniam* Juss., *Fediam* Mönch et *Centranthum* Dec., ideoque potius totam familiam repraesentat. *Valeriana* et *Nardus* C. Bauh. sunt

tituli generici, juncti *Valerianam* L. referunt. *Valeriana* officinis et primis jam patribus dicitur a multis quibus radix *valet* facultatibus (C. Bauh.), nisi forte a nomine antiquiori germanico Baldrian, aut forte ab inventore Valerio quodam (Tournef.) planta *Valeriana. Nardus* et *Phu* antiquorum *Valerianam* fuisse credunt.

Char. generis. Cal. limbus sub anthesi involutus, in pappum achaenii plumosum multisetum deciduum expansus. Cor. infundibuliformis, basi gibba, intus emittens plicam anguste tubulosam, basin styli includentem; limbus sub-5-fidus. Stam. 3.

299. *V. vulgaris* Fuchs 1542! in descr., Trag. 1552 c. fig!, Cord. 1561, C. Bauh. 1620 in descr.! = *V. officinalis* Linné! (non patrum, quae duplex erat: hortensis et sylvestris) = *V. major* Tabern. 1590 fig! (fol. angustis serratis), sed alii hoc nomine potius *V. Phu* s. hortensem intelligebant; = *Phu minus* Camer. in Matth. 1586 c. fig! (fol. angustis serratis, stolone hirsuto) = *V. sylvestris* Pena et Lobel 1570! Dodon. 1574 et 1583! c. fig. formam stoloniferam angustifoliam valde hirsutam repraesentante, in variis edit. Plantini repetita v. g. apud Lobel 1576! 1581! Clus. 1601! = *V. sylvestris major* Dodon. 1553 c. fig! (latifolia), C. Bauh.! et plur. = *Phu vulgare* Fuchs 1549! c. fig. suspecta = *V. minor* Ruell. 1537!, nomen ab aliis *V. dioicae* L. impositum = *Valeriana* Brunf. 1536, ed. germ. 1532 c. fig!

Jam 1845 in Fl. Samojed. sub n. 145 confessus sum, limitationem specierum *V. vulgari* vicinarum, secundum characteres a Kochio (in Flora 1840) exhibitos, apud nos non facilem esse. Petropoli speciatim formae 4—5 individuis transitoriis in unam speciem junguntur, quoad ambitum non identicam cum specie Kochiana, potius cum Linnaeana collectiva, *V. sambucifoliam* et *V. exaltatam* includente, licet hae species in australioribus constantes in locis natalibus et hortis, heic minime ita sint, quare formas tantum analogas dicere consultius videbitur. Quaedam formae porro exclusae videntur v. g. *V. offici-*

nalis β. *minor* Koch., in qua saepius stolones, si unquam heic adsunt, frustra quaesivi; singulare vero, quod in locis elevatioribus siccis apricis, ubi alias formae angustifoliae crescerent, nulla *Valeriana* apud nos obveniat. Varietates sequentes saepe distinguere licet:

α. *angustifolia* Fries Summa veg. Scand.! et herb. norm. XI, 15! ex Upsalia, ubi haec sola. Unicaulis, stolonibus destituta; folia radicalia et caulina 7—10 juga, foliola lineari-lanceolata vel linearia integerrima. Dantur specc. serotina macra hujus et sequentis β. semipedalia initio Sept. adhuc florentia. *V. angustifolia* Tausch. ex Host. 1827 et pl. exsicc! differt a nostra: loco sicco rupestri et caule inferne cano-pubescente; haec est genuina planta officinalis et *V. officinalis* β. *angustifolia* Wahlenbg. 1824!

β. *intermedia*, unicaulis, stolonibus destituta; folia radicalia et inferiora paucijuga; foliola omnia anguste lanceolata, dentato-serrata. Haec communissima et formam majorem foliis paulo latioribus progignit.

γ. *stolonifera*, major, unicaulis; folia inferiora 4—6juga; foliola omnia late oblonga repando-dentata. Glabritie et foliorum forma differt a *V. sambucifolia* Mikan ex Pohl 1810 genuina Sudetica et Suecica (Fries Hb. norm. XI, 16).

δ. *incisa*, ut praecedens, sed maxima, stolone abbreviato, foliolis late ovatis apice attenuatis, margine parce et profunde inciso-serratis. Ad ostia Newae fl. et ad cataractam Narowae parce, in fruticetis umbrosis. Haec, si multicaulis esset, sisteret *V. multicipitem* Wallr. 1840! = *V. exaltatam* Koch = *Val. palustrem majorem profunde laciniatam* C. Bauh. 1620! A *V. sambucifolia* differt stolone subsessili, caule glaberrimo vel tantum ad oras petiolorum pilosulo.

Ad ripas fluviorum in fruticetis, pratis humidis, ubique copiose; γ. in umbrosis sylvaticis solo pingui: in insulis Newae fluvii!. Floret a medio vel fine Junii, interdum non ante Julium; fine Julii vel initio Aug. deflorata fruct. maturis. ♃.

Hist. spec. In locis paludosis circa Catharinenhoff m. Jul. (Amman mss. 1734, n. 1, ex syn. C. et J. Bauh.); in locis umbrosis non infrequens, circa Catharinhoffium autem et in insula ex adverso ejus in Newa fl. sita! perquam copiose provenit (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 161); in locis umbrosis, pratis laetioribus et sylvis humidis non infrequens est; var. fol. superioribus integerrimis: in insula Petri! inter filices (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 56 s. n. *V. officinalis* L. ut omnes seqq.); in pratis laet. et sylv. hum. umbrosis circa viam Sarskoseliensem et Peterhofianam! tum et Petropoli in insulis Newae fl.! frequens, Jul. Aug. (Sobol. Petrop. 1799, p. 9., n. 26; ed. ross. I, 1801, p. 80, n. 27); in sylvis humidis, β. minor: in pratis humidis turfosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 20); ubique (Turcz! 1825, n. 21); in sylvis et pratis humidis turfosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 7, n. 26 α. *latifolia* Fl. Dan. t. 570 et β. *angustifolia* Svensk Bot. tab. 25; prior nostram β. minorem, altera nostram α. exprimit).

Fam. XLVI. DIPSACEAE.

Char. Herbae ⊙ v. ♃ caule tereti. Folia opposita, simplicia, integra vel in eodem individuo varie incisa. Flores ☿ aggregati in capitulum involucro polyphyllo cinctum. Receptaculum commune saepe paleaceum. Cal. duplex; exterior (involucellum) fructum arcte cingens, interior ovario $\pm$ adnatus et saepe in dentes pappiformes solutus. Cor. tubulosa, apici calycis interioris inserta, 4—5 fida; limbus praecipue in floribus periphericis inaequalis. Stam. 4, libera, saepe didynama, filamentis non articulatis. Stylus 1; stigma simplex. Ovarium uniloculare, 1 ovulatum, ovulo pendulo anatropo. Fructus achenium. Embryo rectus in axi albuminis parci.

Affinitas proxima cum *Valerianeis* et *Compositis;* a prioribus recedunt inflorescentia *Compositarum*, calyce duplici, ovario uniloculari; ab his vero antheris liberis 4, situ ovuli et praesentia albuminis.

Qualitates exiguae. Herba et radix indigenarum inodora, sapore amaro-dulci et quidpiam adstringente. *Scabiosa* olim contra scabiem usitata (Fuchs), unde nomen latinum, germanicum et gallicum; aliqui etiam Ψώραν Aetii censent.

CLI. TRICHERA. Receptaculum hirsutum epaleaceum (vel potius paleis in pilos solutis). Cal. exterior superne foveolatus. — A *Knautia* L. differt: involucro patente (nec erecto-cylindrico), floribus in receptaculo dilatato plurimis (nec paucis in recept. angusto), calyce exteriori dentibus 4 dilatatis et truncatis (nec numerosis subulato-aristatis), calyce interiori dentibus 8—10 subulatis (nec villoso et obsolete setoso).

CLII. SUCCISA. Receptaculum paleaceum. Cal. exterior profunde sulcatus in dentes 4 breves herbaceos desinens; cal. interior dentibus 5 setaceis vel margine integerrimus. Corollae 4 fidae, subregulares. — *Scabiosa* (*Asterocephalus*) abunde differt: calycis exterioris limbo scarioso hyalino campanulato vel rotato, margine tantum crenulato vel minute denticulato; corollis 5-fidis subirregularibus.

CLI. TRICHERA (rectius forte SCABIOSA).

Genus a *Knautia* L. diversum constituit Schrader 1814 pro *Scabiosa arvensi* L., specie, propter receptaculum epaleaceum jam a Linnaeo 1762 commemoratum, in hoc genere spuria. Coulter 1823 *Tricheram* cum *Knautia* junxit, alii tantum subgenere distinguunt, sed differentiae supra allatae ejusdem valoris generici, ac alio-

rum generum hujus familiae. Ceterum *Knautia* a Linnaeo 1735 dicta in memoriam Chr. Knaut, ut genus jam pridem a Boerhaave 1727! s. n. *Lychni-Scabiosa* sat bene descriptum et distinctum fuit. Praeterea *Trichera* exacte convenit cum genere *Scabiosa* Vaill. 1722, Rchb. multo antiquiori et nomen hoc sensu saltem a Fuchsio 1542, nisi Ruellio 1536, usitatum fuit. *Scabiosa* R. S. 1818, Coult. autem coincidit cum genere *Asterocephalus* Vaill. 1722, Rchb. et est quoque pars potior generis *Scabiosa* Linnaei et C. Bauhini, continens species hoc nomine descriptas apud Clusium, Lobelium, Tragum; tandem *Scabiosa* Brunf. 1531! testante Haller et figura in ed. germ. 1532! certe refert *S. Columbariam* L., quare haec nomenclatura praeferenda videtur. Nomen *Scabiosa* ex aevo medio ad patres pervenit; exstat versiculus St. Urbano adscriptus apud Brunfels, quo *Scabiosae* virtus decantatur.

300. *T. arvensis* Schrad. ex RS. 1818 = *Knautia arvensis* Coult. 1823 = *Scabiosa arvensis* Tabern. 1590 c. fig.! Linné = *Sc. communis* Dodon. Kräuterb. 1563 fig.! = *Sc. vulgaris* Fuchs 1549 c. fig.! Gesner ed. Schm. Besler = *Scabiosa* Ruell. 1536, Fuchs 1542 c. fig.! Dodon. 1553 c. fig.!

Caulis canescens pilis brevissimis et longioribus hispidus. Folia radicalia subintegra lanceolata v. elliptico-lanceolata, caulina pinnatipartita, laciniis distantibus lanceolatis integerrimis, rarius crenatis v. incisis, lobo terminali majore acuminato subserrato. Flores persicini, marginales radiantes vel (in *Sc. campestri* Andrz. ex Besser 1822!) aequales.

Variat β. *S. integrifolia* (Gesner 1587) Vaill. Roth 1788! = *Sc.... fol. non laciniato* J. Bauh. 1651! foliis caulinis indivisis dentatis vel integerrimis; foliis summis saepe pinnatifidis manifeste in typum abit. Ceterum neque pili breviores glandulosi desiderantur, neque bulbi pilorum longiorum purpurei, ut Linné in *S. sylvatica* describit. Singularis forma foliis caulinis late ovatis in-

tegris crenato-serratis, radicalibus basi auriculatis incisisve: in sylvis caeduis siccis pr. Gorodetz rara; haec plene respondet descriptioni *S. sylvaticae* Koch 1837.

In pratis siccis, secus vias et margines agrorum ubique copiosissime, β. parcius. Floret a fine Junii ad med. Sept.; fruct. mat. a medio v. fine Julii. ♂ ♃.

Hist. spec. Inter Petrop. et Twer, fl. Aug. Sept. (Gmelin sen. mss. 1733, n. 97 ex syn. C. Bauh.); inter Secale circa Duderhoff! et Krasnoe Selo, Jun. (Amman mss. post 1736 s. n. *Scab. vulgaris*); in pratis circa Catharinhoffium (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 187); in agris desertis et pratis siccis frequens (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 21 s. n. *S. arvensis* L. ut omnes seqq.); in arvis et pratis, elevatis, siccis ubique frequens est, praecipue in m. Poclonnaja et Pulcova! (Sobol. Petr. 1799, p. 34, n. 103; ed. ross. I, 1801, p. 131, n. 109); frequens in pratis et ad margines agrorum (Weinm. Pawl. 1824, p. 64); ubique (Turcz. 1825, n. 98); in pratis siccioribus, arvis, agris eorumque versuris, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 17, n. 100).

Obs. 1. *Sc. sylvatica* L. in sylvis et campis circa Oranienbaum (Boeber ex Georgi 1790, n. 98) et Manachtina, sed parce (Sobol. Petr. 1799, p. 34, n. 104; ed. ross. I, 1801, p. 131, n. 110); Petrop. (Adams En. pl. Mosq. et Petr. p. 74) — sine dubio *S. arvensis* var. integrifolia (R. Petr. 1845, p. 41 cum obs.), ut jam H. Mertens in mss. 1823 plantam Sobol. interpretatus est. Vera *S. sylvatica* L. explic. Jacq. et Rchb. differt foliis majoribus, longioribus, tenuioribus, glabrioribus viridibus. Ceterum Linné etiam pro parte nostram intellexisse videtur, in Scandinavia rarissimam (Fries 1845).

Obs. 2. Propter locum potius huc, quam ad *Succisam* referenda videtur *Globularia vulgaris*, indicata in pratis siccis et arvis ad fluv. Luga (Krasch. ed. Gorter 1761. p. 20; Sobol. Petr. 1799 p. 33, n. 101; Adams Petr. et Mosq. p. 72): praesertim circa praedia ill. Baronis Tscherkasow (Krasch. Cod. mss. 1752 ex R. Diatr. Petr. 1845 p. 41).

CLII. SUCCISA

dicta propter radicem succisam, quod morsu diaboli factum esse vulgus superstitiosum credidit, hinc plerisque patribus (a Brunfelsio ultra saeculum) *morsus diaboli* appellabatur. Nomen *Succisa* primo legitur apud Fuchs 1542!; C. Bauhino 1623 *Succisa* titulus genericus pro sola specie typica nostra. Genus *Succisa* apud *Vaillantium* 1722 continet etiam species, posthac a Schradero s. n. *Cephalaria* generice segregatas. Sed Mertens et Koch 1823 iterum ad limitationem *Succisae* generis sensu C. Bauhini recurrebant, *Cephalariam* removentes propter involucrum arcte imbricatum e bracteis receptaculi, foliola involucri excedentibus; character observante cel. Reichenbach insufficiens. Coulter 1823, Decandolle et Ledebour *Succisam* tantum ut subgenus *Scabiosae* (*Asterocephali*) considerant et imo plures *Scabiosas* corollis 5-fidis (*ochroleucam*, *Columbariam* et al.) infauste ad §. *Succisam* amandant.

301. *S. glabra* C. Bauh. 1623! = *Succ. pratensis* Mönch. 1794! = *Scab. pratensis* etc. Morison 1699! = *Scab. Succisa* L. = *Succisa* Fuchs 1542 c. fig.! Matth. Dodon. Camer. 1586! Thal. J. Bauh. = *Morsus diaboli* Brunf. ed. germ. 1532 c. fig.! Dodon. 1553 c. fig.! et plur. patr.

Radix praemorsa. Folia subcoriacea, laete viridia, radicalia integerrima ovali-oblonga, in petiolum longum attenuata, caulina interdum repando-incisa, petiolis basi connatis. Pedunculi cano-velutini, stricte erecti. Flores coerulei, rarius albi! — Variat raro foliis radicalibus late ovatis, supra et subtus piloso-hispidis (ad lacum Peipus pr. Samogilje!); haec est *Scab. Succisa* β. Linné Spec. 1753! = *Succisa hirsuta* C. Bauh. 1623!, jam Gesnero indicante rarior, ex qua recentiores errore singulari typicam fecerunt, e *S. glabra* vero varietatem.

In pratis humidis, ubique copiose. Floret a fine Julii ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. Inter Ischoram Newae et novii pristan, ut et circa Nowgorodium, Aug. (Gmelin sen. mss. 1733, n. 96 ex syn. Raj.); in sylvis circa Catharinhoffium (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 193); in sylvis passim; nullibi tamen majori in copia, quam inter Strelinam et pagum Fennicum Rumka, in sylvis humidioribus (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 21 s. n. *Sc. Succisa* L. ut seqq.); in pratis humidis sylvosis, argillosisque, ad montem Poclonnaja! circa fl. Ochtam ad fabricam pyriam (Sobol. Petrop. 1799, p. 33, n. 102; ed. ross. I, 1801, p. 130, n. 108); in pratis humidiusculis copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 63); ubique (Turcz. 1825, n. 99); in pratis et pascuis, Aug. ad Octobr. (Weinm. Petrop. 1837, p. 17, n. 101 s. *S. Succ.* β. *glabrata*).

Fam. XLVII. COMPOSITAE.

Char. Herbae plerumque ♃, caule tereti vel irregulariter angulato. Folia alterna, simplicia, integra v. varie dissecta, exstipulata vel auriculis stipularibus ad basin petiolorum praedita. Flores aut omnes ☿, fertiles v. steriles (capitulum homogamum constituentes), aut in peripheria cum ♀ v. neutris mixti (cap. heterogamum), aut sub-dioici, in capitulum (florem compositum L., anthodium Ehrh., calathidium Cass.) involucro communi polyphyllo (calyce communi L., anthodio Willd. et Recent., periclinio Cass.) cinctum aggregati, evolutione centripeta; capitula vero, dum plura densius agglomerata, evolutione gaudent centrifuga. Receptaculum nunc nudum, nunc circa areolas fibrillosum, nunc paleaceum: paleis (bracteis) ad latus externum cujusvis floris dispositis. Calycis tubus cum ovario intime coalitus, limbo vel obso-

leto vel manifesto, plerumque setoso, dein in pappum transformato. Corolla supera, tubulosa, limbo regulari 5- (rarius 4-) dentato v. fido (flosculus : Cord. 1561 in descr. *Petasit.* II, 6), vel irregulari subbilabiato (barbula : Ruell. 1536 in descr. *Cyani*) vel in ligulam planam sub 5-dentatam (barbulam : Plin. XXI, 8) elongato. Stam. 5; filamenta versus apicem articulata; antherae circa stylum in tubum cylindricum connatae, introrsae. Stylus simplex, superne in crura (stigm. 2) divisus, in capitulis heterogamis duplicis formae, florum ♀ gracilior. Ovarium 1-ovulatum : ovulo erecto, anatropo. Fructus indehiscens siccus (achenium), nudus vel saepissime apice papposus. Semina exalbuminosa; embryo rectus; radicula brevis infera.

Affinitas. Familia summe naturalis, distinctu facillima, specierum numero undique terrarum ditissima, tantum *Dipsaceis* et *Valerianeis* affinis et cum iis in familiam ampliorem *Aggregatarum* jungenda. Habitus inde singularis proficiscitur, quod ingens saepe florum minutissimorum numerus in capitulum aggregatus, unius floris speciem mentiatur, cujus petala flores peripherici ligulati vel squamae anthodii intimae coloratae referunt.

Qual. et usus. In *Tubulifloris* (*Capitatis* et *Corymbiferis*) generatim substantiae obvenire solent amarae, cum adstringentibus, resinosis, acribus et oleo aethereo nuptae; in radice plurium species amylacea propria (Inulina), in *Inula Helenio* primum detecta.

Radix junior *Arciorum* edulis, *Cynarae* sapore, adulta exhibet rad. *Bardanae* officinalem; recens sapore dulci mucilaginoso, dein amaro subacri; efficacia ad *Sarsaparillam* accedit; caules dulces nutrientes; herba valde

amara et adstringens; semina eximie amara, oleosa, purgantia et diuretica. Surculi juniores *Carduorum* et *Cirsiorum* decorticati comeduntur; folia *Cirsii pratensis* s. *oleracei* junioris, jam Trago observante, olus suppeditant. *Onopordi* radix junior carnosa et caules decorticati *Cardunculi* adinstar comeduntur, capitula juniora sapore *Cynarae;* semina oleosa. Semina *Silybi Mariae* amara, mucosa; radix et herba amara; folia radicalia juniora *Carduncolorum* instar praeparata comedi possunt, quod etiam Dioscorides de *Silybo* suo affert. *Cirsium arvense* et *Centaurea Jacea* virtute similes sunt *Arciis;* olim in officinis servabantur. Floribus *Centaureae Cyani* ad tingendas morsulas etc. utuntur; semina amara alvum movent; planta coronaria gratissima. *Serratula tinctoria* colorem flavum durabilem suppeditat, ut *Centaurea Jacea* et affines. Radix *Carlinae vulgaris* amaro-resinosa, oleum aethereum acre continet; majori dosi purgat.

Eupatorium cannabinum odore debili aromatico, inamoeno, sapore peramaro; radix et herba dosi maj[illegible] emetica et purgans; Dodonaeo asserente, fugantur venenata animalia aridae herbae suffitu. *Petasitis vulgaris* (in Ingria rarissimi vel forte deficientis) radix acris, sapore non penitus ingrato, aromatico *Angelicae* simili, vernali tempore resinosa; sudorifera est. *Tussilago Farfara* dat folia *Farfarae* officinis; muco amaro quidpiam adstringente scatent; infusum vel decoctum in blennorhoeis pulmonum prodest; folia fumabantur tabaci nostri adinstar, ut Plinius jam narrat; lanugo albida circa radicem lixivo decocta, addito sale nitrico

optimus erat olim fomes ad ignem e silice excussum excipiendum. *Conyzellae coeruleae* s. *Erigerontis acris* herba recens trita odoris haud inamoeni, saporis acris; olim tinctoribus in usu fuit. *Chrysorhapis* (*Virga aurea*) styptica est, amara, vulneraria; radix masticata acris, salivationem excitat et diuresin. *Verbesinae* s. *Bidentis* utriusque nostrae herba trita odoris nauseosi, subaromatici; saporis primum herbacei, dein austeri et urentis; cum alumine praeparata colore luteo tingit. Radix *Inulae Helenii* (*Helenii* s. *Enulae* offic.) recens odore peculiari aromatico camphorato, in statu sicco debiliori fere *Violae odoratae;* sapor rancidus et mucosus, mox amaro-acris, urens, aromaticus. *Helichrysi arenarii* flores triti odore debili aromatico, sapore modice adstringente et amariusculo; contra tineas inter vestimenta reconduntur; pari modo *Anthemidearum* plurium flores in pulverem triti insecta hominibus molesta et nociva depellunt vel inebriant. Inter plantas roborantes, stomachicas, amaro-aromaticas et anthelminthicas excellit *Absinthium*, cujus herba officinalis, odore penetrante nauseoso-aromatico, sapore exquisite amaro-aromatico; e semine spiritus coeruleus destillatur; vino addita fermentationem acidam impedit; lac et caro animalium *Absinthio* pastorum saporem amarissimum nanciscitur. *Artemisia vulgaris* potius resinoso-adstringens, subacris; spiritus ex ea fermentatus grato sapore et odore; fibrae radicales autumno collectae, siccatae et bene asservatae officinales sunt, recentius contra epilepsiam ut remedium eximium commendatae fuerunt; qualitates inter *Valerianam* et *Chamomillam* ambigunt.

Tanacetum vulgare virtute proximum *Artemisiae*, officinale, praecipue anthelminthicum; continet oleum aethereum acre, substantias amaras et resinosas; odor balsamicus, camphoratus, sapor amaro-aromaticus. *Achilleae Millefolii* herba et flores aromatici et amari officinales sunt; excitant et roborant; qualitates ad *Chamomillam* accedunt, sed tonici praevalent; hinc ad profluvia sanguinis sistenda, speciatim epistaxin prohibendam notissima. *Ptarmica* aromatico-acris; herba sternutatoria, salivam masticata prolicit. *Parthenii* hinc inde efferati, herba officinalis, odore peculiari aromatico *Chamomillae* simili. Ex oleo aethereo volatili pendet virtus florum *Chamomillae offic.* notissima, antispastica, excitans; majori quantitate nauseam, vomitum, diarrhoeam, enteralgiam, cardiopalmum et cephalaeam inducunt. *Anthemis arvensis* odore debiliori, sapore amaro inamoeno. *Cotula* odore penetrante inamoeno, subaromatico, sapore amariusculo, acri, urente, ex officinis jam diu expulsa. *Anthemis tinctoria* rusticis ad tingendum inservit; odor herbae nauseosus, sapor herbaceus, quidpiam acris. *Senecionis vulgaris* sapor herbaceus, nitrosus; *Jacobaeae* folia amara, acria.

Semiflosculosae s. Liguliflorae saepe insignes sunt succo lacteo, cum substantiis amaris, resinosis et salinis juncto; herba junior edulis. Primum inter indigenas tenet locum *Taraxacon officinarum;* rhizoma inodorum, substantiam recondit amaram, muco-saccharum, gummi-resinam et praecipue sales; virtus hinc eximie solvens, roborans simul et excitans, in physconiis et plethora abdominali probatissima; radix sicca pallidior et

amarior, quam *Cichorii* similis, colligitur et tosta Petropoli loco *Cichorii* venditur. *Cichorium* e qualitatibus proxime ad *Taraxacon* accedit; radix plantae sylvestris officinalis, inodora, valde amara, cultae vero amaritudinem amittit et tosta pro fabis *Coffeae* frequenter substituitur. *Tragopogonis* radices edules, mucosi et quidpiam amari. Herba *Sonchorum* lactescens, amara, mitis, solvens, *Taraxaco* et *Cichorio* similis. *Scorzonerae* radix minus amara, succo lacteo et mucilagine referta est. ***Hieracium Pilosella*** amarum, adstringens, vulnerarium; ***H.*** *murorum* saporis herbacei, minus austero-amarum. ***Lampsanae*** herba amariuscula, oleracea.

Systema. Plantae flore *composito* Raj. 1682!, Tourn.! Vaill.! L. 1747! = Gymnomonospermae flore *composito* Boerh. 1727! = Class. XIX. *Syngenesia Polygamia* Linné ex a. 1737! = *Compositae* Linné ord. nat. 1737, 1764; (in Fund. 1747 obiter *Compositos* Rivini dicit); Adanson 1763! R. Brown, Lessing, Decand. = *Compositiflorae* Gärtner 1791 = *Synanthereae* C. Richard 1801, Cassini, Less., — sequenti modo ordinatae fuerunt:

Rajus 1682 dividit in 3 phalanges: 1) Herbae flore planifolio, succum lactescentem fundentes, tab. VII. generice dispositae, *Semiflosculosis* nostris respondentes. 2) Genera in tab. VIII–XI. illustrata, quae *Corymbiferas* nostras constituunt; haec subfamilia iterum in 2 tribus subdivisa: *a*) ***Papposae***, pappo piloso v. plumoso, tab. VIII.: floribus radiatis, IX.: fl. discoideis; *b*) *Corymbiferae*, pappo nullo vel brevi paleaceo, tab. X.: fl. radiatis, XI.: fl. discoideis. 3) *Capitatae* vulgo et Rajo dictae, flosculis fistularibus, tab. XII., serius a Vaillantio *Cynarocephalae*

appellatae. Characteres generum interdum eximii jam exhibentur v. g. *Lactuca* et *Sonchus* a reliquis semiflosculosis distinguuntur acheniis compressis et latiusculis. In Hist. plant. T. I., 1688 hoc systema speciebus tunc notis melius illustravit, quam Tournefort. Systema a Morisonio 1699 exhibitum multo inferius est.

Tournefort 1700 et partim 1694 herbas et suffrutices flore composito in 3 classibus systematis sui disposuit, quae respectu aliarum classium tantum unam formare debuissent. *Scabiosa*, *Dipsacus*, *Globularia*, genera jam a Rajo expulsa classi XII. admixta inveniuntur. Cl. XII. continet genera *flore flosculoso*, speciatim Capitatas et discoidea Corymbiferarum omnia: *Helichryseas*, *Artemisiam*, *Tanacetum*, *Verbesinam*, *Petasiten* (*Tussilaginem* in Cl. XIV. rejecit), *Eupatorium*, *Xanthium* etc. Cl. XIII. genera *flore semiflosculoso*, plene *Cichoriaceis* Vaill. respondet. Cl. XIV. genera *flore radiato* sunt *Corymbiferae* radiis instructae, additis spuriis *Carlina* et *Xeranthemo*. Subdivisiones classium e praesentia v. absentia pappi, receptaculo nudo v. paleaceo.

Vaillant in Hist. Acad. Paris 1718–21 systema Raji tacite restituit et 3 classes proposuit: 1) *Cynarocephalae*, quarum genera 1718 tractavit. 2) *Corymbiferae*, 1719 et 1720 generice elaboratae. 3) *Cichoriaceae*, 1721 recensitae. Characteres generum eximios addidit, apud Tournefortium omnino desideratos.

Valde recedens a prioribus, sed nimis artificiale systema exhibuit Linné. *Syngenesia* (σύν simul, γένησις generatio) classis ejus e sequentibus ordinibus compacta. I. *Aequalis:* flores capituli omnes ☿, aut tubulosi, aut radiati, aut ex

utrisque formis mixti; hoc ordine continentur Semiflosculosae, Capitatae et ex Corymbiferis nostris *Verbesina* et *Eupatorium*. II. *Superflua:* flores in disco capituli tubulosi ☿, in ambitu ♀ tubulosi, radiati v. nudi; huc Corymbiferarum maxima pars. III. *Frustranea:* flores in disco capituli tubulosi ☿, in ambitu neutri, tubulosi vel ligulati v. g. *Centaurea*, *Helianthus*. IV. *Necessaria:* flores in disco capituli tubulosi ♂, in ambitu ♀ nudi; e. g. *Filago*, *Calendula*. V. *Segregata:* calyces plures partiales aut proprii intra calycem communem, e. g. *Echinops*. Flores nudos dixit flores limbo destitutos vel etiam tubo saepe orbatos. Systema hoc a Pontedera praeformatum dicitur.

Decandolle 1836 disponit *Compositas* in 3 subordines: 1) *Tubuliflorae:* floris ☿ corolla regularis, 5-v. rarius 4-fida. Huc trib. I-V., sive *Corymbiferae* et *Capitatae;* hujus conjunctionis notio jam invenitur apud Jungium 1678, Tournefort et Haller 1742. 2) *Labiatiflorae:* floris ☿ corolla saepissime bilabiata; huc trib. VI, VII exoticae. 3) *Liguliflorae:* flores omnes ☿ ligulati; huc trib. VIII *Cichoraceae*. Tribus, characteribus microscopicis e stylo et stigmate, a Cassinio 1812 propositis, definiuntur. Systema hoc a recentioribus fere omnibus adoptatam, sed ut Tournefortianum praecipue in eo peccat, quod Corymbiferas a *Cichoriaceis* (Semiflosculosis), interposita una alterave tribu nimis removeat. Apud Vaillantium et Hallerum exordium faciunt Capitatae, sequuntur Corymbiferae discoideae, et per Corymbiferas radiatas transitum sibi Vaillantius finxit ad Semiflosculosas. Idem fere apud Rajum. Et revera talis dispositio multo naturalior hodiernâ. Corymbiferae majorem exhibent

affinitatem cum Semiflosculosis, quam Capitatae; elucet hoc, ut alia reticeam, ex accessu florum ligulatorum vel metamorphosi corollarum tubulosarum in peripheria capituli, quod numquam in Capitatis obvenit; elucet quoque ex floribus disci in utraque gente luteis, nec nisi rarissime purpureis ut in Capitatis. Flores lutei in *Carlinis* et *Centaureis* quibusdam recessum a typo et transitum ad Corymbiferas indicant; hoc respectu inter Corymbiferas *Eupatorium* et forte *Petasites* quasi continuationem ad Capitatos referunt.

Conspectus tribuum et generum indigenorum.

Tribus A. CAPITATAE Raj. 1682! Hermann 1690! Morison, Boerhaave 1727! Linné = CYNAROCEPHALAE Vaill. 1718! Juss. 1789! = CYNAREAE Less. 1829, Dec.

Flores omnes longissime tubuloso-filiformes ☿, vel (in *Centaureis*) marginales subbilabiati, neutri v. ♀. Stylus apice articulo a stigmate limitatus (Jussieu); stigmata saepissime concreta (Richd.). Capituli floriferi diametros longitudinalis transversalem plerumque superans. Praevalet color purpureus in floribus. Phasis vix perceptibilis, exceptis *Centaureis* quibusdam et *Carlinis.* — Receptaculum in omnibus generibus nostris setoso-paleaceum (excepto *Onopordo*).

Subtrib. I. CARDUINEAE. Pappus deciduus, pilosus v. plumosus, basi in annulum conjunctus (exc. *Arcio*), sed minime in fasciculos plures basi connatus, neque annulo prominulo acheniorum cinctus.

CLIII. CIRSIUM. Pappus plumosus. — §. BREEA Less. 1832 differt solum capitulis dioicis, ut *Antennaria* ab *Helichryso.*

⁂ SILYBUM (Diosc.) Lobel. Vaill. Filamenta brevissima in cylindrum ventricosum connata, glabra, antheris ecaudatis (in reliquis generibus filam. libera, pro norma

Compositarum). Pappus piloso-plumosus. Involucri squamae pectinatae*).

CLIV. **CARDUUS.** Pappus pilosus.

⚹ **ONOPORDON.** Gesner, Vaill. Receptaculum carnosum, alveolatum, nudum. Pappus piloso-plumosus. Filamenta glabriuscula; antherae brevicaudatae**).

CLV. **ARCIUM** a *Carduo* differt: pappo pluriseriato, per annulum non conjuncto (hinc G. Reichenbach ad *Serratuleas* ducit), setis ideoque singulis deciduis; etiam involucri squamis apice inflexis et uncinatis, nec non capitulo sphaerico.

Subtr. II. **SERRATULEAE.** Pappus pluriserialis, persistens, annulo non conjunctus, serie intima pilorum ceteris longiore, margine annulari achenii cinctus. Antherae basi interdum caudatae, aut filamenta superne glanduloso-ciliata vel nuda (ut in *Carduo* et *Cirsio*).

(⚹) **SERRATULA.** Capitula (in nostra) dioica. Filamenta superne glandulosa; antherae ecaudatae. Pappus pilosus. Hilus achenii basilaris obliquus***).

Subtrib. III. **CENTAUREAE.** Flores marginales neutri

---

*) *Silybum Mariae* = *S. marianum* Gärtn. = *Carduus marianus* Cord. 1561, Tabern. c. fig.! J. Bauh. L., sed non a Mario nomen accepit = *Carduus Mariae* Fuchs 1542 in textu, 1549 fig.! Trag. fig.! Gesner, Lobel. et Pena!, Matth., Raj., Blackw., nomen ex germ. Mariendistel = σίλυβον Diosc. IV, 159, saltem *Silybum* Anguill. Lobel. 1570, 1576 fig.! 1581 fig. = πτέρνιξ Theophr. VI, 4 (sec. Fraas). Petropoli et alibi in Ingria, in hortorum rejectamentis et ruderibus, parce; fl. fine Aug., in hortis Julio. ⊙.

**) *Onopordon Acanthium* L. = *O. vulgare* Vaill. 1718! = *Acanthium vulgare* Tabern. 1590 fig.! Raj. = *Onopordon Athenaei* Anguill., Gesner 1561, an Plin.? 27, 12, 86, quod ab asinis (ὄνος) devoratum, crepitus ventris (πορδή) provocet = *Acanthium* Matth. 1562, Lobel 1576 fig.! Dodon. 1554 et 1583 fig.! Camer. 1586 fig.! — Fig. opt. apud Brunf. 1536 p. 104! = ἀκάνθιον Diosc. III, 18, Plin. 25, 12 = ἄκανος Theophr. In ruderibus ad ostia Newae, saltem ex a. 1848 sat copiose perstitit; etiam in ins. Kronstadt; recentiore tempore allatum, mox civibus indigenis adnumerandum erit; in Livonia (e. g. in urbe Dorpat) sponte sec. Ledeb., Web. et Wied., Bunge. Floret ab init. Aug. ad finem Octob. ♂.

***) *Serratula tinctoria* Tabern. 1590 c. fig.! Linné. In Livonia et Esth. finitima: Dorpat! Weissenstein. Circa Gdow, ex B.

dissimiles, infundibuliformes, rarius omnes ☿ clavato-tubulosi. Pappus breve pilosus vel paleaceus, pluriserialis persistens, serie penultima pilorum ceteris longiore vel rarius pappus nullus.

CLVI. CENTAUREA. Involucri squamae intimae reliquis dissimiles. Capitula heterogama, flores radii neutri majores. Filamenta superne ciliata aequalia vel nodoso-articulata; antherae ecaudatae. Achenia compressa hilo laterali.

Subtr. IV. CARLINEAE. Capitula spurie vel (in *Atractyli*) vere radiata, involucro foliaceo cincta. Pappus uniserialis deciduus, plumosus, setis 3–9 basi connatis, hinc polyadelphis.

CLVII. CARLINA. Involucri squamae exteriores foliaceae, pectinato-pinnatifidae, intimae coloratae radios capituli (cujus diametros transversalis praevalet) spurios formantes. Receptaculum paleaceum, paleis apice fissis. Antherae basi pectinato-caudatae: filamenta glabra.

Trib. B. CORYMBIFERAE. Raj. ref. Vaill. 1718!, Juss. 1789! = DISCIFLORAE Boerhaave 1727!

Flores omnes tubulosi ☿ vel marginales ligulati ♀ v. neutri (in *Tussilagineis* et *Helichryseis* saepe flores polygamo-diclinici). Stylus apice articulo nullo a stigmate sejunctus. Capituli floriferi diametros longitudinalis transversali plerumque brevior vel eam aequans. Praevalet color albus v. flavus in floribus ligulatis, in floribus tubulosis fere semper flavus. Phasis nulla vel in multis radiatis diurna (interdum serotina, incipiens 10–11^h. v. g. *Tripteris*, *Podolepis*, *Sphenogyne*, *Senecio*, *Amellus*, *Felicia*); radiis vespere saepe deorsum flexis vel revolutis, sub anthesi sursum sese erigentibus vel evolventibus (quod numquam in Semiflosculosis observatur). Interdum corollae disci regula-

---

Bodendorf (R. Iter Ingr. in Bullet. XII, 1854, p. 79/213). Errore indicata fuit Petropoli (Rudolph ex Georgi) 1790 p. 515, n. 488); in pratis sylvosis circa pagum Ochta et prope ejus ecclesiam, atque in viciniis Sarskoselii et montis Pulkovi; fl. Jul. Aug. (Sobol. Petr. 1799, p. 187, n. 514; ed. Ross. II, 1802, p. 130, n. 529 — an *Cirsium arvense* pinnatifidum? e diagn. Linn. manca) ♃.

res omnes in ligulatas mutantur (***Bellis***, ***Anthemis nobilis***, ***Ptarmica***, ***Parthenium*** etc.), ut Corymbiferae in Semiflosculosas omnino abeant; haec abnormitas numquam in Capitatis obvenit.

Subtrib. V. **EUPATORIEAE.** Styli crura (stigmata) fere a basi puberula, elongata. Flores omnes ☿, numquam flavi. Achenia teretiuscula striata, striis 5 saepe magis prominulis.

(CLVIII.) **EUPATORIUM.** Involucrum cylindricum. Flores tubuloso-infundibuliformes. Pappus pilosus. Receptaculum nudum.

Subtrib. VI. **TUSSILAGINEAE.** Styli crura acuta, a basi puberula. Flores in eodem capitulo heterogami: centrales inferne tubulosi, superne campanulato-dilatati. Achenia teretia, obsolete striata vel laevia. — Scapi floriferi vaginati, aphylli, ante folia erumpentes (praecoces).

CLIX. **TUSSILAGO.** Scapi monocephali; capitulum monoclinicum. Flores aurei. Corollae florum ♀ marginalium numerosorum in ligulam longam angustam apice integerrimam desinentes. Stigma in fl. ☿ paucis sterile clavatum, apice brevissime bilobum; in fl. ♀ fertilibus styli crura longiora, ad medium usque stigmatifera.

CLX.) **PETASITES.** Thyrsus polycephalus, polygamodioicus. Flores purpurascentes v. albi. Corollae florum ♀ (in capitulis submasculis) uniserialium filiformi-tubulosae, apice oblique truncatae v. (in §. *Nardosmia*) ligulatae vel nullae. Stigma fere *Tussilaginis*.

Subtrib. VII. **ASTEREAE.** Styli crura superne puberula attenuata, sub anthesi conniventia vel saltem erecta. Flores in capitulo heterogami. — In generibus sequentibus, nisi contrarium indicatur, involucrum imbricatum, flores radii ♀ ligulati uniseriales discolores, receptaculum nudum punctatum v. alveolatum, achenia erostria, papposa.

CLXI. **ASTER.** Recept. circa alveolas dentato-lacerum. Achenia compressa. — §. TRIPOLIUM tantum involucro imbricato subbiseriali differt.

⚹ **BELLIS.** Pappus nullus. Involucri foliola aequalia,

1–2 serialia. Achenia plano-compressa, marginata. Receptaculum conicum. Flores albi v. subtus purpurascentes.

CLXII. CONYZELLA. Flores radii ♀ multiseriales, omnes ligulati (bidentati, centrales ☿ tubulosi quadrifidi: Dillen. Hoffm. 1791 analys.). Achenia compressiuscula. Herbae ☉. — In §. TRIMORPHAEA flores ♀ serierum exteriorum radiati, interiorum filiformes (et flores centrales ☿ tubulosi 5-fidi: Dillen. Hoffm. 1791 analys.! Dec.); herbae ♂ ♃.

CLXIII. CHRYSORHAPIS. Flores radii concolores (lutei). Achenia teretiuscula. — *Solidago* Rec.

Subtrib. VIII. HELIANTHEAE. Styli crura superne puberula attenuata, sub anthesi patentia v. recurvata. Flores homogami v. heterogami, marginales neutri v. non raro deficientes. Achenia compresso-subtetragona. — Recept. in generib. seqq. paleaceum; folia opposita.

⁂ GALINSOGA. Involucrum 5–6 phyllum. Flores radii, si adsunt, albi ligulati. Pappus paleaceus, gracilis. Decandolle ad *Helenieas* transfert.*)

CLXIV. VERBESINA = BIDENS. Involucr. polyphyllum, biseriale, squamis exterioribus patentibus, saepe foliaceis. Pappi loco aristae 2–5 persistentes, retrorsum scabrae v. aculeatae. — Ligulae in nostris specc., si adsunt, luteae. Folia opposita.

Subtrib. IX. MELAMPODINEAE. Styli crura saepissime nuda v. rarius a latere papillifera, erecta. Flores heterogami, monoici v. dioici. Pappus nullus v. coroniformis v. aristatus. Recept. fere semper paleaceum.

⁂ XANTHIUM. Capitula monoica, multiflora, involucri squamis liberis uniseriatis. Antherae liberae, filamentorum tubus basi tantum corollae clavatae adnatus. Capitulum ♀ floribus clavato-filiformibus: periphericis hebetatis et centralibus 2 fertilibus apetalis, quorum ovaria

*) *Galinsoga parviflora* Cav. 1794 = *Wiborgia Acmella* Roth 1800 = *Bidens Mercurialis folio*, flore radiato Feuillée 1714 tab. 32. Ex America tropica, in hortos Europaeos translata, nunc pluribus locis, etiam Mitaviae, Rigae et Dorpati inquilina facta, in insula apothecaria Petropoli, observ. cl. Meyer, copiosissime anno 1831 emersit, sed postea haud visa est (R. Diatr. Petr. 1845, p. 27). ☉.

paleis 2 involucrantibus connatis duris et glochidiatis laxe inclusa sunt. — Genus inter Compositas prima fronte valde abnorme, sed per *Ambrosiam* et *Ivam* aperte ad *Acanthospermum* et *Melampodium*, inde ad *Hysterophorum* accedens.*)

Subtrib. X. **INULEAE.** Antherae basi caudatae subpectinatae (quod tantum in *Helichryseis* inter Corymbiferas). Styli crura obtusa. Flores radii ♀ ligulati, ligulis concoloribus, luteis.

⁜ **INULA.** Achenia 4-5 gona; pappi setae 1-2 seriatae, basi coalitae, margine serrulatae. Reliqua *Conyzae*.

CLXV. **CONYZA.** Achenia teretiuscula; pappi setae uniseriatae, asperulae, basi liberae. Involucrum imbricatum. Ligulae uniseriales (rarius biseriales v. nullae). Pappus pilosus conformis. Receptaculum nudum. Cauda loculorum antherae bipectinata. — *Inula* Rec.

Subtrib. XI. **HELICHRYSEAE.** Antherae basi subulatae vel pectinato-incisae. Styli crura fere ut in *Anthemideis*. Flores radii ♀ v. neutri, filiformes, numquam distincte ligulati. — Herbae plerumque lanuginoso-arachnoideae.

CLXVI. **HELICHRYSUM.** Involucrum scariosum, hemisphaericum v. teres. Flores disci ☿, 5-dentati steriles, radii ♀ non bracteati.

(§. 1.) **ELIOCHRYSOS.** Flores radii ♀ pauci uniseriales. Cymae congestae aureae v. citrinae. Herbae ♃ v. suffrutices.

§. 2. **ANTENNARIA.** Capitula homogama, dioica; ☿ sterilia, pappo apice clavato, ♀ pappo filiformi. Cymae

---

*) *Xanthium Dioscoridis* C. Bauh. 1623! Moris. = *X. Strumarium* L. = *Strumaria* Pena et Lobel. 1570!, quia Diosc. scribit, etiam vocari χοιραδόλεθρον (strumarum perniciem) = *Xanthium* Fuchs 1542 fig., Dodon. 1553 c. fig.! et plur. patr. = ξάνθιον Diosc. IV, 138, quia capillos flavos facit. Petropoli in ruderibus suspectis unum specimen 1846 in consortione *Sinapeos albae* et *nigrae* observ. (R. Symb. 1846, p. 229 s. *X. Strum.* L.); ibidem a. 1851 (Borszczow); alio loco simili in ins. Basilii 1847 (Kühlew.!). Flor. fin. Aug. v. Sept. ⊙.

congestae involucro albido v. roseo v. rufo. Herbae ♃. Plurimis auctoribus genus proprium.

§. 3. PSEUDO-LEONTOPODIUM. Flores radii ♀ pluri- v. rarius 1-seriales. Spicae simplices vel compositae, plerumque fuscae. Herbae ⊙ v. ♃.

CLXVII. FILAGO. Involucrum conicum pentagonum, cinereum. Flores disci 4-dentati, fertiles, radii ♀ filiformes pluriseriales, interjectis squamis involucri intimis. Pappus capillaris, caducus, florum exteriorum (in typica) nullus.

Subtrib. XII. ANTHEMIDEAE. Styli crura superne puberula obtusissima vel truncata, apiculo quandoque imposito. Connectivum infra antherarum loculos incrassatum (nec aequale, ut in subtrib. V–XI). Pappus nullus vel coronula brevis membranacea.

CLXVIII. ARTEMISIA. Involucrum ovatum v. globosum. Flores radii uniseriales, filiformes, parvi, subdentati, rarius (in §. 3. *Seriphidiis*) capitula homogama ☿. Corollae tubulosae, teretes, luteae v. apice purpurascentes. Achenia obovata, aptera, disco epigyno minuto.

§. 1. ABROTANUM. Recept. nudum.

§. 2. ABSINTHIUM. Recept. villosum v. pilosum.

CLXIX. TANACETUM. Involucrum hemisphaericum. Flores *Artemisiae*, sed marginales majores, sub 3-dentati (non raro in ligulam parvam luteam producti). Achenia angulato-striata, disco epigyno latitudine achenii, margine brevi coronata. Recept. nudum.

⁜ CHRYSANTHEMUM. Achenia difformia, radiorum triquetra v. ancipitia, alato-sulcata; achenia disci angustiora longiora turbinata v. teretia, multicostata. Radii lutei.*)

---

*) *Chrysanthemum segetum* Lobel. 1576! Clus. 1601 c. fig. eadem!, L. = *Xanthophtalmum segetum* Schultz Bip., ad ostia Newae fl. advectum, in ruderibus parcissime observatum fuit a. 1848, 49, 51. In Catal. pl. gub. Olonetz ceterum parum fido indicatur ab Olbricht; in Ostrobothnia (Nylander ap. Ledeb.), Hapsal (W. et W.); e Riga ipse vidi spec. Verosimiliter errore indicatum fuit: circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 516, n. 525); inter segetes et ad margines agrorum circa Ligowo et Crasnoje Selo; fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 200, n. 552; ed. ross. II, 1802, p. 169, n. 596). ⊙.

CLXX. **PARTHENIUM.** Recept. nudum, planum v. hemisphaericum. Pappus coroniformis membranaceus v. nullus. Florum marginalium ligulae oblongae, albae v. roseae, rarissime deficientes. Involucrum et tubus corollae, ut in *Achillea* et *Anthemide*.

⁜ §. 1. PARTHENIUM. Capitula cymosa.

§. 2. LEUCANTHEMUM. Capitula solitaria. Decandolle et Ledebour genere distinguunt a *Parthenio* propter achenia calva; sed in eadem specie et imo capitulo etiam achenia coronata ocurrunt, ut cel. Schultz docuit.

CLXXI. **ACHILLEA.** Involucrum ovatum v. oblongum. Tubus corollae saepe compressus et alatus v. basi ventricosus mitraeformis. Florum marginalium ligulae breves subrotundae (in nostris albae), rarius nullae. Receptaculum paleaceum. Achenia compressa, ancipitia.

§. 1. PTARMICA. Capitula 6—8-radiata; ligulae involucro aequilongae. Folia integra, sed accesserunt postremo etiam species fol. pinnatifidis.

§. 2. MILLEFOLIUM. Capitula 3—5-radiata; ligulae involucro breviores. Folia pinnatisecta.

CLXXII. **ANTHEMIS.** Involucrum hemisphaericum v. planiusculum. Ligulae oblongae, rarius nullae. Tubus corollae et receptaculum, ut in *Achillea*. Achenia teretiuscula v. subtetragona.

§. 1. COTA. Receptaculi hemisphaerici paleae oblongae mucronatae. Achenia tetragono-compressa, margine arguto coronata.

§. 2. ANTHEMIS. Recept. conici paleae planiusculae v. carinatae. Achenia teretiuscula sulcata, aut calva, aut auriculata, aut coronata.

(§. 3.) COTULA. Recept. conici paleae lineari-subulatae. Achenia tuberculata, ecoronata. Floribus ligulatis neutris insuper ab *Anthemide* differt et a multis pro genere distincto consideratur.

CLXXIII. **CHAMAEMELUM = CHAMOMILLA.** Receptaculum nudum, subcylindrico-conicum. Pappus nullus v. coroniformis. Involucrum, ligulae et tubus corollae, ut in *Anthemide*. — §. TRIPLEUROSPERMUM differt

acheniis 3- (nec 5-) costatis, in apice dorsi nigro-foveolatis.

Subtrib. XIII. SENECIONEAE. Pappus pilosus. Reliqua *Anthemidearum.* — Recept. in generibus nostris nudum, radii concolores lutei, rarius suppressi.

CLXXIV. SENECIO. Involucrum cylindricum v. conicum, squamis aequalibus uniserialibus basi calyculatis v. ebracteatis, fructiferum reflexum. Stylus superne glaber; stigmata versus apicem densius puberula.

CLXXV. LIGULARIA. Involucrum basi bracteolis 2 oppositis, fructiferum stellae instar expansum. Stylus superne et stigmata a basi ad apicem dense puberula. Staminum rudimenta saepe in floribus marginalibus speciose ligulatis, interdum subbilabiatis. Achenia magna, glabra, longitudinaliter costata, pappo longo Senecionideo. Flores racemosi. Folia integra. Vix differt a *Senecione*, optime a *Senecilli.*

※ CACALIA. Capitula ☿ eradiata: floribus numquam luteis. Involucrum uniseriale 5–∞ phyllum, bracteolis paucis subcalyculatum. Stigmata apiculo basi subhispidulo superata.*)

Tribus C. SEMIFLOSCULOSAE Tourn. 1700! Linné 1735! = CICHORIACEAE Vaill. 1718! Juss. 1789! = PLANIPETALAE Boerh. 1727! = LIGULIFLORAE Dec. 1836!

Flores omnes ligulati ☿. Stylus non articulatus; stigmata filiformia, revoluta puberula. Praevalet color luteus in floribus. Phasis fere in omnibus eximia, matutina v. diurna; flosculi in capitulo paralleli, sub anthesi (saepe tantum unica vice) capitulum subhorizontaliter expansum referunt. Interdum abnormiter flores omnes tubulosi (v. g. *Taraxacon*).

*) *Cacalia hastata* L. Petropoli, in insula pharmacop. unum exemplar a. 1795 se invenisse refert Georgi in mss. Indicatur: Wjätka, Kasan, Slatoust (ex Ledeb. Fl. Ross.), in salicetis circa Mesen ipse vidi. Planta elata. Folia subtriloba-hastata. Racemi paniculati. Flores albi. ♃.

*

Subtrib. XIV. LAMPSANEAE. Pappus nullus vel ejus loco margo prominulus.

CLXXVI. LAMPSANA. Involucrum uniseriale, calyculatum, semper cylindrico-campanulatum. Achenia compressa striata. Recept. nudum.

Subtrib. XV. CICHORIEAE. Pappus coroniformis vel paleaceus.

CLXXVII. CICHORIUM. Involucrum duplex, externum 5-phyllum, internum sub-8-phyllum: foliolis basi coalitis. Receptac. nudum vel foveolato-setosum. Flores coerulei, rarissime albi v. rosei.

Subtrib. XVI. APARGIEAE. Lessing, Decandolle et Ledebour cum *Scorzonereis* jungunt, a quibus pappo plumoso: plumulis radiorum stricte patentibus liberis, sejungi possunt.

CLXXVIII. APARGIA. Pappus plumosus persistens.

§. 1. OPORINIA. Radii pappi subaequales. Differt igitur a seq. §. ut *Phanoderis* a *Hypochoeride.*

§. 2. VIREA. Radii pappi inaequales, exteriores breviores scabri.

CLXXIX. CLOSIROSPERMUM. Pappus plumosus deciduus; radiis basi in annulum connatis, exterioribus brevioribus piliformibus. — *Picris* Rec.

Subtrib. XVII. SCORZONEREAE. Pappus villoso-plumosus, plumulis radiorum intertextis. Receptac. nudum, glabrum v. fibrillosum, ut in anteced. XIV–XVI. Achenia generum sequentium in rostrum attenuata.

CLXXX. TRAGOPOGON. Involucrum uniseriale 6–12 phyllum, basi connatum. Radix ♂.

CLXXXI. SCORZONERA. Involucrum imbricatum. Radix ♃.

Subtrib. XVIII. HYPOCHOERIDEAE. Pappus plumosus. Recept. paleaceum, paleis deciduis.

CLXXXII. HYPOCHOERIS. Char. subtrib. — §. PHANODERIS differt tantum pappi setis aequalibus omnibus plumosis (nec exterioribus brevioribus, solum scabris).

SUBTRIB. XIX. LACTUCEAE. Pappus pilosus. Recept. nudum. Achenia plano-compressa, rostrata vel erostria.

CLXXXIII. TARAXACON. Involucrum imbricatum, subcalyculatum. Flores multiseriales. Achenia subcompressa, superne muricata, apice longe rostrata. — Scapi nudi uniflori. Anthesis diurna.

⋇ LACTUCA. Involucrum calyculato-imbricatum. Flores 2–3 seriales. Achenia longe rostrata. Anthesis sub solstitio eximie matutina, 10$^{h.}$ terminata. — *L. sativa* L. ubique in hortis oleraceis colitur.

(⋇) MYCELIS Cass. Decandollio tantum subgenus *Lactucae*, a qua differt: involucro oligophyllo, capitulis 5floris, floribus uniserialibus.*)

CLXXXIV. MULGEDIUM. Involucrum calyculato-imbricatum. Achenia compressa, substriata, apice attenuata, erostria. Flores coerulei. — Decandolle et Ledebour propter pappum sordidiorem et rigidiorem ad *Hieracieas* ducunt, cui vero achenia compressa contradicunt; Koch contra tantum pro subgenere *Sonchi* agnoscit, a quo pappo basi in annulum setulosum juncto (*Lactucae* instar), haud mollissimo et vix candidissimo recedit.

CLXXXV. SONCHUS. Involucrum imbricatum, breve conicum. Flores multiseriales. Achenia non rostrata, ovata. Anthesis sub solstitio matutina.

SUBTRIB. XX. HIERACIEAE. Pappus pilosus. Recept. in generibus seqq. nudum. Achenia teretia vel angulata, rostrata v. erostria.

CLXXXVI. BARKHAUSIA et CREPIS = HIERACIOIDES. Involucrum calyculatum v. subimbricatum. Achenia teretia vel subcompressa, 10–30 striata, apice angustiora vel in rostrum attenuata. Pappus albus mollis. — Lessing, Decandolle et Ledebour ex in-

---

*) *Mycelis muralis* Rchb. = *Lactuca mur.* Fresen. 1832 = *Prenanthes mur.* L. in ruderibus et sylvis Ingriae occid. indaganda est. Crescit in Livonia finitima circa Heiligensee! et Dorpat, in ins. Hochland (Schrenk). Indicata etiam fuit in ruder. et nemorosis Petropoli, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 364, s. n. *Pren. mur.* L., sed 1837 ab ipso omissa). ♂ ⊙.

✲

dole pappi ad *Lactuceas* transferunt, sed in *Hieracium* transit hoc genus.

CLXXXVII. HIERACIUM. Involucrum imbricatum. Achenia teretia, 10-striata vel subprismatica, ad apicem usque aequalis latitudinis, penitus erostrata. Pappus rigidiusculus, fragilis, demum saepissime sordidus v. flavescens.

A. CAPITATAE.

CLIII. CIRSIUM.

Κίρσιον Diosc. (*Cirsion* Plin.) dictum, quia dolores varicum (κιρσῶν) sedat, ut Dioscorides ex Andrea refert; e sententia cel. Fraas est *Carduus tenuiflorus*, a quo tamen descriptio apud Dioscoridem in pluribus discrepat. Matthiolus 1558 pro *Cirsio Dioscoridis* plantam depingit, quam pro *Cirsio Monspessulano* declarant; sed *Cirs. canum* et *pannonicum* (*serratuloides*) multo magis cum verbis Dioscoridis convenirent. Planta Matthioli pro typo generis *Cirsii* agnita fuit a Gesnero, Lobelio, Dalechampio aliisque. Dodonaeus 1574 et Clusius 1583 plures species genuinas s. n. *Cirsium* descripserunt, ita ut titulus *Cirsii* genericus apud C. Bauhinum 1623 ideam generis Tournefortiani fere exprimat (quod tantum anthodio non spinoso distinctum novit a *Carduo*); aliae vero *Cirsii* species sub aliis titulis adhuc latebant. Tandem genus *Cirsium* ex indole pappi optime definivit Vaillant 1718, distinguens insuper aliud genus s. n. *Eriocephalus*, quod Haller 1742 recte cum *Cirsio* conjunxit. Linné *Cirsium* a *Carduo* separare noluit.

302. *C. lanceolatum* Scop. = *Card. lanceolatus* Tabern. 1590 c. fig.! J. Bauh. 1651 fig.! Linné = *C. lanceatus* (Gerard ed. Johns. 1636 fig.! Raj.) *latifolius* C. Bauh. 1623! et herb., Moris., Tourn.!

Folia decurrentia, supra spinuloso-strigosa, subtus glabra v. parce floccosa. Capitula magna; anthodii arachnoidei squamae apice in spinam stramineam terminatae.— Variat β. *hypoleucum:* fol. subtus densius cano-lanatis; haec forma vulgatior, quam typica, folia interdum profundius pinnatipartita laciniis angustioribus offert, in modum *C. italici* G. Rchb. tab. 96. *C. nemorale* Rchb. 1831, herb. norm. n. 2429! a nostro β. diversum videtur foliis radic. sinuatis longioribus, subtus albidis; sec. Nägeli in typum transit. Simillimum *C. Drejeri* G Rchb. 1833, t. 96 anthodiis distincte brevioribus pollicaribus insigne.

Juxta vias, in suburbiis et ruderatis ubique copiose. Floret a fine Junii vel serius ad finem Octobris usque, frigoris levioris patiens; fruct. mat. fine Julii v. serius. ♂.

Hist. spec. Petropoli frequentissime (Gmel. Fl. Sib. II, 1749, p. 66, n. 51 ex synn. Haller, Dodon. et J. Bauh.); ad sepes, non raro etiam ad ductus aquarum (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 127; Sobol. Petr. 1799, p. 188, n. 516; ed. ross. II, 1802, p. 132, n. 531 sub *Carduo*); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ruderatis et ad vias copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 374); ubique (Turcz. 1825, n. 484 sub *Cnico*); in ruder. et ad margines viarum fossarumque (Weinm. Petr. 1837, p. 78, n. 520).

303. *C. palustre* (Tourn. 1698 et Vaill. fide Haller!) Scop. = *Card. palustris* Gesner Collect. 1587. Raj. L. (et eo teste etiam C. Bauh. 1620 et herb., fide Hagenbach, obstante tamen Haller, qui *C. crispum* fuisse asserit) = *Card. pratensis polycephalos* C. Bauh. (1620!) 1623! Tournef. 1700 sub *Cirsio!* — Fig. bonam primo exhib. Gmelin in Fl. Sib. II, t. 23, f. 2!

Capitula sessilia racemoso-glomerata, parva ($^1/_2$ - $^3/_4$ poll. longa). Squamae involucri exteriores spinulosae, interiores appendiculatae, muticae. Folia decurrentia, profunde pinnatifida, segmentis bifidis. Caulis 1-5 ped., subsimplex. — A *Carduo crispo*, quocum Linnaeus in hort.

Cliff. adhuc confudit, facile dignoscitur: pappo plumoso et fol. caulinis anguste linearibus. Variat capitulis solitariis pedunculatis in apice ramorum subcorymbosis (fere *C. palustri-lanceolatum* G. Rchb. tab. 112, sed capitula *C. palustris*). *Cirsia* vere hybrida apud nos nondum observata.

In pratis uliginosis et sylvis humidis ubique copiose. Floret a fine Junii, saltem ad finem Augusti. ♂.

Hist. spec. Ingria in colliculis, palustribus locis vicinis (J. G. Gmelin Fl. Sib. II, 1749, p. 57, n. 47, tab. 23, fig. 2 bona! sub n. *Cirsium* foliis pinnatifidis, laciniis linearibus, caule crispo, capitulis mitibus in vertice congestis); in sylvis paludosis non procul a Strelna! nihil hac planta vulgatius (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 128 s. *Card. palustri*); in sylvis pal. circa Murinam, Strelnam!, Catherinhoffii et in multis aliis locis similibus (Sobol. Petrop. 1799, p. 188, n. 518; ed. ross. II, 1802, p. 133, n. 533, s. *Card. palustr.*); in pratis et sylvis paludosis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 374); ubique (Turcz.! 1825, n. 483 s. *Cnico pal.*); in pratis et pascuis humidis, paludosis ubique (Weinm. Petrop. 1837, p. 78, n. 521).

Adnot. J. G. Gmelin in mss. 1733, n. 99 ubique a Petropoli ad Twer m. Aug. et Sept. flor. et fruct. vidisse perhibet plantam, forte huc referendam, sed falso pro *Carduo s. Polyacantha vulgari* Tournef. Inst. rei herb. determinatam. — Petropoli (Siegesb. Primit. Fl. Petrop. 1736, p. 33 sub n. *Cirsium Ingricum*, *Dipsaci* foliis laciniatis, elatius et polyanthemum; — syn. forte rectius ad *C. helenioides heterophyllum*). Planta Petrop. Ammani in Ledeb. Fl. Ross. citata, ad *Carduum crispum* pertinet.

304. *C. helenioides* Allione 1785, tab. 13! = *Carduus helenioides* Linné 1753 fide cit. Haller, cujus plantam in Fl. Suec. 1745 a *C. heterophyllo* non diversam esse affirmavit, sed 1753 et serius sub *C. helen.* allegavit; certe Lightf. 1777! = *Cirsium* n. 15 Haller 1742, tab. 21 optima! = *Cirs. Helenii folio*, capitulo magno Vaill. 1718 si huc: *Cirsium britannicum* s. *anglicum* Clus.

1583 s. 1601 fig. rudis, quae a cel. Rchb. ad *C. anglicum* Lamck. citatur; = probabilius: *Card. montanus foliis Helenii* non spinosus Camer. 1588! e montibus Hermundurorum circa urbes metallicas, jam ap. Clus. 1583 obiter memoratus s. n. *Card. mollis Camerarii.*

Capitula longepedunculata, subsolitaria, magna. Folia glabra, subtus niveo-tomentosa, basi cordatâ amplexicaulia, margine spinuloso-ciliata, omnia indivisa lanceolata. Caulis 1-6 ped. Radix repens.

β. *C. heterophyllum* All. 1785, tab. 34! solum var. prioris esse, ipse suspicatus est et ita jam a Gmelino 1749 describitur = *Carduus heterophyllus* L. 1753! (1737). Folia caulina intermedia antice pinnatifida, segmentis lanceolatis. Variat foliis omnibus pinnatifidis et caule polycephalo.

In pratis humidis, fruticetis siccioribus, ad margines sylvarum fere ubique copiose, α. rarior, praesertim in locis elevatioribus siccis (v. g. Arbonje), sed quoque in depressis humidis (ad ostia Newae). Floret a fine Junii ad initium vel rarius finem Augusti m. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Siegesbeck Prim. Fl. Petr. 1736, p. 33 s. n. *Cirsium Ingricum*, *Dipsaci* foliis integris, humilius et floribus paucioribus purpureis; an etiam huc syn. Siegesb. sub *C. palustri* supra citatum?; facile tunc pro nova specie haberi poterat, descriptio vero non exhibita fuit, unde paulo incertum syn.); in ripa Newae circa Catharinenhof, ut et insulâ cui a rotunditate nomen est, una cum *Carduo crispo* non infrequens; floret sub finem Junii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 128 s. *Carduo heterophyllo*, cum observ. e qua ad absentiam α. typicae concluderes), nec non in praedio Com. Czernischew, quod est ad 17 werstam viae regiae, quae Peterhoffium ducit (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764 s. *Card. heter.*); in ripa Newae c. Catharinhof, in insulis lapidea! rotundaque et ubique in pratis humidis sylvosis frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 189, n. 519 s. *Card. heter.* — vidi spec. ex ins. «Camini» Ostrow, Jul. 1779 lectum in Hb. Acad.), atque Strelinae! et ad margines sylvarum

prope Sarskoje Selo (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 134, n. 534 s. *Card. heter.*); in sylvis et pratis humidiusculis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 375 s. n. *Cirs. heter.* Dec. *a.* integrifolium, *b.* heterophyllum); ubique (Turcz! 1825, n. 486 sub *Cnico heter.*); *a.* integrifolium (Fl. Dan. t. 109) in locis siccis aridis, *b.* intermedium et *c.* laciniatum in locis fertilibus (Weinm. Petrop. 1837, p. 78, n. 522 s. *Cirs. heterophyllo* All.).

Adnot. Linnaeus, asserens se utrasque species suas per 20 annos in horto aluisse, adhuc 1771 diversitatem specificam urget. *C. helenioides* a Linnaeo distinguitur caule duplo altiore (6 ped.) magis paniculato, pilis patentibus adsperso; fol. integris subtus albis (nec niveis), in caule numerosissimis (40–50, nec tantum 5–10), radice vix repente. Specimina herb. Linneani, referente Smithio differunt insuper capitulis in caule sessilibus 4 vel pluribus duplo minoribus. Ledebour indubie hanc pro var. declarat, in Sibiria obveniente, unde Linnaeus quoque habuit.

305. *C. pratense* (Trag. 1552! fig. mala quoad capitula nuda; Gesner 1561, Pena et Lobel. 1570, fig. bona! J. Bauh. 1651 c. fig.! sub *Carduo*) = *Cnicus pratensis* (Tourn.) Lamck. = *Cirsium oleraceum* Scop. (Linné 1753 sub *Cnico*) = *Cirsium acanthoides pratense* Vaill. 1718! = *Card. pratensis latifolius* C. Bauh. 1623! et herb., Raj. et plur.

Capitula terminalia congesta sessilia, foliis ovatis decoloribus bracteata et subinclusa. Flores ochroleuci. Involucri squamae spinulosae, apice patentes. Folia utrinque glabra, spinuloso-ciliata, amplexicaulia, inferiora pinnatifida, superiora integra serrata. Caulis 1–5 pedalis. — Variat (ex Weinm.) floribus dilute purpurascentibus (Tourn.); var. integrifolia Koch (β. Linné = *Cirs. latissimum* C. Bauh.) nondum heic observata. Planta post foenisecium denuo florida (sec. Rchb. fil.) folia anthodialia gerit abbreviata; an haec forte erat *C. tataricus* Sobol.?

In pratis humidis, ad vias sylvarum udarum recenter structas, secus fossas et rivulos, etiam in umbrosis hortorum, fere ubique magna copia; an etiam in isthmo Kareliae? deest in Fennia, si Alandiam excipis. Floret saltem a fine Junii ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. In Ingria et Carelia non infrequens (Gmel. Fl. Sibir. II, 1749, p. 60, s. n. *Cirsium* n. 48); passim in sylvis subhumidis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 129 s. *Cnico oler.*, ut seq.); in sylv. subhum. et in hortis oleraceis passim (Sobol. Petr. 1799, p. 189, n. 521), in pratis humidis, sylvis, hort. olerac. et hortis magna copia (Sob. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 135, n. 536); in prat. humid. et ad rivulos copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 376 s. *Cirs. oler.* Dec.); in sylv. humid. insularum Gutujew! et Jelagin, ad viam Peterhofianam! (Turcz! 1825, n. 487 s. *Cnico oler.*); in pratis, pascuis et sylvis paludosis (Weinm. Petr. 1837, p. 79, n. 524 s. *Cirs. oler.* cum var. β. floribus dilute purpurascentibus); Tsarskoje Selo, Lissino, Gatschina, Siworitzy etc.

***Obs.* 1.** *C. tataricum* Wimm. Grab. Petropoli (Sobol. ex Georgi 1790, p. 515, n. 493 s. *Card. tatar.* L.); in monte Pulcovo, tum in sylvis humidis inter Sarskoje Selo, Gatczinam et montem Duderovium, fl. Jun. Jul. (Sobol. mss. 1779 ex R. Diatr. 1845, p. 78; Sob. Petr. 1799, p. 189, n. 520; ed. ross. II, 1802, p. 135, n. 535 s. *Card. tatar.*). H. Mertens in mss. 1823 plantam Sobol. pro *Cirs. oleraceo* explicat, loca citata conveniunt. Genuinum *C. tataricum* ab hoc differt: statura humiliori, foliis subdecurrentibus, ad basin magis spinosis, bracteis angustioribus brevioribus subviridibus.

***Obs.* 2.** *C. acaule* All. in Livonia (Ledeb.) et tota Esthonia (W. et Wied.) indicatur; in Ingria occid. tamen frustra quaesitum.

306. *C. arvense* Tourn. (1694!) 1700! Vaill. Scop. = *Breea arvensis* Less. 1832! = *Serratula arvensis* L. = *Carduus arvensis* Gesner Collect. 1587, Tabern. 1590 fig. opt.!

Capitula dioica, paniculato-corymbosa, subcylindrica, semipollicaria. Radix repens. Caulis a basi ramulosus. Folia spinuloso-ciliata, inferiora subdecurrentia. In sequentes formas dissolvi potest:

α.) *horridum* Wimm. Grab. 1829 (Engl. Bot. t. 975!) = *Card. vulgatissimus viarum* Gerard ed. Johns. 1636 fig.! Raj. Folia omnia undulato-pinnatifida, decurrentia, valde echinata. In ruderibus ad ostia Newae et in ipsa urbe copiosissime, floribus interdum albis, ceterum satis constans forma. Planta Linnaei segetalis est, nec ruderalis.

β.) *typicum* Tabernaemontani = *mite* W. Gr. Folia subplana, caulina sinuata, ramea integra vel dentata, mitius echinata. Huc forte *Card. avenarius* Thal. 1588, qui *Card.* in *Avena* proveniens Trag. 1552, p. 856 obiter descr.

γ.) *C. setosum* M. Bieb. 1819 = *Serratula setosa* Willd! 1800 e Silesia = *Cirs.* n. 46, var. IV. Gmelin 1749! Folia omnia plana integra vel subdentata, ciliata. Frequentius quam β, praesertim segetale.

⁂ *δ.) C. incanum* Fisch. 1812, M. Bieb. 1819 (var. III. Gmel. Sibir. l. c.!). Folia integra vel lobata, subtus niveo-tomentosa. Citatur in Sobol. Fl. Petrop., an planta hornotina *Carlinae*, *Cirsii helenioidis* aut *Cardui crispi?*, nam in Rossia australi primum obvenit.

In agris desertis, inter segetes praecipue *Avenam*, ad sepes, vias et rudera, in suburbiis, circa pagos, ubique maxima copia. Floret ab initio Julii vel (praesertim ruderalis) serius usque ad initium vel imo finem Octobris; fruct. mat. fine Aug. ♃, sec. Dec. et G. Rchb. ♂.

Hist. spec. J. G. Gmelin in mss. 1733, n. 107 citat «*Cirsium angustifolium non laciniatum* C. Bauh. 1620» a Petropoli usque ad Twer ubique florens et fruct. m. Aug. et Sept., quod cum *Card. serratuloides* L. esse nequit, forte ad *C. setosum* pertinet. In Ingria et Karelia passim provenit (Amman Ruth. 1739, p. 138 n. 183 s. n. *Cirs. elatius* polycephalon glabrum, foliis imis laciniatis,

superioribus integris; Ledeb. in Fl. Ross. ad γ. ducit, an potius β?); in Ingria frequentissima, ubi varietatem IV. collegi (Gmel. Flor. Sibir. II, 1749, p. 56 sub *Cirsio* n. 46; ergo *C. setosum*); in sylvis et ad ripas Newae! fl. praesertim autem ad sepes frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 127 s. *Serratula arv.* L.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795 — ibi tantum α. vidi); in sylv. ad ripas Newae fl. et inter segetes Pargelovii!, prope Ligovo! et Crasnoy Cabac et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 187, n. 515; ed. ross. II, 1802, p. 130, n. 529 s. *Serrat. arv.*); communis in campis cultis, praesertim *Avenae* summum vitium! fl. Jul. Aug. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 17, tab VI; var. γ.); inter segetes vulgatissime (Weinm. Pawl. 1824, p. 376 s. *Cirs. arv.* Dec.); ubique (Turcz. 1825, n. 485 sub *Cnico setoso* M. B.), in locis cultis et ruderatis, praesertim verò inter segetes, Jun. ad Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 79, n. 523; additum: *b.* sinuatum et *c.* pinnatifidum).

CLIV. CARDUUS.

Carduus Plinii XXI, 16 vox generalis videtur, variis plantis spinosis hujus tribus conveniens; sylvestris forte e *Carduis* nostris, hujus (XX, 23) commemorat duo genera: unum fruticosius a terra statim ramosum, alterum unicaule crassius, utrique folia pauca spinosa. Apud patres pari modo nomen *Cardui* vagum pro *Cirsiis*, *Carduis*, *Serratulis* et *Saussureis*. C. Bauhinus 1620 quosdam genuinos *Carduos* hoc nomine descripsit v. g. *Card. Personata*, *Card. defloratum* et in Pinaçe ejus «*Cardui spinosissimi*» magis quam ceteri tituli nostro generi respondent, nam *C. nutantem* et *C. crispum* continent. Istae 2 species jam a Dodonaeo 1583! pro *Carduis sylvestribus* Plinii habitae fuerunt (unde nomenclatura hodierna rectissima esset, sed *C. crispus* desideratur in Italia) et a Lobelio 1576, nec non Gesnero 1587 et 1553 pro *Carduïs* descriptae. Vaillant 1718! (non Tournef. aut

Linné) auctor characteris artificialis et ideoque generis hodierni est.

307. *C. crispus* L.; Rchb. Fl. Germ. exs. n. 1668! (non Icon. tab. 149, fig. 1, quae var. hic non obvia) = *C. spinosissimus angustifolius vulgaris* C. Bauh. herb.! et Loesel. 1703, p. 34, tab. 5 bona! = *C. caule crispo* J. Bauh. 1651 fig.! sed haud descriptio; Tourn. Vaill. = *C. asininus* Gesner 1553 (teste Haller; C. Bauh. ad *C. nutantem* duxit).

Capitula in apice ramorum subaggregata parva ($^1/_2$—$^3/_4$ poll.), ovata, quidpiam constricta, pedunculis tomentosis elongatis v. abbreviatis nudis vel seriatim spinulosis insidentia. Involucrum fere *C. acanthoidis*, sed squamae intimae fere semper purpurascentes; variat rarius late squamosum. Folia molle herbacea, supra viridia opaca, subtus arachnoideo-incana v. tomentosa oblonga, sinuato-dentata, vel pinnatipartita, margine ciliata vel mitius spinulosa, ad caulem decurrentia. — Adest etiam var. capitulis pedunculatis parcioribus, quae in humidis umbrosis enascitur. Cum Linnaeus speciem suam descripserit foliis sinuatis tantum, varietas pinnatifida emersit.

Secus vias, ad sepes, in suburbiis, ad pagos, in ruderibus, ubique copiosissime. Flor. et fruct. ab initio Julii vel prius ad finem Octobr., frigoris levioris patiens. ♂.

Hist. spec. Amman in mss. 1735 sub n. 71 plantam enumerat, «Petropoli juxta hortos ubique crescentem m. Jun. et Jul. florentem», sibi dictam «*Cirsium* polycephalon, mollius, foliis inferioribus laciniatis, superioribus integris»; forsan *C. crispus* diu male descriptus, hinc Ammanio novus. Ingria prope Duderhoff (Amman Ruth. 1739, p. 137, n. 182 sub n. «*Cirsium* caule crispo, foliis laciniatis subtus tomentosis», addita descriptione); passim, floret sub finem Junii (Krasch. Fl. Ingr. ed. Gort. 1761, p. 128; tempus florendi deest in mss. Krasch.); ad sepes hortorum et ad vias passim (Sobol. Petr. 1799, p. 188, n. 517); in agris prope Goreloy Kabak, Sarskoje-Selo et ubique ad vias et sepes (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802,

p. 132, n. 532); in locis cultis et ruderatis ubique, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 373); ubique (Turcz. 1825, n. 482); in loc. cult., ruder., fruticetosis, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 79, n. 525 cum var. β. pinnatifida).

• ⚹ 308. *C. acanthoides* Vaill. 1726! Linné 1751! 1753! Fries hb. norm. Suec. XIII, 3! (non J. Bauh. 1651, ut L. putavit) = *C. asininus* Gerard 1636 fig.! = *Polyacantha Theophrasti* Tabern. 1590 fig. bona! = *C. spinosissimus vulgaris* Lobel. 1576 fig.! = *Scolymos*, *Carduus sylvestris* Dodon. 1559 fig.!

Capitula erecta, in apice ramulorum corymbosorum solitaria mediocria (3/4 poll.), ovato-subglobosa medio constricta, pedunculis brevibus tomentosis, (uno saltem latere) crispato-spinosissimis insidentia. Involucri squamae exteriores erectae vel subsquarrosulae lineares subulatae longae, intermediae breviores sub apice sphacelatae, internae latiores longiores inermes. Folia glabra chartacea decurrentia sinuato-pinnatipartita, lobis palmato-trifidis valide spinosis, margine echinato-ciliatis.

Petropoli (H. Mertens mss.! 1823; Kühlew.! ex Ledeb. Fl. Ross. II, 1846, p. 719); in ins. Kronstadt (Prescott ex Turcz. 1825, n. 481): ubi in ruderibus, forsan saburra navium exortis, plura specc. sed unico tantum loco 1844 vidi (R. Diatr. Petr. 1845, p. 78, 28) et ibidem iterum a. 1852 legi: etiam ex alio loco circa Petrop. (Kalamäkki) lectum a D. Hassar accepi. Introducta species? Floret et fruct. m. Aug. ♂ (sec. G. Rchb. ♃).

⚹ 309. *C. nutans* J. Bauh. 1651 fig. bona!, Raj. 1686! Rupp. Linné, Fries Hb. norm. Suec. VII, 5! = *C. moschatus* etc. Pluken. 1696! Vaill.! = *C. muscatus* Gerard 1636! c. fig. ex Dodon. = *Cirsion* 3 tota sua stirpe magis spinosum Dodon. (sec. Raj.) = *Card. arvensis major*, purpureo flore, qui flore nondum nato moschum olebat Gesner Collect. 1587 (sec. Haller). Flores vespere moschum olent sec. Lightfoot, sec. alios tempore aestivo.

Capitula nutantia! solitaria magna (subpollicaria) et ampla, apice non constricta, pedunculis inermibus arachnoideo-tomentosis 1–2 poll. insidentia. Involucri squamae medio constrictae; pars superior refracta ovato lanceolata, valide cuspidata, 5–7 lin., saepe purpurascens. Folia decurrentia pinnatifida, glabriuscula, horride spinosa. ∓ Ludit capitulis (floriferis) majoribus et minoribus, turgidioribus vel angustioribus. Caulis saepissime ramosus.

Petropoli (H. Mertens mss. 1823; Turcz. 1825, n. 480): copiosissime in ruderibus ad ostia Newae fl., ubi saltem ex a. 1847 aderat, nunc latius propagatur. Introducta species? Aderat jam diu in moeniis urbis Fredrikshamn (W. Nylander Fl. Karel. 1850, p. 127). Floret et fruct. ab initio Julii v. serius usque ad init. Octobr. ♂.

CLV. ARCIUM.

Lappa (Virgil. et) Plin. XXI, 17 est ἀπαρινη Theophr. sive *Galium Aparine*, nam aliubi inter humicaulia enumerat et inter lentes nasci eosque interimere ait, non est igitur *Bardana*, ut Brassavolus et recentius Fraas asserit. Nomine *Lappa* omnes donatae fuerunt plantae vel partes earum, quae vestibus adhaerent, ut *Bardana*, *Xanthium*, *Agrimonia*, *Galium Aparine* (germanice Kletten). Plinius XXV, 9: «Quidam *Arcion*: *personatam* vocant (quasi larvam πρόσωπον, quod folia faciem a solis ardore arceant, vel quod veteres tribus foliis utebantur pro larva, primo frontem, duobus aliis ambas malas tegentes), cujus folio nullum est latius, grandes lappas ferentem ..... *Persolata* quam nemo ignorat, Graeci vero *Arction* (lege *Arcion*) vocant, folia habet majora, etiam *Cucurbitis* et hirsutiora, nigrioraque et crassiora, radicem albam (intus quidem albam, foris vero nigram ex Diosc.) et grandem». Hic locus Plinii (ubi tantum capitula lappas appellat, nec plantam) e Dioscoride fugaciter exscriptus est et plantam ejus spectat ἄρκειον sive προσωπίς s. προσώπιον dictam, quam Galenus ἄρκτιον ἕτερον

appellat. *Arction* enim primum Galeni s. *Arcturon*, ut quoque figura rudis in Codice Dioscoridis Caesareo et ex eo in Dodonaei Pempt. 1583 translata demonstrat, videtur *Celsia Arcturus*. Hinc Dodonaeus fallere ait illos, qui nominum similitudine decepti *Arcium* idem cum *Arctio* esse autument. Et recte. Nam ἄρκτιον ut plantam diversissimam ab ἄρκειον describit Dioscorides. Patet hinc locus in Codicibus Plinii corruptus et error Galeni, qui ambas plantas ejusdem generis esse credidit. Hinc genus nostrum neque genuina *Lappa* (ut Brunfels 1531, Tragus, Tabern. et Rec. credunt), neque *Arctium* (ut Caesalpinus et Linné scribunt), sed verum *Arcium* Dioscoridis, Fuchs 1542!, Dodon. 1553 c. fig.! Cord., C. Bauh.! Raj. 1724. Hoc nomen ut antiquissimum et paulo tantum abludens ab *Arctio* L. et pl. Recent. servari potest. Est etiam *Personata* Plin. (Fuchs, cui *Personatia!*), Matth. 1558!, Lobel!, Camer!, Dalech., J. Bauh., Raj. 1688!, nec non *Bardana* vulgo ex Fuchs 1542!, Hispanis et Gallis ex Matthiolo 1558!, officinis et Dodon. 1583!, J. Bauh.; Rajo 1682 genus!. Jam Apulejus *Personatam* etiam *Dardanam* appellari scribit; Mesuae 1484! *Bardana* et *Lapa* inversa et *Personatia* synonyma sunt. Genus naturalissimum jam a Dioscoride et multis patribus melius intellectum, quam a systematicis nonnullis serioribus v. g. Linnaeo, Lamarckio, Mönchio, Schkuhrio, qui varia heterogenea ad miscuerunt. *Arcia* apud nos adeo polymorpha, ut vel Dillenianas species pluresque agnoscere, vel ad *A. Lappa* α. et β. Linnaei iterum redire haud absurdum videatur. In Graecia, observ. Fraas, rarissima sunt, in Italia vero vulgaria.

310. *A. tomentosum* Schkuhr tab. 227, Pers. 1807!, Pl. medic. Düsseld. c. ic.! Koch = *Lappa tomentosa* Lamck. 1778! All. 1785! = *A. Bardana* Willd. 1800 (speciem cultura comprobavit!) = *A. Lappa* β. Linné 1753!. Epitheton *tomentosum* ap. J. Bauh. 1598,

C. Bauh. 1623!, Moris., Tourn., Vaill., Dillen. in Raj. 1724, n. 4!

Capitula corymbosa (fastigiata). Involucri arachnoideo-lanati squamae interiores coloratae subradiantes apicibus rectis obtusis mucronatae (nec uncinatae). Car. G. Reichenbach flores poscit anthodiis distincte longiores et achenia brunnea, transverse obscurius lineolata, quae in nostra angulata et maculis nigrescentibus notata. Variat *glaberrima* Fries 1828! tomento arachnoideo in capitulis et facie inferiori foliorum deficiente. Petrop. (Borszczów!).

In ruderibus et pomoeriis, ad vias et sepes ubique copiose. Floret ab initio ad finem Julii vel interdum ad finem Sept.; fr. mat. a fine Julii. ♂, aut tertio demum anno florens.

Hist. *spec.* A Petropoli usque ad Twer ubique, fl. Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 108 sub syn. C. Bauh. ambiguo; an huc?); ad sepes et in locis ruderatis fere ubivis (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 127 s. *Arct. Lappa;* Ledebour in Fl. Ross. II, 748 plantam Gorteri ad *Lappam majorem* Koch amandat, synn. vero a Gorter allata *A. tomentosum* evidenter indicant; species haec ceterum exstat in mss. Krasch. sub n. 136 a Gorter praeterviso); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in locis cultis et ruderatis ubique (Sobol. Petr. 1799, p. 187, n. 513; ed. ross. II, 1802, p. 128, n. 528 s. *A. Lappa*); abundat in ruderatis et ad vias (Weinm. Pawl. 1824, p. 372 s. *A. Bardana* W. ut seq.); in oleraceis et ad domos in insulis Newae fl.! (Turcz. 1825, n. 479); in cultis, ruderatis, ad margines sylvarum (Weinm. Petrop. 1837, p. 78, n. 517 s. *Arct. tom.*).

311. *A. minus* Schkuhr; icon. pl. medic. Düsseld.! = *Lappa minor* Dec. (non Brunf., Fuchs, Trag. et al., quae *Xanthium* Diosc.) = *A. Lappa* α. Linné (p. p. etiam *A. majus* includit), Smith 1804 in Engl. Bot. tab. 1228 opt.! forma vulgaris nostra = L. major capitulis parvis magn. nucis Avellanae: 3-tia et 5-ta Dillen. in

Raj. 1724 (formae heic nondum repertae) = *Personata* Matth. 1558 et Camer. 1586 quoad figuras! = *A. montanum* s. *Lappa minor* Lobel. 1576 c. fig.! e Sommersetia pr. Bathoniam = *Personatia* Fuchs 1542 fig. opt.!

Capitula racemosa. Involucri glabri vel sub-arachnoidei squamae omnes subulatae et uncinatae, interiores coloratae. Folia minora, subtus pallidiora, sed vix canotomentosa. Caulis plerumque humilior ceteris speciebus. — Variat heic: 1.) *microcephalum*, capitulis vix semipollicaribus haud coloratis; haec videtur *Lappa* n. 6 Dillen. in Raj. 1724!; 2.) capitulis majoribus fere pollicem latis, non semper coloratis; 3.) *macrocephalum*, capit. fere $1\frac{1}{2}$ poll. latis, maximis, glaberrimis; an *A. intermedium* Lange ex G. Rchb. tab. 81, fig. 1?, sed anthodia tota cum caule purpurascentia; haec in ruderibus urbis Kronstadt cum varr. 2 et 4.) fere cum *A. majori* confluente, decolori, inflorescentia ambigua, fol. subtus cano-tomentosis, achaeniis angustioribus magis compressis.

In ruderibus, circa pagos, juxta vias, fere ubique copiose; floret initio vel fine Julii; fine Aug. flores et fr. mat. ♂.

Hist. spec. Conf. *A. majus*. In ruderatis (Weinm. Pawl. 1824, p. 372 s. *A. min.* M. Bieb.); in fossis (Kastalsky mss. s. *A. Lappa*); prope Raebowam (Weinm. Petr. 1837, p. 78, n. 518).

312. *A. majus* Schkuhr; icon. pl. med. Düsseld. opt.! = *L. major* Koch (vix Gärtn.) = *L. officinalis* Allione 1785, teste syn. Haller!; G. Rchb. Cynar. tab. 81, fig. II.! = *L. major* 1.: capitulo glabro maximo, in diametro pollicari, basi latiore! colore semper virente, e Kent pr. New Cross Dillen. in Raj. 1724 (speciei auctor!).

Capitula corymbosa, magna ($1-1\frac{1}{2}$ poll. lata), ovata, depressa. Involucri glaberrimi squamae omnes subulatae et uncinatae, semper virides. Folia majora, superiora subcordata, subtus albo- vel cano-tomentosa. Addit G. Reichenbach flores anthodium vix excedentes et achenia

brunnea concoloria, quae in spec. Petr. investigato parva ($2\frac{1}{2}$ lin.) maculis nigrescentibus notata. Fimbriae obovatae v. clavatae in marginibus squamarum anthodii, quas Schkuhr tab. 227 depinxit et peculiares huic speciei credidit, etiam in *A. minori* reperiuntur.

Hist. spec. In meridionali regione Newae fl. prope vicum Uljanka et ad sepes hortorum (Sobol. Petr. 1799, p. 187, n. 513 s. *A. Lappa* β. glabro, ut in ed. ross., forsan potius ad *A. minus* pertinet, nam in mss. ejus 1779, n. 29 invenitur *A. Lappa* β. capitulis minoribus lana destitutis, e locis ruderatis et hortis oleraceis passim); in agris, ruderatis, ad vias, ad fl Newa pr. vicum Uljanka, ad viam Peterhoffianam, prope Ligowo et ubique (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 128, n. 528; non procul a via Peterhof. lectum fuit *A. tomentosum* glaberrimum, an hoc?); in ruderatis, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 372 s. *A. maj.* Thuill.); in oleraceis et ad domos, e. g. prope Lachtam (Turcz.! 1825, n. 478 s. n. *A. Lappa* L.); ad sylvarum margines ad viam publicam Ischoram inter et Nicoloskoje, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 78, n. 519 s. *A. maj.* Schk.); plantam Schkuhrii vel saltem Kochii Petrop. nondum vidi (R. Diatr. 1845, p. 13). Species tantum recepta ex auct. Weinm. et Turcz. cujus specimen examinavi. Plurima pars *A. minus* capitulis majoribus glabris vel *A. tomentosum* glaberrimum fuisse videtur.

CLVI. CENTAUREA.

Κενταύριον nomen accepit, quod Chiron Centaurus eo curatus fuerit, cum Herculis excepti hospitio tractanti arma, sagitta excidisset in pedem. Dioscoridi et Plinio duplex est: minus et magnum. *Centaurium minus* Diosc. et plur. patr. sive *Centaurea* Brunfels 1536! est *Erythraea Centaurium*. *Centaurium majus* s. *magnum* Diosc. et Plin. nec non plur. patr. v. g. Tragi, Cordi, Gesneri, Clusii (sive *Centaurea major* Caesalp. 1583) apud C. Bauhinum titulus genericus pro *C. Centaurium*,

C. alpina et tertia specie, hinc pars generis Linnaeani, cujus jam variae species aliae praeter recensitas a patribus s. n. *Centaurium* descriptae v. g. *C. Jacea*, *C. Scabiosa* et *C. paniculata* a Gesnero 1561 et J. Bauhino, *C. glastifolia* a Commelyno, *C. peregrina* a Boerhaavio. Plurimae vero species a patribus sub *Jacea*, *Cyano* et *Stoebe*, titulis genericis apud C. Bauhinum militant. *Cyanus* Plinii propter colorem floris cyaneum v. coeruleum nomen accepit. *Jacea* Lobel. et Clus. dicta, ut ait Tournefort, a jacendo, quod saepe humi prostrata sit; sed antiquior est *Jacea* Brunfels 1536, Trag. et al. (*Viola tricolor*), quae radicem habere videtur ab *Ja* = ἴον, flos s. viola (conf. supra p. 124), titulus vagus, hinc *Jacia alba* Ruell. 1536, quae *Melandryum* videtur, *Jacea nigra* Hier. Braunschweig 1500, quae *Succisa* (Trag.). Tournefort genera sua: *Cyanus* et *Jacea* haud distincta esse jam indigitat; Haller utrumque conjunxit s. n. *Cyanus*, *Calcitrapam* (Lobel.) Vaill. 1718 vero agnovit; tandem Linné hanc addens et *Crocodilium* Vaill. (nec non *Rhaponticum* Vaill. et *Amberboi* Vaill., quae tamen diversa erant), genus suum *Centaurea* composuit, quod fere hodierno respondet.

313. *C. Jacea* L. = *Jacea nigra pratensis latifolia* C. Bauh.! herb. et pl. = *Jacea nigra* (vulgatior Lobel. 1576 fig.!) Tabern 1590 fig. bona! = *Centaurii pratensis species* Gesner 1561 (sec. C. Bauh. et Haller).

Anthodii squamae inferiores sordide albidae scariosae, superiores appendicibus rotundatis v. obovatis pallide fuscis v. castaneis, omnes cucullatae indivisae vel irregulariter lacerae, inferiorum saepissime fimbriato-pectinatae. Folia varia: inferiora late ovalia petiolata, superiora oblonga sessilia, omnia integerrima vel nonnulla sinuato-incisa v. pinnatifida. Achenia pubescentia, brevissime papposa; pappus duplo brevior, quam in *C. phrygia*, $^1/_8$ lin. longus, caducus (hinc a Linnaeo et Rec. praetervisus; sectiones *Lepteranthus* et *Jacea* vix diversae).

Variat heic rarius: 1.) fol. sublinearibus, 2.) margine

aequaliter serratis, 3.) indumento floccoso sparso, 4.) flosculis radiantibus nullis. Forma Petr. vulgatissima offert appendices anthodii plerasque fimbriato-pectinatas (γ. *lacera* et p. p. δ. *commutata* Koch Syn. ed. 2); hanc olim cum Kochio pro *C. pratensi* Thuill. habui, sed recentius opinionem illius mutatam video; *C. pratensis* Rchb. Fl. Germ. exs. n. 2032 nobis omnino peregrina. Inter formas varias apud G. Reichenbach depictas, tantum *cucculligera* (Cynar. tab. 23, f. II.) speciem nostram exprimit, reliquae capitulis angustioribus recedunt. *C. decipiens* Rchb. pl. germ. exs. n. 2030, 2031 melius quadrat. Planta Linnaeana describitur fol. radic. sinuato-dentatis; haec C. Bauhino varietas erat.

In pratis fertilibus, pascuis siccis, secus vias, in fruticetis, locis incultis, arenosis, ubique copiose. Floret a medio Julio vel serius usque ad finem Sept.; fr. mat. ab init. v. medio Aug. ♃.

Hist. spec. A Petropoli usque ad Twer, fl. et fr. Aug. Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 101 s. *Jacea nigra* Gerard); in Ingria passim (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 140); in sylvis et pratis passim (Sobol. Petr. 1799, p. 204, n. 565; ed. ross. II, 1802, p. 177, n. 582; varr. habet fol. radic. integris et pinnatifidis); in pascuis, sylvis et ad versuras agrorum promiscue omnes varietates, a Jun. ad Octobr. (Weinm. Pawl. 1824, p. 411; Petr. 1837, p. 83, n. 555 cum cit. Fl. Dan. t. 519, quae α. Pawl.; β. *denticulata* Bull. herb. tab. 227, fol. caul. basi profunde unidentatis, quae β. et γ. Pawl.; γ. fol. inferioribus sinuatis, super. integerr., quae δ. Pawl. cum cit. *C. livonica* Weinm. Catal. h. Dorp. 1810); ubique (Turcz.! 1825, n. 518); *C. Jacea pratensis* Thuill. Petropoli passim, at saepe in typum abiens (R. Petrop. 1845, p. 81, ubi varr. γ. et δ. Weinm. Pawl. huc referuntur).

314. *C. phrygia* L. Fl. Suec. 1763!! (tantum e Fennia habuit); R. Diatr. Petr. 1845, p. 81–83 integra restitutio plantae genuinae e locis Linnaeanis; C. A. Meyer! in Bull. Acad. Petr. VI, 1847 (non Rchb., Koch et De-

cand., quae ad 3 diversas et alias species pertinent) = *C. austriaca* Koch! Ledeb. Fl. Ross! G. Rchb. Cynar. t. 30, fig. I. opt.! = *Jacea latifolia capite hirsuto* Loesel. 1703 (c. locis special.) = an? *Jacea austriaca villoso capite elatior* Clus 1583 c. fig.

Anthodii squamae inferiores et mediae appendicibus nigricantibus arcuatis! lanceolatis v. linearibus, tenuissime et longe fimbriato-pectinatis (opus phrygium constituentibus), interioribus rhombeis, intimis ovalibus dentato-laceris castaneis reliquas supereminentibus. Folia integra margine serrata, plerumque latiora et breviora, quam in *C. Jacea.* Achenia $1^1/_2$ lin. longa, breve papposa; pappus $^1/_4$ lin. longus persistens. — In Diatr. l. c. varr. addidi: β. *fusca*, appendicibus squamarum intermed. capituli fusco-nigris, fimbriis fulvescentibus; γ. *remota*, append. remotioribus brevius fimbriatis, haec var. fere refert *C. transalpinam* Schleicher, sed praesentia pappi differt, abit vero in typum, nec non in var. β.

In graminosis siccioribus, lapidosis et montosis, fruticetis, pratis sylvaticis, hinc inde sat copiose in isthmo Kareliae (m. Poclonnaja, Pargola cum var. γ.) et reg. elevata (Slavianka, Lissino cum β., Gatschina, Arbonje etc.), rarius secus Ligowkam in reg. demissam descendens. Extra Fl. Petrop. non ubique obvia, v. g. Lampowo ad fl. Oredesh (Faldermann!), copiose inter Staraja Ladoga, Tschaplina et Schumm (capitulis saepe minoribus ludens); ad fl. Pljussa pr. Polja, sola var. γ. parcius. Ex parte boreali lacus Ladoga, ubi vulgatissima, in Savoniam, Tavastiam et Nylandiam propagata, unde Linnaeus speciem accepit. Floret a medio et fine Julii; initio et medio Aug. fr. mat. et flores ultimi. ♃, e semin. educata saepe primo anno floret.

Hist. spec. In pratis circa Catharinenhof, flor. sub finem Junii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 139 s. *C. phrygia* L. ut seqq.; planta Gorteri in Ledeb. Fl. Ross. II, 1845, p. 693 sub *C. phrygia* Kochiana militat, specie diversâ, scil. *C. pseudophrygia* C. A. Meyer, quae in Rossia haud occurrit) et passim in sylvis montosis (Sob.

Petr. 1799, p. 203, n. 562): in monte Pulcovo, Osinovae Rosczae! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 175, no. 579); in locis herbosis vulgaris, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 408 sub *C. phrygia* var. 2: M. Bieb. III, 1819, p. 587, quae teste Hb. M. Bieb. nostra planta fimbriis paulo longioribus, e Mosqua; Weinm. Petrop. 1837, p. 83, n. 556 sub *C. austriaca* Willd.); ubique (Turcz.! 1825, no. 515).

315. *C. Cyanus* L. = *Cyanus segetum* C. Bauh. 1623! = *Cy. vulgaris* Lobel. 1576 fig.!; Presl. = *Cy. sylvestris* Fuchs ed. 1549 fig.! = *Cyanus* Plin.; Ruell. 1536!; Fuchs 1542 fig.!; Dodon 1553 fig.! et pl.

Radix tenuis annua. Herba sesquipedalis vel minor, saepe araneoso-floccosa. Folia ± anguste linearia, infima denticulata v. rarius pinnatipartita. Anthodii 3–6 lin. lati squamae margine serrato-ciliato, albo-scarioso vel fuscescente. Flores radiantes, pulchre cyanei, disci violacei. Achenia longitudine pappi.

Inter segetes, olim introducta, nunc ubique maxima copia, non raro in loca vicina et rudera aberrans. Floret a fine Junii per totam aestatem, specc. serotina imo ad init. Octobr. frigoris levioris (— 5° R.) patientia. ⊙.

Hist. spec. Ubique inter segetes a Petrop. usque ad Twer, Aug. et Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 87 ex syn. C. Bauh.); passim inter segetes (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 139); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); vulgatissima inter segetes (Sobol. Petr. 1799, p. 204, n. 563); ubique inter *Secale*, *Hordeum* et *Avenam* (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 175, n. 580); inter segetes vulgaris, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 409; Turcz. 1825, n. 516); segetes Cerealium amat et ornat (Weinm. Petr. 1837, p. 84, n. 558).

316. *C. Scabiosa* L. Engl. Bot. tab. 56 bona quoad colorem capitul.; Fl. Dan. t. 1231 bona quoad habitum = *Jacea* III Tabern. 1590 fig.! = *Jacea major folio multum lacinioso* Pena et Lobel. 1570! excl. fig. in Observ. = *Centaurium collinum Gesneri* J. Bauh. 1651! et *Cen-*

taurii pratensis species collina major Gesner 1561 = *Scabiosa major* Matth. 1562, Camer. 1586 fig.?, Tabern 1590 fig.? Figurae apud patres displicent omnes, exc. forte illa *Jaceae* III.

Rhizoma residuis petiolorum destructorum comosum. Folia scabriuscula, radicalia subbipinnatipartita: segmentis subhorizontalibus, caulina pinnatipartita, laciniis lanceolatis dentatis vel linearibus integerrimis. Achenia longe papposa.

Ludit capitulis glabris vel rarius ad appendices floccoso-lanatis, 7–15 lineas latis, fimbriis appendicum $^1/_4$–1 lin. longis vel rudimentariis, appendicibus ipsis pl. m. latis et magnis (R. Diatr. Petr. p. 81); vidi imo exemplar serotinum (in Hb. Borszczow) caule semipedali ramosissimo, capitulis c. 12 florentibus, discoideis, magnit. cap. *Cent. Cyani*, vix 5 lin. latis. Inter anthodia vero ipsa duplex diversitas existit (quoad varia plantarum loca?). In una, quam pro typica habeo (G. Rchb. Cyn. tab. 43 f. I, II) anthodia *Cyani* in modum stramineo-viridia, appendicibus fusco-nigricantibus parum evolutis triangule variegata. In altera β. *melanocephala* (R. l. c.) anthodia fusco-atra magna, propter appendices solito magis evolutas et squamas ipsas occultantes (exceptis intimis prominentibus), fimbriis plerumque longioribus (1–2 lin.); haec multum quidem convenit cum *C. Kotschyana* Koch (G. Rchb. t. 44, f. I), sed caulis et folia omnino typicae, in quam transire videtur.

In montosis siccioribus, fruticetis declivibus, ad sepes et margines agrorum elevatorum, haud semper copiose, nec ubique, vix in reg. demissa; β. Jukki (Kühlew. ex R. Diatr. 1845, p. 81), Spankovo. Floret ab initio Julii ad med. Aug., serotina initio Sept. ♃.

Hist. spec. In sylva ad fl. Strelnaja, flor. sub medium Julii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 140); in m. Pulcovo!, circa Strelinam, in m. Poclonnaja et Murinae, aliisque in locis montosis sylvosis (Sobol. Petr. 1799, p. 204; n 564; ed. ross. II, 1802, p. 176, n. 581); ad versuras agrorum et in locis graminosis siccis, Jul. Aug. (Weinm. Pawl.

1824, p. 409); in locis elevatis e. g. ad viam Wiburgensem trans primum pagum Pargolam! et copiose in montibus Pulcowo! et Luderovo! (Turcz.! 1825, n. 517); in herbosis siccioribus (Weinm. Petr. 1837, p. 84, n. 557); Lapuchinka, Kauschta, Gatschina, Gorodetz, ad catar. fl. Wolchow.

CLVII. CARLINA.

Vulgo quasi *Carolina*, a Carolo magno Rom. Imper., cujus exercitus usu radicis *Carlinae acaulis* a peste liberatus et praeservatus fuisse credebatur. Tam ab Hetruscis, quam ceteris fere Italiae incolis vulgo *Carlina* vocatur (Matth. 1558!), a Gallis, Belgis aliisque *Carline* (Dodon. 1583!). Sed Ruellius 1536 potius opinatur, quod vox *Carlina* ex *Cardina* et haec ex *Carduo* orta sit. Optimam inter patres ideam generis *Carlinae* habuit Clusius, qui 3 species novit, sed *Cirsium acaule* generi admiscuit. Tandem characterem e radio sterili posuit Tournefort et genus lege artis stabilivit. An una e *Carlinis* χαμαιλέων λευκός Theoph. et Diosc. sit, jam patres multum inter se dissentiebant; Fraas plantam Theophrasti pro *Chondrilla juncea*, illam Dioscoridis pro *Atractyli gummifera* interpretatur, χαμ. μέλας Theophr. et Diosc. vero pro *Carthamo corymboso*. *Carlina acaulis* in Graecia non crescit.

317. *C. vulgaris* L. = *Carlina sylvestris* (Dodon. 1554! et 1583 fig.!) *vulgaris* Clus. 1601 fig. bona! Tourn. Vaill. = *Carduus vulgaris* Matth. 1562, Dalech.! = *Cartamus! sylvestris* Trag. 1552 fig.! = *Atractylis mitior* Fuchs 1542 fig. bona!; in edit. 1549: *A. vulgaris minor!*

Planta nobis speciosa, habitu alieno australi, exsucca, chartacea, tota indumento tenui arachnoideo-floccoso vestita. Caules stricti $1/2$–$1 1/4$ ped., aut simplices 1–3-cephali, aut plures ex una radice. Folia caulina ovato-lanceolata, inciso-serrata, marginibus echinatis, involucralia

capitulo breviora. Squamae anthodii radiantes albido-flavae. — Variat saepe foliis angustioribus et longioribus, margine magis aequaliter serrato; passus ad *C. longifoliam* Rchb., cui folia involucralia capitulo longiora.

In montosis apricis siccis, substrato calcareo reg. elevatae fere ubique copiose (Duderovo, ab Ilkina ad Arbonje, Lapuchinka, Kauschta), similibus locis ad fl. Pljussa pr. Polja et ad lacum Tscheremenetz pr. Nawolok; in collibus sterilibus arenosis isthmi Kareliae (Toxowa) et circa pagum Retün pr. Gorodetz; deest omnino in reg. demissa. Floret a medio, rarius initio Julii; fin. Aug. deflorata fr. mat. et in tali statu emortua in annum sequentem non raro persistit. ♂.

Hist. spec. Per totam Ingriam locis siccioribus (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 129); in locis siccioribus elevatis passim, praesertim circa m. Duderhovium! et Krasnoje Selo (Sobol. Petrop. 1799, p. 190, n. 522; ed. ross. II, 1802, p. 136, n. 537); in locis montosis aridis Duderhovii, Pulcovae, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 377); ubique in collibus arenosis e. g. Pargolae, Murinae in m. Duderhovianis (Turcz.! 1825, n. 488); in collibus aridis siccis (Weinm. Petrop. 1837, p. 79, n. 526).

B. CORYMBIFERAE.

CLVIII. (PSEUDO-) EUPATORIUM

non esse verum Dioscoridis, sed officinarum tempore Fuchsii et multorum patrum, jam sub *Agrimonia Eupatoria* (supra p. 352) expositum fuit. Itaque nomenclatura hodierna *Eupatorii* et *Agrimoniae* superstructa est officinis antiquis. Dodonaeus 1553 sub n. *Pseudohepatorium* nostram plantam et *Verbesinam* (*Bidens*) intelligit.

(318.) *E. cannabinum* (Avicennae, Offic. ex Lobel. 1570! fig. rudis) C. Bauh. 1623! et herb.; Raj. Tourn. L. = *Cannabina aquatica Eupatorium dicta, mas* Pena et Lobel. 1570! = *Eup. vulgare* Camer. 1586! fig. mala, Dalech. 1586 fig.! (non Trag. 1552!) = *Hepatorium vulgare* s. *adulterinum* Dodon. 1583! fig. mala = *Eupatorium Avicennae* Matth. 1558 c. fig.! Gesner Coll. 1587 = *Pseudohepatorium mas* Dodon. 1553 fig.! = *Eupatorium aquaticum* Fuchs edit. 1549 fig.! = *Eupatorium adulterinum* Fuchs 1542 fig.!

Caulis 2–4 ped. crispato-puberulus. Folia opposita (alterum exemplum in *Compositis* nostris praeter *Verbesinam*), digitato-tripartita: laciniis lanceolatis serratis. Cyma corymbosa. Flores 4–6 in capitulo, roseo-purpurei.

Hist. spec. In insula! Narowae fl., quae supra! cataractas, frequens est, alias nullibi visum (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 130; Sobol. Petr. 1799, n. 526; ed. ross. II, 1802, p. 139, n. 541; Krasch. in mss. hanc insulam Lochovensem appellat et plantam 30 Jul. detexit, observavit stigmata saepissime 3); Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 237, n. 939; statio falsa, pari modo ac Petrop. in Ledeb. Fl. Ross. II, 465; imo locus Krasch. strenua limitatione ad Esthoniam relegandus est); in fruticetis subhumidis prope Narwam (Weinm. Petrop. 1837, p. 80, n. 529, habuit a Riedero e cataractis, an ex litore esthonico?); sat copiose non solum in loco Krasch., sed etiam in ripa Ingrica fl. Narowa infra cataractam in fruticetis humidis; item ad scaturigines in sylvis humidis primaevis Ingriae austr. occid., e septemtrione stat. Lotschkina; maxima copia circa cataractas fl. Wolchow in ripis elevatis calcareis scaturiginosis (R. Iter Ingr. in Bull. Acad. XII, 1854, p. 77, 82 s. 212, 215); in sylvis inter fl. Oredesh et pagum Lampowo (Faldermann!). Florere incipit medio v. rarius initio Julii; init. Aug. flor. et deflor. fr. mat. ♃.

CLIX. TUSSILAGO.

Βήχιον Diosc., Plinio referente, tussim sedat, quare *Tussilago* dicitur. «*Farfara*» in pluribus Codicibus Plinii scribitur «*farranum* sive *farfugium*, Graecis *Chamaeleuce*» (in quo Plinius errasse videtur, apud Dioscoridem enim aliter describitur). Haec *Farfara* ad *Tussilaginem* synonymi instar tantum adferri potest ex verbis Plinii alio loco, ubi asserit, quosdam putare Bechion alio nomine *Chamaeleucen* dici; praeterea ex Matthiolo, qui *Farfaram* ab Hetruscis dici audivit. *Tussilago* et *Petasites* C. Bauhino tituli generici; sub *Tussilagine* tamen admixtae sunt *Homogynes* species. Tournefortio *Tussilago* genus purissimum, a Linnaeo posthac ita corruptum, ut mirum videatur, hunc pro auctore generis a recentissimis citari.

319. *T. Farfara* Lobel. 1581 fig.! L. = *T. vulgaris* Camer. 1588! Tabern. C. Bauh.! Tourn. Vaill. Lamck. = *Ungula caballina* Brunf. 1530! Trag. = *T. sylvestris* Plin.! = *Tussilago* Plin.! — Ruell. 1536, p. 58! Fuchs 1542 fig.! Matth. 1554! fig.; Dodon. 1553 fig.! Lobel. 1576 fig. bona! et plurr. patr. = βήχιον Diosc.! Plin.! — Dodon. gal., Cord.

Rhizoma crassum, carnosum, scapos plures floccoso-lanatos emittens. Folia cordato-reniformia, margine sinuato-dentata, supra glabra, subtus albo-tomentosa.

In declivibus apricis siccis, praesertim argillaceis, ad margines agrorum et latera fossarum, ubique copiosissime; etiam in graminosis subhumidis. Floret interdum ante medium (10) Aprilis, rarius ab initio usque ad medium Maji; fr. mat. medio et fine Maji; rarissime fine Maji flores ultimi simul cum foliis novellis; m. Junio folia evolvuntur, quae non raro per hyemem exsiccata in annum sequentem restant.

Hist. spec. Beatus Hebenstreit circa Strelnam! legit flor. sub init. Maji 1750 (Krasch. Ind. mss.); in locis editioribus argillosis et Strelnaja!, et in utraque ripa Ne-

vae fl. superiorum ejus regionum, copiosissime, sed et per totam Ingriam locis convenientibus minime hospes (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 134); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in locis editioribus, argillosis, humidis, in utraque ripa Nevae fl. circa Ochtam et fabricam Porcellaneam, in monte Pulcovo! et Strelina! et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 195, n. 538) atque prope Murzincam, officinam lateritiam!, fabricam pyriam Ochtensem et in insulis Nevae! fl. (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 156, n. 555); in locis argillosis ubique; floret post nivis deliquescentiam (Weinm. Pawl. 1824, p. 387); in ins. apothecaria! et aliis insulis! Nevae fl. atque in pluribus locis, solo argillaceo vulgatissime (Turcz.! 1825, n. 501); in solo argillaceo et ad fossarum latera, primo vere (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 538).

CLX. PETASITES.

Genus bene limitatum apud Tournefortium, Rajum, imo C. Bauhinum. Πετασίτης Diosc., ex ipso nomen accepit a petaso, propter foliorum formam galeri modo amplum; ab omnibus patribus in nostrâ quaerebatur, quod an rectum fuerit, propter paucitatem verborum relictorum vix pro certo asserere licet. In Graecia a Sibthorp visa, sed recentius non reperta; cl. Fraas credit, plantam Diosc. ex Italia superiore fuisse.

⚹ *P. vulgaris* C. Bauh. 1623! herb. (J. Bauh. 1651! fig. e Fuchs repetita); Park. Desf. = *P. officinalis* Mönch 1794 = *Tussilago Petasites* L. = *Petasites* Fuchs 1542 fig.!; Trag. 1552 fig.!, Dodon. 1553 fig.! et plurr. patr.

Folia cordato-reniformia, inaequaliter sinuato-dentata, subtus lanuginoso-canescentia, adulta maxima diametro ultrapedali. Scapus florifer livide coloratus. Flores purpurascentes.

Ad scaturigines in solo turfoso; primo vere (Weinm.

Petrop. 1837, p. 81, n. 539 s. *Tuss. Petas.*); in coemeterio quodam circa urbem semel repertam fuisse audivi, nec posthac iterum visa, an forte plantata?; deest in Esthonia (ex W. et W.) et in Fennia usque ad Alandiam, ubi verisimiliter antea culta (Nyland. Distr. pl. Fenn. 1850, p. 79); circa Dorpat a Weinm. indic.

Adnot. T. Petasites L. ad fl. Lugam infra pagum Itowskaja (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 134 et ex hoc in Ledeb. Fl. Ross. sub Petrop.; Sobol. Petr. 1799, p. 196, n. 539; ed. ross. II, 1802, p. 157, n. 556; falso apud Gorter et Sob. legitur «Howskaja») certe est *P. spuria* sequens.

§. NARDOSMIA Cassini.

320.) *P. spuria* Rchb. 1831, Fries. = *Tuss. tomentosa* Ehrh. 1788 (vidi specc. Ehrh. ex a. 1781, quibus manu propria «*T. spuria*» inscripsit) = *Tuss. spuria* Retzius I, 1779, tab. 2 opt.! e Scania loco spec.; Fl. Dan. tab. 1828 bona!; Fries herb. norm. II, 4 exacte! = *Petas. maritima Borussiae Mentzelii* Moris. 1699! ex Mentzel. 1682!, propter locum et fl. albos.

Folia pedatinervia, triangule hastata, basi profunde cordata, lobis lateralibus 2–3-lobis, margine inaequaliter crenulato-denticulata, novella utrinque niveo-tomentosa; primordialia subtus cano-floccosa, adultiora pedalia v. minora supra glabra. Flosculi albidi, ♀ breve ligulati, stylis longe exsertis. Corymbus sexus ♀ simplex fastigiatus, ♂ ovatus inferne ramosus, utriusque capitula longe pedunculata. Vaginae surculorum amplae.

In insula quadam arenosa Lugae fluv. prope Itowskaja inter Salices copiose (locus Krasch., vide supra), nec non in ripis ejusdem fl. paulo infra Jamburg magna quantitate (R. Iter Ingr. in Bull. XII, 1854, p. 78, 91 s. 212, 221); D. Herrath recentius copiosam vidit ad limites territorii Lissinensis secus viam ad Tsarskoje Selo ducentem, floruit tempore *T. Farfarae.* Ad Lugam fl. fine Maji et med. Jul. foliis jam evolutis, absque vestigiis surculorum floriferorum. ♃.

Obs. *P. frigida* Fries 1845, herb. norm. XIV, 8! = *Tuss. frigida* L., Svensk. Bot. t. 680! e Lapponia usque ad lacum Onega pr. Petrosawodsk (Nylander Fl. Karel. 1850, p. 126), urbem Olonetz (Olbricht in hb. Acad.! et apud Schtscheglow II, 1825, p. 226) et Savolax (Nyland. 1843) descendit. Forte in paludibus ad limites orientales Ingriae adest. In statu sterili jam facile dignoscitur foliis subtriangulari-cordatis, profunde sinuato-dentatis fere lobatis, subtus cinereo-tomentosis. Scapi floriferi saepe laminam rudimentariam in apicibus vaginarum offerrunt; capitula breve pedicellata, foeminea late ligulata vel eradiata; racemus brevis compactus.

CLXI. ASTER.

Ἀστὴρ ἀττικός Diosc. (i. e. stella in Attica praecipue provincia vulgaris) a multis patribus et recentius a cel. Fraas pro *A. Amello* habetur, qui propter capitula stellae instar radiata *Aster* nominatur, ut Plinius scribit. Cum vero *Aster* duplex apud Diosc. exstet, floribus purpureis aut luteis, plures *Inulae* Linnaei etc. usque ad Tournefortium admixtae restabant, quas Vaillantius 1720 ad genus *Helenium* retulit, species purpureas sub genere *Aster* intelligens. *Galatellâ* a Cassinio segregatâ, character *Asteris* quoque acutius stabilitus fuit.

⁂ 321. *A. praecox* Willd. Enum. hort. Berol. Suppl. 1813 ex N. Esenb. 1818 et 1832!, fide quoque specc. hoc nomine 1820 in horto Dorpat. cult. e seminibus ab Hornem. missis; nec non specc. cult. a Chamisso et hort. Erfurt a Bernhardio 1841 acceptorum, paulo tantum diversorum; = *A. salignus* Liebmann 1849 in Fl. Dan. tab. 2475, sec. specc. ex Altona a Sonder missa, exactissime quoad habitum!!, at minime *A. salignus* Willd. Jam ante 20 annos in salicetis ad ripas Moldaviae confluvii Albis, pr. Pragam apparenter spontaneam legi, omnino Petropolitanis quibusdam specc. angustifoliis con-

formem. Origo americana dubia, ab auctoribus tantum supposita, nec specc. spontaneis corroborata; proxima quae vidi americana s. n. *A. simplex* ab Un. itin. distributa, capitulis subsessilibus diversa erant. Forte species Europaea, in hortos translata et ex his iterum hinc inde aufuga.

Radix repens, autumno stolonifera. Caulis pallidus, $1-2\frac{1}{2}$ ped., simplex, superne lineato-pilosus. Folia caulina inferiora et media ± late ovato-lanceolata longe acuminata, basi in petiolum alatum et ciliatum attenuata, pauce et grosse serrata, tenuitate insignia, pellucide punctata et distinctissime reticulata, herbaceo-viridia. Folia stolonum obovato-spathulata, petiolata, serraturis paucis. Capitula in ramis pauca corymbosa vel imo solitaria, pedunculis longis et tenuibus, inferne aphyllis, plerumque strictis insidentia. Squamae anthodii in capitulis aestivalibus 3–4 lin., exterioribus saepe laxis subfoliaceis; in capitulis autumnalibus vix 2 lin. subaequales, apice vix purpurascentes (in quo descriptio apud Nees differt), basi angustatae. Radii angusti, in vivo albidi, in planta exsiccata vel decrepita lilacini, in capitulis majoribus 6, in minoribus vix 4 lin. longi, mox revoluti. — Variat in eodem loco *angustifolius:* fol. lanceolatis, superioribus minus evidenter petiolatis, serraturis minus profundis, magis appressis. Haec forma, praecipue si capitulis parvis onusta, accedit ad *A. lanceolatum* Lejeune (*A. leucanthemus* Rchb. Fl. Germ. exs. n. 974! in variis exempl. quoad habitum diversus, at semper tenuifolius), sed facile foliorum forma, reticulatione opaca, capitulis et pedunculis distinguitur.

Petropoli in regione demissa pluribus locis copiosissime et apparenter sponte, sed pro aufugo ex hortis habitus et propterea forte hucusque praetervisus. In fruticetis humidis insularum ad ripas Nevae fl. sitarum v. g. lapideae (1853) et praecipue apothecariae (ex 1848); ad sepes et fossas viae Peterhofianae (1851) et Pargolensis (1848); etiam in ruderibus horti Imp. Tsarskoje Selo (ex a. 1846). Floret saltem a fine Julii! usque ad finem Sept. ♃.

Obs. 1. Aliam legi speciem Petropoli, in pratis ins. apothecariae, ad ripas Nevae fl., medio et fine Sept. optime florentem, forte ex horto aufugam vel superstitem, proximam nisi eandem cum *A. brumali* β. N. Esenb. 1833 = *A. Novi Belgii* Willd. et plur. auct., non L. et Aiton. Ab *A. praecoci* primo obtutu diversa: foliis firmioribus, fere rigidis, inferioribus basi lata sessilibus subamplexicaulibus, brevioribus, pellucide reticulatis, capitulis plerumque majoribus, rigide et brevius pedunculatis bracteatis, squamis anthodii apice purpurascentibus, ligulis in vivo lilacinis latioribus. Haec species valde affinis est *A. salicifolio* Scholler 1787 c. ic.! (non Aiton 1789), hodie injuste *A. salignus* Willd. 1800 dicto, sed caulis tantum pedalis, folia breviora latiora, minus attenuata, superiora evidentius serrata. Icon apud G. Rchb. Corymb. t. 17, f. 1 cum nostra planta convenit, forte ex herb. Willd. facta, ubi teste Nees ab Esenb. (*Aster* p. 91) *A. brumalis* admixtus exstat. *A. salignus* Fries herb. norm. XIII, e Rendsburg nostro jam proprius accedit.

Obs. 2. *A. Amellus* L. ex Ingria (Georgi 1800, p. 1244, n. 4) in perpetuum delendus est.

§. TRIPOLIUM.

Tripolium Dodon.! Lobel.! Dalech. et genus h. n. apud C. Bauh. et N. Esenb. semper pro eadem planta habita fuit, ac τριπόλιον Diosc. Nomen habet non a canitie πόλιον, sed ἀπὸ τοῦ πολεῖν, quia flos ter de die colorem mutat, ut Dioscorides audivit, mane candidus, meridie purpureus, vesperi vero puniceus. Planta Dioscoridis, propter radicem in descriptione odoratam, suspecta, pro *Statice Limonio* (e radice) et *St. sinuata* (e floribus) interpretata a cel. Fraas.

322. *A. Tripolium* L. = *Trip. vulgare* Lobel. 1576 fig.! Dalech.!, Besler, N. Esenb. = *Trip. littorum* Pena et Lobel. 1570 e litorib. Anglicis et Narbonicis, Monspel. = *Tripolium* Dodon. 1553 fig.!

Glaberrimus, 1–2 pedalis. Caulis superne ramosus corymbosus. Folia subcarnosa, infima oblonga sinuato-dentata, caulina lineari-lanceolata, obsolete ciliato-scabra. Involucri squamae paucae, latae, obtusae, adpressae, interiores 3 — 4 lin. longae, saepe livido-purpurascentes. Ligulae lilacinae.

Ad ostia Newae fl. saltem ex a. 1848, quotannis copiosior rediit, at unico hucusque loco, an adportatus? (Kühlewein in litt., Borszczow!). Pro planta spontanea, recentioris licet originis, considerare propensus sum, cum in toto sinu Fennico crescat usque ad taenias Wiburgenses (Nylander Fl. Karel. 1851, p. 187); in salinis pr. Staraja Russa (v. Fink Enum. plant. 1834, n. 1003). Floret a fine Aug. ad init. Octobr. ♂, sec. Rchb. ♃.

※ BELLIS.

Bellis, ait Plinius 26, 5, in pratis nascitur flore albo, aliquatenus rubente. A plurimis patribus rectius pro *Bellide sylvestri*, quam pro *Leucanthemo vulgari* habita fuit. *Bellium* Plin. 21, 8 quod «quinquagenis quinis barbulis coronatur» forte *Bellium bellidioides* L. Romae et in Italia obveniens.

※ 323. *B. sylvestris* Gesner Coll. 1553! p. 490; Dodon. 1583 fig. bona! = *B. perennis* L. (tunc unica species perennis fuit, cujus var. β. *B. sylvestris* Cyrill.) = *B. minor sylvestris* Ruell. 1536! Fuchs 1542 c. fig.!; Tabern. 1590 fig.; C. Bauh. et plurr.

Planta Petrop. utplurimum pubescenti-hirta, foliis obovato-spathulatis longe petiolatis, scapo elongato, ut in figg. patrum citatis. Rhizoma parum evolutum indicat subannuam apud nos, plerumque e seminibus delapsis enatam. Var. *hortensis* C. Bauh.! et patr. s. *urbana* Gesner 1553! flosculis omnibus ligulatis, hyemis non semper patiens.

Hist. spec. In graminosis certe spontanea; ceterum in

hortis Imp. et aliis copiosissime, floret a primo vere in serum autumnum (Weinm. Petrop. 1837, p. 82, n. 547 s. *B. perenni*, ut seq. — planta subspontanea inventa fuit in sylva, longe ab hortis remota, 3 werst. a Bablowa versus Gatschinam); in graminosis hortorum Imp. Pawlowsk et Tsarskoje Selo disseminata, nunc sponte sua propagatur, antehac vero loco alio inculto prope Pawlowsk obs. cl. Weinmann indigena fuit (R. Petr. 1845, p. 24); in graminosis extra hortum Imp. Gatschinensem quasi sponte (R. Symb. 1846, p. 231; forma depressa secus vias crescens, similior formae apud Rchb. Corymb. t. 27); ad pedem montis Duderhof, olim disseminata. Cel. E. Meyer limitem bor. orient. cum *Fago* ponit et ccl. Bunge non admittit inter plantas indigenas prov. balticarum Rossiae.

CLXII. CONYZELLA.

Dillenius 1719 duo genera proposuit: *Conyzellam* (*canadensem*) et *Conyzoidem* (*coeruleam* Gesn.), quae posthac Linnè 1735 s. n. *Erigeron* in unum conjunxit, typo *Erig. coeruleo* J. Bauh. 1651! = *Erigeron* 3 v. 4 Dodonaei!, a Gesnero 1561 pariter *Conyzoides* s. *Dentellaria* appellato. Sed Ἐριγέρων Theophr. Diosc. verbotenus «vernus senex» latine *Senecio* vocatur, ut Plinius scribit, et *Senecio vulgaris* L. est, cujus flores cito ac ipso vere senescunt et in pappum mutantur. Flos expressis verbis luteus describitur! Hinc male *Erigeron* nominibus Dillenianis substituitur. *Conyzoides* Tournef. 1706 est *Carpesium cernuum*, ceterum nomen haud admittendum. *Panios* Adans. 1763 (πάνιος, unicolor) est quidem *Erigeron bonariense* L., sed nomen recentius *Conyzellâ* Dillenianâ. *Conyzoidi* Dill. vero exacte respondet *Trimorphaea* Cassinii 1825, nonnullis genus a *Conyzella* diversum. Tournefort et Vaillant species hujus generis ab *Astere* nondum distinxerunt; jam vero Rajus 1688 genus purum *Erigeronti* L. conforme habet.

324. *C. canadensis* = *Erig. canadense!* L. Fl. Dan. t. 1274! = *Virga aurea Virginiana* etc. Zanoni 1675, tab. 78, ej. edit. Monti 1742 tab. 23! (folia nimium serrata); Tourn. Vaill. Rupp. et al. = *Conyza canadensis annua* Boccone 1674 tab. 46! = *Conyza annua acris alba* etc. Moris. Praelud. 1669 et hist. Oxon. Sect. 7, t. 20, f. 29 Bocconiana! = *Aster canadensis annuus* Joncquet 1665! nomen solum, sed testimoniis coaetaneorum fixum. Planta Bauhinis ignota, verosimiliter introducta, licet hoc multi tempore Bocconii negaverint; circa Basileam ubi nunc vulgaris, C. Bauhinus vix praetervidisset.

Caulis strictus, $^1/_2-1^1/_2$ ped. foliosus, pilis rigidis divaricatis. Folia margine ciliato-pilosa, lineari-lanceolata, inferiora latiora remote serrata. Panicula oblongo-cylindracea, interdum composita. Capitula minima, $1^1/_2-2$ lin. Flores albidi; ligulae minutae. Odorem herbae tritae, *Aurantiorum* aut *Crithmi* instar, a Bocconio et Bertolonio memoratum, non percepi.

Ante 2 saecula e Canada et Virginia in Europa migrata (conf. Dillen. in Ephem. nat. cur. Cent. III. et IV. obs. 125; Linné Amoen. VIII, 9; Bertol. Fl. Ital. cui origo americana dubia, ut Pontederae et Bocconio), nunc in omnibus facile Floris Europae pro spontanea citatur, ita etiam in Livonia (Ledeb. Fl. Ross. et Bunge 1853). Petropoli in areis hortorum aufuga, ruderibus et plateis efferata; sed in collibus arenosis sterilibus inter urbem et fl. Luga omnino fere spontanea; ita quoque ad lacum pr. Weleni ad limites austr. gubernii (F. d'Osten Sacken). Floret a fine Julii usque ad init. Octobr. ⊙, nec ♂.

Hist. spec. Circa Petropolin (Rudolph. ex Georgi 1790, p. 516, n. 510 s. *Erig. canad.* ut seqq.); c. Petr. in agris cultis rarius, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 195, n. 536); in agris siccis sylvisque lapidosis circa Krasnoje Selo rarius (Sob. Petr. ed. ross. II, 1802. p. 155, n. 553); in ruderalis c. Petr. (Weinm. Pawl. 1824, p. 387); vidi in herb. Fl. Petrop. Katalskianis (R. Petrop. 1845,

p. 79); a. 1851 sat copiosam reperi ex septemtr. urbis Luga, sed a. 1853 et 1854 eodem loco frustra quaesita (R. Iter Ingr. in Bull. Acad. XII, 1854, p. 92 s. 223); in plateis ins. apothecariae per plures annos observata, sed 1853 non germinavit (conf. R. l. c.); singula specimina etiam in ruderibus ad ostia Newae observata ex a. 1848 (Kühlew. in litt. Borszczow).

§. TRIMORPHAEA Cassini.

325. *C. coerulea* = *Trimorphaea vulgaris* Cass. 1825, C.A. Meyer 1830! = *Erig. acre!* L.; rectius: *acer* G. Rchb. = *Erigerum vulgare* L. 1737! = *E. coeruleus* J. Bauh. 1651, p. 1043 fig.! = *Conyza coerulea* (Tabern. 1590 fig.!) *acris* C. Bauh. 1623! et herb. = *Erigerum quartum* Dodon. 1583 fig. bona! s. *tertium* id. 1554 fig.! = *Conyzoides coerulea* Gesner 1561, append. in Cord. p. 216.

Caulis $1/_2$–$1^1/_2$ ped. angulosus, saepe purpurascens, cum foliis hirsutus. Folia subintegerrima, infima oblongo-spathulata, caulina lanceolata. Capitula 3–4 lin. in apice caulis racemosa longe pedunculata. Ligulae lilacinae, haud conspicuae. — Variat β. racemo composito: pedunculis inferioribus vel omnibus ramosis, racemosis vel rarius (*E. corymbosus* Wallr. 1840! si pappus albidus) fastigiatis; γ. *asteroides* Decand. 1836! sub β. excl. forte synn. (in *E. asteroide* Andrz. ex Besser 1822 capitula corymbosa) = *var. serotina* G. Rchb. Corymb. tab. 26, fig. III! radio notabili, ligulis disco longioribus; haec Petropoli rarior, an *E. serotinus* Weihe, qui pappum rufum poscit. Color pappi ceterum sordide albus, in herbariis saepe post aliquot annos in griseum et deinde in rufum mutari videtur, specc. enim vetustiora numquam pappo albido offendi.

In collibus siccis, arenosis vel lapidosis, campis sterilibus, ericetis, ruderibus, ubique copiose. Floret a medio v. fine Junii ad med. Sept.; fr. mat. fine Julii v. prius. ♂ ♃.

Hist. spec. Plerumque in ruderatis (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 134 s. *Erig. acri*, ut seqq.); in ins. Kronstadt

(Georgi mss. 1795); in pratis siccis sylvosis et montosis, in insulis apothecaria, lapidea, in m. Poclonnaja! (Sobol. Petrop. 1799, p. 195, n. 537) atque Pargelovii! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 155, n. 554; hoc loco var. pedunc. bifloris, flor. 28 Jun. notavit Smjelovsky in Prod. Fl. Petrop. mss. 1806); in pascuis et ruderatis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 387); ubique (Turcz.! 1825, n. 500); in locis herbosis siccis, ad fossas et in aggeribus (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 537); Wuistawa et Staraja Ladoga.

CLXIII. CHRYSORHAPIS.

Solidago Linnaei est genus purissimum, cujus nomenclaturae auctorem false citat Vaillantium 1720; hic *Virgam auream* cum Tournefortio dixit et sub *Solidagine* intellexit (1720) *Seneciones* foliis non profunde incisis (*S. sarracenicum* et affines). *Solidago* vulgo et patribus titulus vagus erat, in modum *Consolidae: Solidago* Brunf. et Trag.! = *Bellis sylvestris!; S. sarracenica spuria* Trag. 1552! = *Hieracium murorum!; S. sarracenica vera* ejusdem triplex erat: *Senecio paludosus?, Lythrum Salicaria?* et *Inula germanica; S. sarracenica quarta* Loniceri = *Serratula tinctoria; Solidago* Dodonaei 1583 = *Symphytum officinale!;* celebratissima *S. sarracenica* plurr. patrum, certe Penae et Lobel., Dodonaei, erat *Senecio paludosus*, vix *Senecio sarracenicus.* Nulla species *Solidaginis* Linnaei ita unquam appellata fuit ante illum (nisi forte excipiamus Plukenetium). *Virga aurea* patrum fere omnium ante C. Bauhinum erat exclusive species nostra protea; C. Bauh. cum *Senecionibus* inspurcavit; Rajus 1688 ut subgenus flore luteo ab *Astere* tantum diversum considerat; genus Tournefortii exclusis quibusdam specc. satis purum; Decandolle, antecessore Ruppio, hoc nomen paululum mutatum (*Virgaurea*) ut §. generis *Solidaginis* admittit; idem nomen controversiis obnoxium, in graecum mutare ratius duxi, deficiente omnino alio in literatura antiquiori

aut recentiori. *Dorea* Narbonensium, quasi aurea, quam alii *Doriam* (ab Andrea Doria Genuensi duce) vocant, ex figura a Pena et Lobelio 1570 data omnino videtur *Senecio Doria* L.; ad hanc pertinent: *Doria* Gesner 1561, C. Bauh., herba *Doria* Lobel. fig. sinistra! Caesalp. et *Dorea* s. *herba aurea* Dalech.!. Propter similitudinem nominis a C. Bauhino cum *Virga aurea* et adhuc in L. Hort. Clift. cum *Solidagine* conjuncta fuit; tale genus dixit Adanson 1763 *Doria* (teste synn. citat.), quod diversum est a homonymo Dillenii 1719 (typo *Sen.* ut videtur *nemorensi*, licet synn. *S. Doriae* citet, et *S. sarracenico*), quare non admitti potest pro planta nostra.

326. *Chr. vulgaris* = *Solidago vulgaris* Lam. 1778! = *Sol. Virga aurea* L.! = *Virga aurea vulgaris* etc. J. Bauh. 1651 fig.! Park. Moris. Tourn. Vaill. = *V. aurea vulgo* dicta Gesner 1561, 1587 = *Virga aurea* Dodon. 1553 fig.! Matth. 1558! Camer. et plurr. patr.

Caulis 1–2 ped. et major, glaber vel praecipue superne pubescens. Folia simplicia, inferiora elliptico-serrata in petiolum attenuata. Racemus erectus simplex v. compositus thyrsoideus. Capitula 3–4 lin. Ligulae 5–8. — Planta polymorpha, praecipue quoad formam foliorum duplici modo a typica divergens: β. *angustifolia* minus serrata C. Bauh.! p. p.: foliis lineari lanceolatis, obscurius serratis vel rarius (Camer. 1586 fig.!) integerrimis; saepe folia linearia dense serrata; γ. *latifolia* serrata C. Bauh.! ex fig. Dodon.! Lobel.! et Tabern.! citatis: fol. late ovatis grosse serratis, caule plerumque elatiori.

In pratis siccioribus, pascuis; β. saepius in arenosis, pinetis, ericetis; γ. locis humidioribus umbrosis, sylvaticis. Copiose per totam Ingriam. Floret fine Junii v. serius usque ad med. Sept.; fr. mat. fine Julii. ♃.

Hist. spec. A Petropoli usque ad Bronitz ubique, fl. m. Aug. (Gmelin mss. 1733, n. 94 ex synn. J. Bauh.); Petrop. (Amman. mss. 1736, n. 104 ex syn. Tabern. C. et J. Bauh.); passim in sylvis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 136 s. *Solid. Virga aurea*, ut seqq.); in ins. Kronstadt

(Georgi mss. 1795); in sylv. et pascuis passim (Sobol. Petr. 1799, p. 197, n. 544): in m. Poclonnaja! Pargelovii! in insulis Nevae fl.! et ubique in loc. simil. (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 161, n. 561); in pascuis et sylvis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 392); ubique (Turcz.! 1825, n. 505); in pratis, pascuis, sylvis et fruticetis, Jul. ad Sept. (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 543).

CLXIV. VERBESINA.

Caesalpinus 1583 utrasque species nostras primus *Bidens* appellavit. Genus *Bidens* Tournefortii et Linnaei multas continet species expellendas; ita etiam *Ceratocephalus* Vaill. 1720. Ante et post Caesalpinum *Bidens* sub nominibus falsis aut titulis aequivocis: *Eupatorium*, *Pseudohepatorium*, *Verbena*, *Hydropiper*, *Conyza*, *Canabina* etc. latitabat. *Verbesinae* nomen, inquit Dillenius 1719, ánte Tournefortium jam receptum fuit et non tantum elegantius est, sed et magis conveniens, cum, si accurate advertas, plures plerumque quam duo dentes in seminum summitate compareant, ut *Bidentis* nomen huic generi minus apte tribuatur. Argumenti ponderosioris oblitus fuit cel. Dillenius. *Verbesina* est nomen genuinum et titulus genericus antiquior Caesalpiniano. *Verbesina* (*Verbena supina* Trag. 1552) Gesner 1561, J. Bauh.! Dillen.! Rupp.! est quoque *Forbesina* Bononiensium ex Gesner 1561 (aut *Torbesina*, ut Haller scribit) aut *Forbicina*, ut Pontedera 1720 vult (qui insuper genus *Bidens* capitulis radiatis diversum admisit) et Seguier 1745. Haec *Verbesina* in sectiones duas aut subgenera dividi debet, quarum una: *Bidens* platycarpeas species jungit, altera psilocarpeas: *Kerneria* Mönch 1794, quam G. Reichenbach genere sejungi suadet. *Pluridens* Necker 1790 etiam species platicarpeas pluridentes amplectit, hinc non perfecte cum *Kerneria* collidit.

327. *V. tripartita* (L. sub *Bidens*) = *Verbesina* s. *Canabina aquatica* flore minus pulchro, elatior J. Bauh.

1631! = *Cannabina aquatica folio tripartito* C. Bauh. 1623! et herb. = *Verbesina* Gesn. 1561 (ex C. et J. Bauh. Dillen.) = *Pseudohepatorium foemina* Dodon. 1553 fig.! = *Verbena supina* Trag. 1552!

Folia tripartita, in robustiori planta pinnato-5-partita, in debiliori integra inciso-serrata. Achenia subbiaristata. Capitula erecta discoidea. — Specc. minuta caule simplicissimo subunifloro a *V. integrifolia* minima facile dignoscuntur foliis superioribus latioribus brevepetiolatis et acheniis.

In iisdem cum sequente locis, sed adhuc vulgatior et copiosior. Flor. et fruct. a medio Jul. ad med. Sept. ⊙.

Hist. spec. Ad paludes frequentissima planta (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 130 s. n. *Bidens trip.* ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in paludibus insulae apothecariae! et passim ad ductus aquarum circa vias (Sobol. Petrop. 1799, p. 190, n. 523; ed. ross. II, 1802, p. 137, n. 538); in locis inundatis paludosisque, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 378); ubique (Turcz.! 1825, n. 489); in inund. et ad fossarum latera (Weinm. Petr. 1837, p. 79, n. 528).

328. *V. integrifolia* (sub epitheto *foliis integris* apud Thal. Raj. Moris. Ponted.) = *Bidens cernua* L. = *Bidens folio non dissecto* Caesalp. 1583 = *Canabina aquatica foemina septemtrionalium* etc. Pena et Lobel. 1570 fig. mediocris!

Folia lineari-lanceolata, superiora sessilia basi connata. Achenia sub-4aristata. Capitula demum cernua. — Variat β. *radiata* L. 1745! = *Coreopsis Bidens* L. 1753! = *Forbicina vulgaris* etc. Ponted. 1720! = *Verbesina pulchriore flore luteo* J. Bauh. 1651 c. fig.!; — γ. *minima* (L.! fide citato Fl. Dan. t. 312 s. n. *Bid. min.*) = *Verbesina minima* Dillen. 1719! et in Raj. 1745 c. fig.! haec eradiata est et a Decandollio ad *V. tripartitam* refertur, sed in fig. apud Rajum achenia tantum incuria pictoris biaristata videntur, nam planta ex habitu ad *V.*

integrifoliam pertinet; Petropolitana habet achenia 4-aristata ut in Fl. Dan.; Decandollio igitur ignota fuit.

In locis aquosis, inundatis, ubique copiose. Fl. et fr. Aug. et Sept. ⊙.

Hist. spec. Ad aquas stagnantes viae Moscoviensis usque ad novii pristan et circa Nowgorod, fl. Aug. (Gmelin mss. 1733, n. 3, ex syn. Caesalp.); in paludosis circa ecclesiam annuntiationis Christi copiosissime et non nisi floribus radiatis crescit (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 292, forma a Gortero neglecta); cum *B. tripartita* ad paludes, sed rarior (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 130 s. *B. cernua*, ut seqq.); in paludibus circa Catharinhoffium, ad ripas Nevae fl. et in insulis apothecaria! lapidea et Basileensi! alibique, sed in minori quantitate, quam *B. tripartita* (Sobol. Petr. 1799, p. 191, n. 525; in ed. ross. II, 1802, p. 138, n. 540 excluditur ins. apoth.); *Coreopsis Bidens* L. ad fossas et ductus aquarum circa Petrop. (Sob. Petr. 1799, p. 203. n. 561; in ed. ross. II, 1802, p. 174, n. 578 additur locus spec. Catherinhof); *B. minima* L. in locis uliginosis circa urbem Jamburgum, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 191, n. 524; ed. ross. II, 1802, p. 138, n. 539); crescit et floret cum *B. tripartita* (Weinm. Pawl. 1824, p. 378 α. et β. nostra); ubique (Turcz. 1825, n. 490); abundat in omnibus locis aquosis, Jul. ad Octobr. (Weinm. Petr. 1837, p. 79, n. 527 α. et β.).

※ INULA.

Ἑλένιον Dioscoridis s. *Helenium* Plin., quod Hesychius ab Helena ad serpentes necandos satum scribit, duplex est; unum quod nos attinet, foliis *Verbasci* describitur et a Romanis (Virgil. Horat. Plin. Columella) appellatur *Inula*. Teste Apulejo «a Graecis vocatur *Panax Chironium*, ab aliis *Panax Centaurion*, alii *Helenion*, Latini *Inulam campanam* appellant»; Bodaeus a Stapel et Fraas pro vero *Panace Chironio* Theophrasti agnoscunt. Patres (Dodon. 1553 c. fig.! Cordus, Matth. et alii) unanime *Inulam* Romanorum

pro *Inula Helenium* L. recognoverunt et *Helenium* vocarunt; Gesner 1561 et in Collect. stirp., Anguillara et Lobelius *Inulam;* vulgus ex Brunfels et Camerarius *Enulam campanam*, ita in Herb. Mogunt. 1485, cap. 153, c. fig.!; Mesua 1484!; Lonicer et Caesalpinus *Enulam;* C. Bauhinus *Helenium vulgare.* Genus *Inula* L. 1747 nil aliud est, ac *Helenium* Vaill. 1720; Vaillantius differentiam ab *Astere* in floribus luteis posuit. Cum *Helenium* apud Diosc. et Plin. duplex sit, *Inulae* nomen pro planta nostra (*Corvisartia* Cass. Merat, G. Rchb.), sive prima et typica *Inulae* specie apud Linnaeum servandum, quae sola Rajo 1688 genus *Helenium* efficit.

⁜ *I. Helenium* L. — Synn. antiq. vide supra.

Rhizoma carnosum ramosum brunneum, intus album. Caulis ad 5 pedes altus, crassus, angulatus, superne ramosus. Folia infima elliptico-oblonga, basi attenuata, caulina ovato-cordata sessilia amplexicaulia, omnia duplicato-dentata, subtus valide costata et tomentosa. Capitula in apice ramorum solitaria magna. Involucri foliola exteriora late ovata.

Petropoli tantum ex hortis aufuga obvenit. Cel. Bunge 1853 in numerum plantarum prov. balt. ut efferatam admittit; ita quoque Weber et Wiedem. In Fennia australi (v. g. pr. Borgoam) quasi spontanea. Sed in Suecia occid. litorali a Wahlenbergio spontanea indicatur, ut in Gallia sept., Pomerania et Silesia. Fl. a Junio in autumnum. ♃.

Hist. spec. In hortis Nowgorodensis tractus Kraschen. observavit; etiam in hortis Petropoli (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 136); ubique in hortis et ad sepes hortorum spontanea (Sobol. Petrop. 1799, p. 198, n. 547; ed. ross. II, 1802, p. 164, n. 564); locis similibus pr. Pargolam (Kühlew.! ex R. Petr. 1845, p. 80, 28); copiose in ruderibus pr. Oranienbaum, cum *Lavatera thuringiaca*, a. 1847 (Kühlew. in litt.).

CLXV. CONYZA.

Κόνυζα Theophr. Diosc. = *Conyza* Plin., sic forte dicitur, quod κώνωπας (culices) visciditate sua capiat, quare Gaza *Pulicariam* vertit; alii a κονίζω derivant, quod pulvere adspersa sit. Theophrastus duas, Dioscorides tres species distinxit; *major* seu *mas* = *Inula viscosa* Ait.; *minor* s. foemina = *Inula graveolens* Dsf.; *tertia* = *Inula Britannica* L. Ita cel. Fraas interpretatur *Conyzam* et patres tantum in eo dissentiunt, quod *C. tertiam* in *Pulicaria dysenterica* quaesiverint, aliqui *C. minorem* in *Pulicaria vulgari*. Genera igitur recentiora *Inula* et *Pulicaria* (excl. *I. Helenium*) in *Conyza* Graecorum juncta erant. Hae species etiam in genus *Conyza* C. Bauh. 1623 collectae erant, additis: *I. Conyza* Dec., *Jasonia glutinosa* Dec. (ab *Inula* genere haud diversa), praeterea *I. oculus Christi* L. et *I. germanica* L., species omnes a patribus sub n. *Conyza* descriptae. Tandem species typica prima *Conyzae* L. est *C. squarrosa*, quam Decandolle et recentiores ab *Inula* non distinguere potuerunt, ita etiam *Conyzam candidam* L. *Inula* Linnaei, exclusis quibusdam omnino alienis, e generibus 2 consistit, *Inula* et *Pulicaria*, ut Gärtner 1791 docuit. Cum igitur *Inulae* nomen pro *I. Helenium* L. servari debet, pro ceteris speciebus *Inulae* Gärtnerianis genere diversis nomen *Conyza* jure antiquitatis restaurandum est.

Decandolle habet subgenus *Inulae* e Tabernaemontano 1590, *Bubonium* appellatum, sed hoc nomen idem est ac *Aster atticus*, ut Dioscorides ipse scribit; resuscitari igitur haud potest.

Respicienda adhuc est *Britannica* illa aenigmatosa, quum Gesnero, Lobelio 1570 et Dalechampio in Hist. Lugdb. 1586, testante quoque figura in Codice Dioscoridis antiquo, *Inula Britannica* L. fuerit, quae tamen in Britannia non crescit. *Britannica* Anguillarae 1561 pro *Primula Auricula* β. L. sumitur, Camerario vero *Statice Armeria* L. videtur; utraque tamen vix fuit. Gesner 1561 propter vim antiscorbuticam *Cochleariam Britannicam*

credidit, sed descriptio Plinii hoc minime concedit. Jam tempore Lobelii (Advers. 1570) planta *Britannica* triplex erat: *Polygonum Bistorta, viviparum* et *Inula Britannica.* Βρετανική ἢ βετονική Diosc. IV, 2 est herba gustu adstringens, foliis *Lapathi sylvestris*, sed nigrioribus et pilosioribus, nec caule ita magno, radix autem tenuis et brevis; vox βρετανική observante Sarraceno et Bodaeo deest in codice veteri Dioscoridis; descriptio vero quodam modo cum *Betonica Alopecuros* congruit, cujus herba amaro-adstringens; propter radicem tenuem et hirsutiem *Bistorta* esse non potest. Κεστρόν (*Sideritin syriacam* sec. Fraas) Diosc. IV, 1 dicit a Romanis vocari βετονίκην seu *Rosmarinum.* Est etiam alia βετονική, quae inter notha et spuria Dioscoridis describitur et *Dianthus* videtur. *Britannica* (sic!) vero Plinii XXV, 3 omnino est alia planta ac βρετανική Dioscoridis, scil. herba antiscorbutica, foliis oblongis nigris, radice nigra. An *Polygonum lapathifolium* (ut C. Bauhinus suspicatur) aut *Hydropiper*, aut forte rectius *Bistorta?* Herba propterea celeberrima, quod auxilium tulit exercitui J. Caesaris in Frisia, scorbuto laboranti. Jam Plinius de origine nominis sollicitus, quaerit, an ab Oceano Britannico, in cujus confiniis plurima nascebatur, sortitum sit nomen; Bodaeus autem verisimilius credit ab arce, quam Breten et Britten vocant Batavi, quod ad ostiam Rheni a Caesare germanico conditum fuit, vel quod planta in caespitibus paludosis maritimis, a Frisiis etiam num hodie Bretten et Britten dictis nascatur.

329. *C. salicina* (L. sub *Inula*) = *Conyza media Monspeliensis* etc. J. Bauh. 1651 fig.! mala = *Aster montanus luteus Salicis glabro folio* C. Bauh. 1623! et herb. = *Bubonium luteum* Tabern. 1587, 1590 fig.! melior quam Clusii = *Aster 2 salicis folio* Clus. 1583 c. fig.! e Vienna = *Aster montanus* Lobel. 1581 fig. mala (si huc).

Caulis erectus polyphyllus, glaber, 1–2 ped. sulcato-angulatus. Folia subpergamena nitentia, lanceolata, mar-

gine hirta, minute dentata v. integerrima, ceterum glabra v. subtus sparse pilosula, venis anastomosantibus prominulis; superiora cordato-amplexicaulia. Capitula in apice caulis 1–6, subfastigiata, $^3/_4$ vel cum radio $1^1/_2$ poll. Involucri foliola exteriora lanceolata glabra, margine dense ciliata, disco breviora, patula. Achenia glabra. — Variat interdum in eodem loco: β. *angustifolia*, fol. lineari-lanceolatis, 3–4 lin. latis, longioribus, recurvis; γ. *latifolia* fol. late lanceolatis, 7–11 lin. latis, brevioribus, plerumque erecto-patentibus, caule saepe polycephalo.

In montosis calcareis apricis vel fruticetis declivibus reg. elevatae hinc inde copiose: in montibus Duderov. (α. β. γ.), Bornitzy (β.), Arbonje (α.); deest in reg. demissa et isthmo Kareliae; etiam alibi in Ingria: ad fl. Pljussa pr. Polja (tantum γ.), ad cataractas Narowae, Lutzkaja pr. Jamburg. In Ingria numquam in pratis uliginosis (ut Linné indicat), tamen simili loco typicam legi in taeniis Fenniae austr. marit. pr. Fredrikshamn. Floret a medio Jul. in finem Aug. ♃.

Hist. spec. In montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 136 s. *Inula salic.* ut seqq.), in pratis siccioribus herbosis et sylvosis in m. Duder. et circa Gatschinam! (Sobol. Petrop. 1799, p. 199, n. 549; ed. ross. II, 1802, p. 166, n. 566); in locis graminosis asperis districtus Jamburgensis! (Weinm. Pawl. 1824, p. 394); in montosis Duderovii! (Turcz.! 1825, n. 506); in herbosis elevatis (Weinm. Petr. 1837, p. 82, n. 544).

330. *C. Britannica* Morison 1699, n. 8! sed fig. mala = *Inula Britannica* L. = *Conyzis affinis* C. Bauh. 1623!, *britannica* C. Bauh. herb. ex Hagenb. = *Aster fl. luteo* Tabern. 1590, p. 338 c. fig.! = *Britannica Gesneri* et *Lugdunensium* Pena et Lobel. 1570 fig.! e muris Lugd.; Dalech. 1586 fig. mediocris! = κόνυζα τρίτη Diosc. optime propter folia et odorem (Fraas).

Herba sparse villosa vel cano-subsericea. Folia lanceolata (L.) vel sublinearia, integerrima (β. *arenaria* Rchb.! 1831) vel denticulata, inferiora in petiolum attenuata, su-

periora basi latiore subamplexicaulia. Capitula *C. salicinae*. Involucri foliola exteriora demum subsquarroso-reflexa, lineari-lanceolata, piloso-sericea, interiora et discum subaequantia. Achenia hirta. — Variat summopere statura, latitudine et longitudine foliorum, dentibus evidentioribus (α. Linné), indumento parciori (β. *viridis* Wahlbg. 1826), capitulis minoribus 1 poll. et involucri foliolis latioribus longioribusque (quae *I. Oetteliana* Rchb. 1831; sed Fl. Dan. t. 413 haud similis, quare etiam planta Petrop. pro *C. Britannica* determinari diu non potuit). Var. γ. *stricta* Wahlbg. 1826 (Linné iter Gothl. sub *I. dysent.*) fol. strictis attenuatis mucronatis argute serratis, utrinque canescentibus; forma huic accedens in arena litorali pr. Strelna (Borszczow!). Diversa ab hoc videtur var. β. Linné 1753 caule et foliis subtus magis villosis et angustioribus, quae *Conyza aquatica*, *Asteris fl. aureo* C. Bauh. 1620! et herb. e Vallesia pr. Sedunum; an forma in Fries herb. norm. Suec. IV, 5 exhibita, foliis longioribus erectis acuminatis, villoso-canescentibus; haec nondum in Ingria.

Non solum in humidis, inundatis, ad ripas, fossas et canales, sed etiam in arenosis siccis, ruderibus, in plateis urbium; ubique copiose circa Petropolin et alibi: Luga, Tscheremenetz, fl. Wolchow. Floret a fine Junii ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. Gmelin in mss. 1733, n. 104 inter Tosnam et Bronnitz m. Aug. flor. invenisse videtur, sed false pro *Astere mont. lut. fol. oblongis* Tourn., sive *Buphthalmo salicifolio* habuit. Petropoli (H. Mertens mss. 1823 s. *Inula Brit.* ut seq.); in pratis humidis circa Pawlowsk rarius (Weinm. Pawl. 1824, p. 394); in arenosis humidiusculis et in locis vere inundatis (Weinm. Petr. 1837, p. 82, n. 545, cum cit Schkuhr t. 247 exacte et var. β. *sublanata*).

Obs. 1. Haec planta semper false pro *Inula dysenterica* L. indicata fuisse videtur. Ad canales insulae, cui a Basilio nomen est; inveni etiam ad aquaeductum, quo Newa fl. cum fl. Wolchow communicatur, fl. fine Julii et

Aug. (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 136; in Krasch. Codice additur locus ad Lugam fl. circa pagum Itowskaja); Newa, in inundatis (Falk, Beitr. II, 1786, p. 242, n. 984); ad fossas et canales insularum Basileensis et lapideae, nec non ad vias prope nosocomium pedestre et in aliis locis humidis (Sobol. Petr. 1799, p. 198, n. 548; in ed. ross. II, 1802, p. 166, n. 565 additur: ad ripas et ad hortos in canalibus); Ingria (Georgi 1800, V. p. 1247, n. 5); Petropoli (Longmire in Ann. of Phil. VI, 1823, p. 196 et imo H. Mertens in Catal. mss. 1823); in graminosis ad rivulos, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 394); ubique (Turcz. 1825, n. 507, sed *C. Britannicam* non enumerat); in paludosis maritimis ante plures annos unicum tantum specimen Julio fl. legi (Weinm. Petrop. 1837, p. 82, n. 546 cum dubio pro *I. dysenterica* L., cum Fl. Dan. t. 410 non conveniebat; specimen herb. Weinm. erat *C. Britannicae* var.). Statio Petrop. igitur in Ledeb. Fl. Ross. II, 510 expungenda.

Obs. 2. *Inula hirta* L. In limite gub. Nowgorod et Pskow ad fl. Lowat, circa Podala, 27 Jul. 1768 (Güldenstädt Reise I, 1787, p. 14). An *C. salicinae* forma latifolia monocephala?

Obs. 3. *Conyza squarrosa* L. Petropoli (Georgi 1790, p. 516, n. 508); in pratis siccis gramineis circa Petrop., flor. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 195, n. 535); in locis siccioribus ad margines sylvarum prope Peterhof rarius (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 154, n. 532); Ingria (Georgi 1800, p. 1239, n. 1). Certe erronea, sed aenigma.

CLXVI. HELICHRYSUM.

Ἑλειόχρυσος Theophr. IX, 21 et ἑλίχρυσος Diosc. IV, 57 est *Helichrysum Stoechas* in Graecia vulgatissimum, nec *Tanacetum annuum* L., ut plurimi patres crediderunt (conf. Fraas). Si Athenaeo fidem tribuimus, nomen accepit a nympha quadam Ephesia ἑλιχρύση, quae hoc flore Dianam coronavit, ut Themistagoras Ephesius

scribit; planta enim speciosa facile in coronas flectitur (ἑλίσσω, ἕλιξ). Plinio *Eliochrysos* dicitur, hinc Tournefortio, C. Bauhino et patribus *Elichrysum;* asserente Bodaeo (p.1177) falluntur ii, qui ab sole ἥλιος derivant et multos auctores citat, qui cum ἑ scripserunt, quod vero haud ita in Codicibus Diosc. melioribus. Genus *Elichrysum* Tournef.! sive *Helichrysum* Vaill. exacte congruit cum genere *Gnaphalio*, ut recentissime v. g. ab cariss. G. Reichenbach limitatur (si *Antennariam* addis, a pluribus non sejunctam); est etiam *Helichrysum* s. *Elichrysum* C. Bauh. et patrum, si *Antennarias* demis et *Gnaphalium sylvaticum* L. addis. Genus *Gnaphalium* Linnaei omnino aliud ac Tournefortii aut Vaillantii, licet hunc pro auctore citet, et illorum genera *Elichrysum* et *Filago* amplectitur. Γναφάλιον Diosc. III, 132 dicitur, quod foliis albis mollibusque pro tomento, ἀντὶ γναφάλου, utantur. Auctore Plinio *Gnaphalium* alii *Chamaezelon* (an *Chamaexylon* i. e. humile *Gossypium* ut Lobel. et Dodon. autumant) vocant. Fraas pro *Filagine maritima* L. (*Diotis maritima* Cass.) interpretatur, quae jam Clusio et Gärtnero *Gnaphalium legitimum* dicitur; haec planta a Lobelio et Dodonaeo pro planta Dioscoridis describitur, erat quoque prima *Gnaphalii* generis species apud C. Bauhinum et genus purissimum *Gnaphalium* Tournef.!

§. 1. ELIOCHRYSOS Plin.

(331.) *H. germanicum* Tournef. 1700! (primo in Germania detectum, in Gallia et Anglia deficiens) = *H. arenarium* Mönch, Dec. ex *Gnaphalio arenario* L. = *Stoechas citrina germanica* etc. J. Bauh. 1651! fig. mediocris = *Elichryson* s. *Stoechas citrina latifolia* C. Bauh. 1623! e synn. = *Heliochrysos* Trag 1552, p.330 c. fig. bona! e Wasgau, Hagenau: Neuenburg = *Amarantus luteus* Fuchs 1542 fig. bona!, inter Speyer et Worms detect. = *Sticados citrinum*, Rheinblumen, Herb. Mogunt. 1485 c. 367 cum fig. rudi!

Herba $1/2$–1 ped. multicaulis, tomento albo lanuginoso crasso tecta. Folia radic. densa erecta, spathulata obtusa, caulina linearia. Capitula glomerato-cymosa, pulchre citrina (aurantiaca vel pallida extra Ingriam).

Planta priva regioni arenosae system. Devonici medii, ubi rara, v. g. copiose ad Retjun pr. Gorodetz, parce ad limites gubernii australes inter Nowoselje et Katjeshnaja, nec non prope Lotschkina (R. Iter Ingr. in Bullet. XII, 1854, p. 92, 93 s. 223 s. *Hel. aren.*); parce in pinetis pr. Weleni (F. d'Osten Sacken). Vidi quoque in Supplem. Herb. Petrop. Kastalskiani. Floret ab initio Julii. ♃.

§. 2. ANTENNARIA Gärtn. = LAGOPUS Trag. non Diosc.

332. *H. montanum* Tournef. 1700! Vaill. Rupp! = *Gnaph. dioicum* L. (sexus differentiam stabilivit Dillen. 1719) = *G. montanum* Pena et Lobel. 1570 fig.! Lobel. 1581 fig.!, Tabern. 1590 fig.!, Dalech. C. Bauh.! et herb. = *Lagopus* Trag. 1552 fig.! (non Diosc. quae in segetum areis nascitur, conf. *Trifolium arvense*) = *Pilosella minor* Fuchs 1542, p. 606, fig. bona!, Dodon. 1553 fig.! Clus. J. Bauh.

Stolones prostrati, radicantes. Folia radicalia rosulata, obovato-spathulata, mucronata, subtus niveo-tomentosa, caulina linearia adpressa. Capitula (utriusque sexus) variant alba, rosea et purpurea, in apice caulis dense corymbosa, breve — aut rarius (var. *corymbosa* Hartm. Krasch. l. c.) longe pedunculata.

In campis siccis sterilibus, arenosis, ericetis, pascuis elevatioribus, ubique vulgatissimum. Floret a medio v. fine Maji; fr. mat. a fine Junii, ab initio Aug. saepissime sterile. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Deschisaux 1725, p. 9 ex syn. Tourn.); ibid. in apricis et incultis locis (Amman mss. 1734, n. 28 ex syn. C. Bauh. et Tourn.); in prato ins. Basilii, prope sylvam quae est inter majorem et minorem perspectivam circa 22$^{m.}$ lineam copiose inveni 24 Majo

(Krasch. Index mss. 1749, n. 20 ex synn.); ubique in pratis siccioribus; var. corymbis longis petiolis insidentibus inter ceteras congeneres (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 132 cum descript. et varr. capitulis albis, purpureis et suave rubentibus, s. *Gnaph. dioico* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in insulis apothecaria, lapidea et ubique in pratis siccis elevatis (Sobol. Petrop. 1799, p. 193, n. 531) et in monte Poclonnaja! (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 151, n. 548); abundat in sylvis et campis sterilissimis (Weinm. Pawl. 1824, p. 384 c. varr. fl. albo et rubro); ubique (Turcz. 1825! n. 495); abund. in omnibus locis siccis aridis ericetosis, Maj. Jun. (Weinm. Petr. 1837, p. 80, n. 534).

Adnot. Gnaph. alpinum L. Duo exemplaria in itinere Nowgorodiensi lecta possideo, utrumque mutilum, quibus quoad faciem externam descriptio ill. Haller p. 701, n. 8 et icon J. Bauhini III, p. 161 satis convenit, cum autem flores nulli adsint, certo determinare non audeo (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 133); in montosis circa Novogrodium, fl. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 194, n. 532; ed. ross. II, 1802, p. 152, n. 549); Ingria (Georgi 1800, p. 1237, n. 6). Planta erronea. Synonyma Halleri et J. Bauhini a Krasch. allegata non pertinent ad *G. alpinum* L. (conf. Linn. Fl. Lapp. edit. Smith), eo minus ad *G. dioicum* L., cui amandare cel. Ledebour in Fl. Ross. II, 612 propensus fuit. An *H. spicatum* juvenile?

§. 3. PSEUDO-LEONTOPODIUM Matth. 1565. Clus.! Dalech.!

333. *H. spicatum* Tournef. 1700! Vaill. Rupp! = *Gn. sylvaticum* L. p. p.! Huds. Lightf. (Linné cum hoc *G. norvegicum* Gunner confudit, ut herb. ejus et Fl. Lapp. testatur; sed propter locum: in sylvis arenosis *H. spicatum* praecipue intellexit in Spec. pl.) = *G. rectum* J. Bauh. 1651 fig. bona! cûm loc. spec.; Engl. Bot. t. 124! Smith.! et plur. = *G. anglicum* vel *Belgicum* etc. Lob. 1581 fig.! repetita ex seq. = *G. anglicum* Pena et Lob.

1570 fig.! e Londino habuit; Gerard. Raj. 1724! = *Heliochrysos sylvestris* p. p. Trag. 1552, p. 331, fig. dextra! (sinistra est *Filago*).

Caulis simplex strictus, longe spicatus. Folia radicalia lanceolata, caulina angustiora sublinearia, omnia albo-tomentosa v. subsericea, supra denique glabrescentia. Capitula axillaria sessilia, inferiora longe bracteata, aggregata in spicas axillares ± longas; squamae involucri fusco-marginatae, variant β. pallidiores spadiceae, vix adustae.

In pinetis, ericetis, etiam fruticetis graminosis, fere ubique copiose; β. in arvis et declivibus argillosis pr. Arbonje. Fl. et fr. a fine Julii v. prius ad finem Octobr. ♃.

Hist. spec. Passim ad ductus aquarum (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 133 s. *Gnaph. sylv.* L. ut seqq. – propter locum, folia basi crispa, staturam vix dodrantalem et caulem interdum ramosum, jam Georgio suspectum; an species sequens No. 334?); Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 240, n. 960); in insula pharmacop.! cubitalem et pedalem reperi a. 1795 (Georgi mss. 1795); in sylvis circa coemeterium St. Johannis, in ins. Newae fl. apothecaria! lapidea (Sobol. Petr. 1799, p. 194, n. 533) et ad montem Poclonnaja!, ad viam Sarskoseliensem (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 153, n. 550); in sylvis humidiusculis et ad ductus aquarum (Weinm. Pawl. 1824, p. 385 s. *G. rectum* Sm.); ubique (Turcz.! 1825, n. 496); ubique in sylvis, fruticetis et aliis locis herbosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 80, n. 535).

334. *H. aquaticum* (Tournef. 1700! Vaill.) = *Gn. uliginosum* L. = *Filago palustris, capit. nigric. supina* Rupp. 1726! = *G. annuum serotinum*, capitulis nigris, humidis gaudens Moris. 1699! = *G. longifolium* humile ramosnm, capit. nigris Raj. 1688, 1724! = *Filago* 3. *minor* Dodon. 1583 e descr. videtur; Lobel. 1581 c. fig. eadam, rudi! apud Moris. repetita.

Herba annua, ramosa, vel multicaulis, $^1/_2$ ped. vel minor, albo-lanata. Folia lineari-spathulata, flaccida, subundulata. Glomeruli dispersi vel in apice caulis subfasti-

giati. — Variat β. *pilulare* (Wahlenbg. 1812 fig. 13) acheniis papilloso-muricatis.

In locis olim inundatis, ad stagna, fossas et vias, in arenosis humidis, plateis, ubique maxima copia; β. Petropoli rarius, sed interdum promiscue cum typica. Floret et fr. ab init. Julii vel fine Junii ad finem Octobr.; Sept. jam hinc inde exsiccatum. ⊙.

***Hist.* spec.** In locis udis ins. Wasili-Ostrow! m. Jul. (Amman mss. 1735, n. 61 ex synn. J. Bauh. Raj. et Tourn.); passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 133 s. *G. ulig.* ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in locis uliginosis humidis apricis et passim in hortis oleraceis (Sobol. Petr. 1799, p. 194, n. 534; ed. ross. II, 1802, p. 153, n. 551); in inundatis arenosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 385); ubique (Turcz.! 1825, n. 497); in locis uliginosis, ad paludes, fossas, lacunas (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 536); β. *pilulare* non rarum videtur, sed quoad habitum plus minus ab icone Wahlenbergi recedens (R. Petr. 1845, p. 78) et typico ita simile, ut sine microscopio distingui nequeat.

CLXVII. FILAGO.

Nomen, ut Fuchs et Dodonaeus perhibent, recentioris aetatis, corruptum ex voce *Cartofilago* s. *Cartophilago* s. *Cartafilago* Hermolai, Ruellii, Fuchsi et Gesneri. Ex opinione Ruellii et Fuchsi *Ceratophylax* (corneae defensor) appellari debet, sed hoc nomen apud auctores Graecos non legitur. Forte nomen propter tomentum plantae in fila ducendum vel ad praeparationem chartae idoneum, aegrius propter habitum filiformem caulis et ramorum. *Filago* Fuchs 1542! Dodon. 1559, 1583, Lobel. 1570, 1581 sistit ideam primitivam generis Tournefortiani, Vaill. et Linn., hodie penitus et facile injuria dilacerati. Typus *Filaginis* est *F. germanica* L., species principalis et prima rite depicta apud Dodonaeum 1583!; hanc Cassini 1819 *Gifolam* superflue dixit.

Filago nostras cònstituit genus *Oglifa* Cass. 1819 (anagramma *Filaginis*), a typica *Filagine* tantum diversum: involucro demum in stellam expanso, receptaculo planiusculo (nec filiformi conico) et floribus periphericis ♀ subpapposis.

335. *F. incana* Dillen. 1719 Append. p. 2 eximie! Vaill. 1719 (etiam Haller, Linné et Fries hanc pro syn. agnoscunt et citant) = *Oglifa arvensis* Cass. 1819 = *Fil. arvensis* et *montana* L. = *F. vulgaris*, floribus per caulem sparsis Tournef! Paris 1698, 1725! bene descr. (aliam juxtaposuit *F. vulgarem*, quae *F. gallica*) = *Filago alia* Dodon. 1583! sine fig. Deest in Anglia.

Caulis subramosus strictus 1–½ ped. vel minor, cum foliis incano-tomentosus, superne glomerato-subspicatus. Folia adpressa, breve et late lanceolato-linearia, maxima 8 lin. longa, 2 lin. lata. Capitula 1½–2 lin. incana (nec lutescentia), 2–7 aggregata, sed minime in globum circumscriptum compacta; squamae anthodii obtusae. — Occurrit duplici forma: α. caule paniculato virgato ramosissimo, capitulis lateralibus; haec *F. arvensis* L. Fries herb. norm. I, 2; β. caule simpliciori subdichotomo, capitulis subterminalibus; haec *F. montana* L. Suec. ex loco et herb.; conf. Fries 1828! herb. norm. Suec. VII, 2!; an etiam? *Filago montana* Pena et Lobel. 1570, p. 201 c. fig. rudi, radice multicauli et fol. angustissimis abludens.

In arenosis elevatioribus isthmi Kareliae rarius, copiosissime circa urbem Luga. Fl. et fr. ab initio Julii ad init. Aug. ⊙.

Hist. spec. In sylvis siccioribus inss. Wasili Ostrow et Pharmacopolarum, Jul. Aug. (Amman mss. 1735, n. 62 ex synn. Dodon. et C. Bauh. paulo dubiis, an *Hel. spicatum* juvenile ex loco?); in monticulis arenosis et sylvosis Pargelovii! satis raro occurrit (Sobol. mss. 1779, n. 32 et Fl. Petr. 1799, p. 205, n. 566 s. *Fil. montana*; in ed. ross. II, 1802, p. 178, n. 583 additur locus Rjabowa); circa Petrop. (Sobol. et Boeber ex Georgi 1790, p. 517, n. 539 et 540 s. *F. mont.* et *arvensi*); in arvis

montosis Ligovi, Crasnoselii et ad pagum Rjabowa, rarius; fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 205, n. 567; ed. ross. II, 1802, p. 178, n. 584, s. *F. arvensi*); in locis siccis arenosis, e. g. ad vias Pargolae! et Murinae (Turcz! 1825, n. 499 s. *Gn. montano* Willd.; n. 498 s. *Gn. arvensi* Willd. sine loco); in monte Poclonnaja! ad viam Wiburgensem leg. Prof. Kastalsky (Weinm. Petr. 1837, p. 84, n. 559 s *F. montana* L.); hinc inde in siccis et arenosis, praecipue versus isthmum Kareliae (R. Petr. 1845, p. 79 s. *F. arvensi* L.).

Obs. 1. *Filago germanica* (J. Bauh.) L. sive *F. vulgaris* (Matth. Lob. Tab.) Lamck. non ultra Milaviam boream et orientem versus observata est. Gmelin in mss. 1733 n. 114 ubique inter Petrop. et Twer m. Aug. et Sept. vidisse indicat, fide syn. cit. *Filago* s. *impia* Dodon. Pempt. Etiam H. Mertens in Catal. mss. Fl. Petr. 1823 praeter *F. arvensem* habet. Utraque falsa.

Obs. 2. *Filago minima* Fries = *Gnaph. montanum* et *Filago mont.* L. ex synn. = *Gn. minimum* Lobel 1581 fig! et patr. plur. — ad ostia Newae adportata, in ruderibus parce adparuit a. 1848 (Kühlew. in litt.), sed mox iterum evanuit.

CLXVIII. ARTEMISIA.

Ἀρτεμίσια Dioscoridi III, 127 sic dicta ab *Artemisia* Mausoli Cariae regis uxore, quae hanc sibi, narrante Plinio XXV, 7 adoptavit. Antea ex Plinio vocata fuit παρθένις (virginalis) s. παρθένιον (apud Apulejum) a virgine Dea, quia foeminarum malis, quibus ἄρτεμις (Diana) praeest, medetur. Dioscoridi et Plinio species duae, a Fraas pro *A. campestri* L. et *arborescente* L. interpretatae. Genus hodiernum consistit ex 3 generibus Bauhiniano-Tournefortianis, solo habitu et qualitate distinctis: *Artemisia*, *Abrotanum* et *Absinthium*, jam ante Linnaeum a Jungio et Blairio 1720, indigitante quoque Vaillantio 1719, in unum conjunctis. Pontedera differentiam fere genericam *Absinthii* et *Seriphii*

ab *Artemisia* (v. *Abrotano*) demonstravit. *Artemisia* ex his nomen recentius videtur, nam apud Theophrastum non obvenit.

§ 1. Ἀβρότονον Theophr. et Diosc. III, 29 = *Abrotonum* Plin. nomen ex interprete Nicandri duxit propter habitum tenerum s. mollem (ἁβρός — sed tunc Plinius *Habrotonum* legisset); an potius ex voce ἄβροτος immortalis, divinus? Theophrastus praeter genuinum *Abrotanum* adhuc aliud habet, quod *A. campestre* credunt.

336. *A. vulgaris* Caesalp. 1583, Clus. 1583! 1601!, Dalech. 1586 fig! Thal. 1588, J. Bauh. fig! Raj. L. = *Art. latifolia* Fuchs 1542 fig. opt! (non Plin.) = *Artemisia* Dorsten. Trag. 1552 fig! Camer. in Matth. fig!

Folia discoloria, supra profunde viridia, subtus griseotomentosa, pinnatisecta, segmentis inferioribus decrescentibus, superioribus inciso-serratis vel pinnatipartitis: laciniis ± lato-lanceolatis integerrimis. Capitula in ramis paniculae subspicata, $1\frac{1}{2}$–2 lin. obconica vel late ovata; involucrum subtomentosum. — Variat β. flosculis cum caule purpureis: *A. rubra* Tabern. 1590 c. fig!

In incultis, ad sepes et vias, ubique copiosissime; β. ad ostia Newae in ruderibus et alibi. Floret a medio Julii ad autumnum. ♃.

Hist. spec. In Strelna prope sepem, quae circa ecclesiam est, copiose; ad ductum aquarum Ladogensem et circa fl. Wolchow vulgatissima planta (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 131); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ruderatis et cultis, circa sepes hortorum et in hortis oleraceis ubique frequentissima planta (Sobol. Petr. 1799, p. 193, n. 530; ed. ross. II, 1802, p. 149, n. 547); in cultis, ruderatis et ad sepes (Weinm. Pawl. 1824, p. 383 et Petr. 1837, p. 80, n. 531); ubique (Turcz! 1825, n. 492).

337. *A. campestris* L. = *Abrot. campestre* Tabern. 1590 fig.! C. Bauh.! Raj. (non Trag. 1552, quod

A. pontica L. sec. Rchb.) = *Abrotonum sylvestre* Trag. 1553! = *Art. tenuifolia* Plin.? — Thal. 1588! J. Bauh.! Vaill. (non Fuchs 1542, Tabern.) = ἀρτεμίσια λεπτόφυλλος Diosc.

Caules plurimi adscendentes paniculati, saepe purpurascentes, steriles decumbentes. Folia radicalia remote bipinnatisecta, segmentis anguste linearibus viridibus; caulina simpliciora. Capitula in racemos paniculatos disposita, glabra, variant majora $1^1/_2$ lin. magis ovata et minora oblonga $^3/_4$ lin. — Variat β. *sericea* Fries 1828 foliis argenteis.

In arenosis depressis vel montosis, in ripis praeruptis lapidosis, muris, campis siccis aridis sterilibus, hinc inde copiose; in reg. demissa rarius: in arenosis ins. Basilii et ins. Kronstadt (utraque purpurascens); β. parce in arenosis maritimis ad ostia Narowae, ubi sterilem modo legi. Floret a fine Julii ad med. Sept. vel ultra. ♃.

Hist. spec. Cum praecedente i. e. *Tanaceto* in ins. Petri prope piscinam (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 131 — sed ex Codice Krasch. mss. patet, sub praecedente intelligendam esse *Artem. vulgarem*, et revera *A. campestris* hodie adhuc circa Strelna et ad fl. Wolchow copiosa); in praedio Com. Czernischew ad 17 werstam viae Peterhofianae (Gorter Append. 1764); in pratis siccioribus, in m. Poclonnaja! Pulcovo, circa fabricam pyriam Ochtensem et passim; var. β. caule foliisque atrorubris crescit ad viam Pargeloviensem in siccioribus (Sobol. Petr. 1799, p. 192, n. 528; ed. ross. II, 1802, p. 146, n. 545); in campis siccis arenosis passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 383); in locis siccis arenosis e. g. pr. Pargolam! (Turcz.! 1825, n. 493); in locis siccis aridis arenosis (Weinm. Petr. 1837, p. 80, n. 532); Staraja Ladoga, Luga, Jamburg, ad cataractam Narowae, ad lacum Peipus pr. Ruditza.

Adnot. *Art. inodorae* MB. levis modificatio quaedam ex ins. Lawansaari ab ill. Baer reportata (R. Petr. 1845, p. 22). Haec in maritimis Ingriae indaganda est. Fere confluit cum *A. campestri*.

§ 2. Ἀψίνθιον Theophr. IX, 18; Diosc. III, 26 = *Absinthium ponticum* Plin. Ruell. 1537! Lobel! C. Bauh.! (non L.), quo, narrante Theophrasto, pecora pasta pinguescunt et ob id sine felle reperiuntur. *A. Absinthium* L. hodie adhuc in Graecia ἀψινθία vocari testatur Fraas, ut olim Anguillara. Poëtis dicebatur ἀπίνθιον (impotabile) propter nimiam amaritudinem; forte melius derivatam vocem credit Bodaeus ex ἀ-ψίνθος, quod minime sit delectabile. Dioscorides et ex eo Plinius adhuc duas addunt species: *marinum* s. *Seriphium* et *Santonicum*, quae pro *A. maritima* et *judaica* habita fuerunt.

338. *A. Absinthium* L. = *Absinthium vulgare* Fuchs 1542 fig. opt.! Lobel 1576 fig. bona.! Tabern. fig.! Gärtn. Lamck. = *Absinthium* Brunf. 1536 fig.!, Trag. fig.! Dodon. 1553 fig.! et plurr. — Reliqua synn. conf. supra.

Folia sericeo-incana, 2–3 pinnatipartita, laciniis fol. radic. latioribus obtusis. Capitula racemosa subglobosa nutantia v. pendula.

In ruderibus urbium antiquarum copiose: in arce Gdow, ad ripas fl. Wolchow a Staraja Ladoga usque ad cataractas in praeruptis et tumulis vetustis, ad cataract. Narowae in calcareis. In suburbiis, nec non circa pagos, praedia et hortos pr. Petrop. et imo in plateis ipsius urbis pluribus locis, parce, ad ostia Newae et in ins. Kronstadt. Planta jam dudum per bella et commercium introducta, nunc indigenis adnumeranda. In Karelia australi ad urbes Wiburg et Fredrikshamn frequens usque ad lacum Onega (Nylander Fl. Karel. 1850). Floret post medium Julii vel m. Aug. ♃.

Hist. spec. Circa pagum Duderhof et urbem Staraja Ladoga! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 131); circa pagos m. Duderovii et Crasnoselium et Staraja Ladoga frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 193, n. 529) et in aliis locis elevatis (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 147, n. 546); in ruderatis ad pagos et in hortis oleraceis (Weinm. Pawl.

1824, p. 383); ad sepem horti Elisabethinae nonnulla specc. (Turcz. 1825, n. 494); in ruder. ad pagos (Weinm. Petr. 1837, p. 80, n. 533).

CLXIX. TANACETUM.

Nomen originis obscurae, aevo medio jam ubique receptum ad patres pervenit. Fuchs, codice vetusto quodam fretus, corruptum credit ex *Tagete* Apuleji. C. Bauhino simili modo ortum videbatur ex *Tannaco*, quod idem esse cum *Parthenio* Plinius testatur. Genus *Tanacetum* Raji 1688! tantum speciem nostram comprehendit, in tota Italia praesentem, in Graecia adhuc desideratam. Genus *Tanacetum* sensu Tournefortii limitatum *Balsamitam* Vaill. 1719 includit, solum capitulis mere discoideis diversam.

339. *T. vulgare* Trag. 1552 fig.! Park. Besl. L. = *T. vulgare luteum* C. Bauh.! et plurr. = *Artemisia monoclonos* Fuchs 1542 fig.! Dodon. 1553 fig.! (non Diosc.) = *Tanacetum* Brunf. 1530 fig.! Matth. 1558 fig. bona! et plurr. = *Tanacetum* Reinfarn Hort. san. Magunt. 1485 cap. 309, 402 fig. rudis!

Caulis elatus rigidus, apice fastigiato-corymbosus. Folia pinnatisecta, pinnis ad rachin decurrentibus pinnatifidis v. partitis: laciniis lineari-lanceolatis argute inciso-serratis. Capitula 3–4 lin. in diametro.

In cultis, lapidosis, siccis, ad margines agrorum, secus vias, per totam Ingriam, hinc inde copiosissime. Floret ab initio Julii ad init. Sept.; fr. mat. fine Aug. v. prius. ♃.

Hist. spec. In insula cui a Petro nomen est, circa piscinam (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 131); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in sylvis montosis, ad fabricam pyriam Ochtensem, Pargelovii! in m. Pulcovo, in ins. apothecaria, lapidea, Petri, Basileensi et passim; var. β. foliis crispis: in quantitate Petrop. in hortis cultis oleraceis et in sylvis circa Strelinam (Sobol. Petr. 1799, p. 192, n. 327; ed. ross. II, 1802, p. 141, n. 542); in locis siccis et ad versuras agrorum (Weinm. Pawl. 1824, p.

382); in oleraceis (Turcz. 1825, n. 491); ad margines agrorum et in pascuis siccis (Weinm. Petr. 1837, p. 80, n. 530); a lacu Peipus pr. Ruditza ad oppid. Luga et catar. fl. Wolchow.

CLXX.* PARTHENIUM.

Χρυσάνθεμον Diosc. IV, 58 a plurimis Scholasticis jure subditum existimatur, quia verba nimis coincidunt cum descriptione βούφθαλμον Diosc. III, 156, quod *Chrysanthemum coronarium* L. (*Pinardia* Less. — sed rectius typus *Chrysanthemi* C. H. Schultz Bip.). Πύρεθρον Diosc. III, 86 = *Salivaria* Plin. propter radicem gustui fervidissimam, salivam elicientem, est *Anacyclus Pyrethrum* Dec. Utrumque igitur a genere nostro alienum.

Παρθένιον, Dioscorides III, 155 ait, aliqui ἀμάρακον, alii λευκάνθεμον (*Leucanthe* vertit Plinius) vocant. Originem nominis vide sub *Artemisia* (supra p. 578). *Parthenium* Plin. idem est ac *Matricaria Parthenium* L. sive *Parthenium* Matth. 1558 fig.! Dodon. Cord. Gesner, Thal. sive species typica generis *Parthenii* C. Bauh. 1623! posthac penitus oblivioni traditi. Ceterum nomen *Parthenium* etiam *Mercuriali* (conf. supra p. 209), *Artemisiae* et aliis tribuerunt Dioscorides, Plinius alqq. et παρθένιον Theophr. VII, 7 sec. Fraas imo *Parietaria* est, suadente Diosc. IV, 86; sed in omnibus his locis *Parthenium* tantum nomine, veluti synonymon vernaculum citatur, nec ut titulus totius §, ut apud Diosc. III, 155. Huc pertinet potissimum genus *Matricaria* (C. Bauh.) Tournef. et prima species *Matricariae* apud Vaill. et Linné (*M. officinarum* Vaill. s. *M. Parthenium* L.).

⁎ ⁜ *P. Matricaria* (Gesner Coll. 1553, p. 419! et 1561, Thal.) = *Matricaria*, *Parthenii* 1 species Brunf. 1530 c. fig.! = *M. Parthenium* L. = *Leucanthemum Parthenium* Gren. et Godr. 1850! = *Matr. vulgaris* C. Bauh.! et plurr. = *M. hortensis* Trag. 1552! = *Matricaria officinarum* Ruell. 1537! = *Parthenium Dios-*

corideum Clus. 1583 p. 561 in descr.! Reliqua synn. vide supra.

Caulis superne ramosus corymbosus. Folia puberula, inferiòra petiolata, pinnatipartita, partitionibus oblongis 1–2-pinnatifidis, summis confluentibus obtusis. Capitula diametro 4 lin. vel cum radio 3/4 poll., in hortis saepe flosculis omnibus ligulatis.

Hist. spec. Circa Petropolin (Boeber ex Georgi 1790, p. 516, n. 527, s. *Matr. Parth.* L. ut seqq.); ibid. et in ipsa urbe ad sepes hortorum et in hortis oleraceis atque in ruderatis, fl. Jun. Jul. ♂ (Sobol. Petrop. 1799, p. 200, n. 554 *a.*; in ed. ross. II, 1802, p. 170, n. 570 ubique sponte crescere affirmat); Ingria (Georgi 1800, p. 1252, n. 1); in ruderibus ins. Basilii (Kühlew.!); tantum in hortis inquilinum vel ex illis manifeste aufugum vidi. ♃.

CLXX.** LEUCANTHEMUM.

Leucanthemum Tournef. est genus satis purum, prius a C. Bauhino et patribus cum *Bellide* confusum, cujus speciem unam s. n. *Leucanthemum alpinum* descripsit Clusius 1583!. Tournefort a *Chrysanthemo* tantum colore albo radiorum distinxit, Decandolle recepit et magis excoluit, C. H. Schultz cum *Tanaceto* conjungit. Clusius *Leucanthemum* Plinii XXII, 21 et Anguillarae restituere voluit, hoc vero observ. Fraas est *Anthemis Chia* L. Dioscoridi λευκάνθεμον duplex, unum *Anthemis*, alterum *Parthenium*, (conf. haec genera), neutrum nostrum. Si igitur *Leucanthemum* Tournef. ad *Parthenium* transferre placet, a quo genere haud bene differt, nomenclatura melius adhuc stabilita esset.

340. *L. vulgare* Tournef. 1700! Raj. Rupp. Lamck. Dec. = *Matricaria Leucanth.* Scop. Desv. in Lam. = *Chrysanthemum Leuc.* L. = *Bellis major* Ruell. 1537!, Fuchs 1542 fig.!, Dodon. 1553 fig.! et plurr. patrum.

Caulis simplex monocephalus vel medio in ramos plures longos subfastigiatos divisus. Folia carnosula, infe-

riora longe petiolata, spathulata, crenata v. serrata; superiora sessilia semiamplexicaulia, late linearia obtusa, versus basin incisa. Involucri 8 lin. foliola fusco-marginata. Capitula cum radiis $1\frac{1}{2}-2$ poll. in diametro. Achenia omnia calva vel (*Chrys. auriculatum* Peterm. 1844) flosculorum radiantium apice membranâ trilobâ auriculata (utraque forma adest). Ludit robustior simulque glabra (in ruderibus) aut hirta.

In pratis et pascuis siccioribus, ubique vulgatissimum. Floret a fine Junii, serotina specc. ad finem Sept. usque; med. v. fine Julii saepe defloratum fr. maturis. ♃.

Hist. spec. Inter Petrop. et Twer ubique (Gmelin mss. 1733, n. 106 ex syn. Tournef.); circa Duderhoff m. Jun. (Amman mss. 1736, n. 83 ex synn. Dodon. C. et J. Bauh. Tourn.); ad ductus aquarum et in pratis siccioribus passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 137 s. *Chrys. Leuc.* L. ut seqq.); in pratis sicc. frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 199, n. 550; ed. ross. II, 1802, p. 167, n. 567); communissime in pratis et pascuis siccis (Trin. et Libosch. Fl. Petr. et Mosq. 1811, p. 33, tab. XI); in pascuis, arvis et ad vias (Weinm. Pawl. 1824, p. 397); ubique (Turcz. 1825, n. 508); in cultis, ruderatis, herbosis (Weinm. Petr. 1837, p. 82, n. 548).

CLXXI. ACHILLEA.

Ἀχίλλειος Diosc. IV, 36 floribus candidis aut purpureis et aureis, patribus (Matth. Cord. Thal. Tabern. al.) erat *A. nobilis* L., cel. Fraas vero composita ex *A. magna* et *A. tomentosa*. *Achillea*, ut Plinius scribit, ab inventore Achille Chironis discipulo nomen habet. Πταρμική Diosc. II, 192 et Galeno VII testibus nomen accepit, quod flos ejus odore acri πταρμικός (sternutatorius) sit. Patres omnes in *A. Ptarmica* L. quaesiverunt. *Achilleas* foliis tenuisectis patres sub nom. *Millefolium* (στρατιώτης χιλιόφυλλος Diosc. IV, 101) intellexerunt. Rajus et Tournefort *Millefolium* et *Ptarmicam* ex charactere foliorum ut genera diversa habent, quae Vail-

lantius 1720 in unum junxit, *Achilleam* sibi dictum; Decandolle iterum novis characteribus *Ptarmicam* ab *Achillea* genere distinxit.

§. 1. PTARMICA.

341. *A. Ptarmica* L. = *Ptarmica vulgaris* Clus. 1601 fig.! Besler, Park. Dec.! Ledeb.! = *P. pratensis* Clus. 1601! = *Ptarm. Fuchsii* Dalech. 1586 fig.! = *Ptarmice* Ruell. 1537! Fuchs 1542 p. 638 fig. opt.!, Dodon. 1553 fig.! = *Ptarmica* Cord. Matth. 1565, Camer.! Raj. = *Pyrethrum sylvestre* Offic. et vulgo ex Ruell. et Fuchs!

Caulis tener, glaber, apice pubescens. Folia integra, lineari-lanceolata, 2 lin. vel (γ. *linearis* Dec.) angustiora, suprema vix latiora, omnia margine minute serrata. Capitula cymoso-fastigiata, anthodia 3–4 lin. — Folia basi inciso-dentata, ut Ledebour poscit, in nostris non video, sed adest forma serraturis patentibus, non adpressis: in ripis arenosis fluvii pr. Lugam et ad litus arenosum lacus Peipus pr. Ruditza, rarius Petrop. cum typica in eodem loco; haec est planta Clusii quoad figuram! Variat: β. L. = *multiplex* Dec.! = *Pt. vulg. fl. pleno* Clus. 1601 fig.! flosculis omnibus ligulatis: Nisi pr. Narwam haec sola cop. et sine dubio spontanea.

In pratis et fruticetis humidioribus regionis demissae Petropoli et hinc inde per Ingriam, plerumque parcius. In Karelia orientali tantum unico loco cum *Conyza salicina* (Nylander 1850). Floret a fine Junii ad init. Octobr. frigoris levioris (— 3^0 R.) patiens. ♃.

Hist. spec. partim vel exclusive referenda ad *A. cartilagineam*, ante 1845 hic nondum distinctam. A Petropoli usque ad Twer, fl. Aug. Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 105 ex syn. J. Bauh.); in ins. apothecaria Jun. Jul. (Amman mss. 1735, n. 43 ex syn. C. et J. Bauh.); in ripa sylvosa Newae fl.! circa Catharinhoffium (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 174); in sylvis nusquam hospes est (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 138); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in sylvis et ad margines agrorum

(Sobol. Petr. 1799, p. 202, n. 559; ed. ross. II. 1802, p. 171, n. 576 cum var. fl. pleno); in pascuis et sylvis humidis frequens, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 401); ubique (Turcz. 1825, n. 514); in nemorosis, fruticetis, pratis (Weinm. Petr. 1837, p. 83, n. 553); Murino, cop. pr. Schlüsselburg.

312. *A. cartilaginea* Ledeb. Ind. hort. Dorp. (fide spec. orig. Dorpat! illo tempore collect. in hb. Meyer) = *Pt. vulgaris δ? cartilaginea* Dec. Prodr.! 1837 = *Pt. cartilaginea* Ledeb. Fl. Ross.!

Multum quidem disceptatur, an propria species vel tantum varietas *A. Ptarmicae* sit, sed cum nullibi adhuc utramque simul crescentem offenderim, neque transitum observaverim, hoc loco seorsim exponam cum differentiis cultura diligenti comprobandis. Habitus omnino diversus propter caulem multo crassiorem robustiorem strictiorem et rigidiorem, saepissime adpresso-pubescentem et colorem foliorum interdum eximie cinereum. Folia caulina absolute latiora, punctata, 4–5 (rarius 3) lin. lata, suprema saepe difformia ceteris latiora; serraturae marginales cartilagineae vix adpressae; folia vero ramealia characteres *A. Ptarmicae* offerunt. Capitula numerosiora in cymam densiorem aggregata, florifera distinctius minora; anthodia tantum 2 lin. Variat β. *latifolia*, fol. pollicem latis, basi eximie attenuatis. Aliam, ni fallor, varietatem Petropoli legit car. Kühlewein, capitulis multo majoribus, fere transitum ad *A. speciosam* Henkel.

Petropoli primo distinxi ut var. praeced. in locis incultis pr. Ochtam (R. Diatr. 1845, p. 81), serius fere ubique in ruderibus, graminosis ad ripas Newae etc. intra et extra urbem adesse, experientia docuit. In reliqua Ingria frequentior et copiosior praecedente, praesertim ad ripas saepe inundatas: fl. Luga pr. Jamburg et Itowskaja, fl. Pljussa pr. Polja; cataract. fl. Wolchow; β. in ripa ingrica fl. Narowa pr. cataractas. Floret a fine Junii v. serius, saltem usque ad initium Aug., verisim. in serum autumnum. ♃.

§. 2. MILLEFOLIUM.

343. *A. Millefolium* L. = *A. vulgaris* Vaill. 1720 = *Millefolium vulgare* (Trag. 1552! fig. rudis, Raj. Park.) *album* et *purpureum* C. Bauh.! Tourn.! = *Millef. album* Brunf. 1536 fig.! = *Millefolium* Hort. san. Magunt. 1485 cap. 254 fig. rudis.

Folia tripinnatisecta. Capitula in cymam fastigiatam dense aggregata, $1^1/_2$–2 lin. longa. Etiam in Ingria multiplici modo a typo discedit: 1.) macra, laciniis fol. angustis: *A. collina* Becker; 2.) pinguis, laciniis fol. latis: *A. sylvatica* Becker; 3.) caule subvilloso; 4.) involucri squamis fusco-marginatis; 5.) foliis amplis tenuiter sectis, facie *A. setaceae: A. Seidlii* Presl. 1819; 6.) ligulis roseis: β. Linne! = *Millef. purpureum* Tabern. 1590 fig.!

In campis siccioribus, graminosis, secus itinera, ubique vulgatissima. Floret ab initio Junii v. serius ad finem Octobr., frigoris levioris patiens. ♃.

Hist. spec. A Petropoli usque ad Twer, Aug. Sept. ubique flor. (Gmelin. mss. 1733, n. 93 ex syn. C. Bauh.); Petropoli secus vias, fl. Jul. Aug. (Amman 1734, n. 27 ex synn. Dodon. C. et J. Bauh.); in locis siccioribus et ad vias passim, flor. circa med. Jun. (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 139; Sobol. l. c.); var. purpurea in pratis elevatis siccioribus arenoso-argillaceis, ad viam, ad Sarsko Selo ducentem, in ripa maritima Peterhoffii et Oranienbaum; tum parce in insulis! Petropoli (Sobol. mss. 1779, n. 32); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); var. fl. rubro in mont. Pargelovii et Ossinovae Roschczae, Peterhovii et Oranienbaum atque Strelina copiose (Sobol. Petr. 1799, p. 202, n. 560); ubique in graminosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 402 cum var. fl. rubris); ubique (Turcz. 1825, n. 513); in omnibus locis herbosis et in collinis siccioribus (Weinm. Petr. 1837, p. 83, n. 554 cum varr. β. coarctata et γ. fl. dilute roseis).

CLXXII. ANTHEMIS.

Theophrasto VII, 9: ἀνθέμιον duplex, ἐπιγειόφυλ-

λον: radice tantum foliatum, quod pro *A. Chia* L. interpretatum fuit, et alterum: τὸ φυλλῶδες: foliosum, quod etiam ἐπικαυλόφυλλον: in caule tantum foliatum vocat, quodque pro *Parthenio* Dioscoridis cel. Fraas considerat, sed potius *Chamomilla* videtur; conf. CLXXIII. Gaza utrumque ἀνθέμιον false *Nigella* (μελάνθιόν) interpretatur, forte quia apud Dioscoridem sub *Anthemide* ut synonymon μελάνθεμον citatur. Dioscorides III, 154 species tres *Anthemidis* habet colore floris tantum diversas; ἄνθεμις: 1.) πορφυρανθής s. ἠράνθεμος, quia vere floret, hanc *A. roseam* Sibth. Sm. e Cypro credunt; 2.) χρυσάνθεμος s. μηλινανθῆς, quae *Stephanomelis* Plin. 26, 13 sive *A. tinctoria* L.; 3.) λευκάνθεμος, quam Sibth. pro *A. Chia*, Fraas vero pro *Chamomilla* declarat. Sec. Plinium 22, 21 *Anthemis* magnis laudibus celebratur ab Asclepiade; reliqua fere verbotenus e Dioscoride exscripta sunt. Ex his colligitur, saltem unam nisi plures species *Anthemidis* hodierni eodem nomine jam apud Dioscoridem aut Theophrastum obvenire. Genus *Anthemis* Micheli 1729 feliciter restituit Linné, e receptaculo paleaceo a Vaillantio pridem viso differentiam a *Matricaria* sua ponens, et sic nomenclaturam Dioscoridis et patrum scil. Dorstenii 1540 qui *A. Cotulam* L., Lobelii et Dalech. qui *A. nobilem* sub *Anthemide* intellexerunt.

§. 1. COTA. Gay in Guss.

344. *A. tinctoria* L.! = *Cota tinctoria* Gay, Gren. et Godr.! ≐ *Buphthalmum Dioscoridis* C. Bauh. 1623! = *Chrysanthemum verum* Gesner coll. 1587 = *Buphthalmum vulgare* Clus. 1583! e locis et fig. 1601 exhibita! = *Buphthalmus* Trag. 1552 fig.! ex agro Worms., Matth. 1554 fig.! Tabern. fig. et plurr. (non Fuchs 1542 = *Chamaemelum Chrysanthemon* Fuchs 1542 fig.! — Synn. antiquiora conf. supra.

Ligulae luteae, 4–9 lin. longae. Folia pectinato-bipinnatipartita, lacinulis planis mucronatis integris vel extus serrulatis. Caulis versus apicem (cum foliis) canescens,

simplex vel in ramos erecto-patulos superne nudos monocephalos divisus. Variat non raro ligulis sulfureis.

In agris desertis, inter segetes, in collibus apricis, lapidosis, sterilibus, fere ubique, aberrans in rudera et plateas urbis, copiosissime in reg. elevata. Floret a fine Junii v. serius, saltim ad finem Aug. ♂, sed interdum primo disseminationis anno florens et in tertium usque annum persistens.

Hist. spec. In superiore regione Nevae fl. supra pagum Ostrowki in agro deserto (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 138); in montosis asperis sylvaticis et agris, ad vias Ligovi!, Crasnoselii! et in monte Duderovo!, nec non Pargelovii! alibiq. (Sobol. Petr. 1799, p. 202, n. 558; in ed. ross. II, 1802, p. 176, n. 575 omittitur locus pr. Ostrowki et m. Duderh.); in locis arenosis pr. Pawlowsk et in montosis Duderhovii! et Pulcovae (Weinm. Pawl. 1824, p. 401); in oleraceis, ad domos et in siccioribus, e. g. prope praedium Com. Lanskoy (Turcz. 1825, n. 512); in cultis et ruderatis siccis arenosis et agris desertis (Weinm. Petrop. 1837, p. 82, n. 551); ad cataractas fl. Wolchow.

§. 2. ANTHEMIS.

345. *A. arvensis* L. 1751! et Fl. Suec.! est forma inter segetes ♂ proveniens, acheniis coronatis, recept. conico = *Chamaemelum inodorum* Rupp.! (non C. Bauh.) = videtur: *Cotula inodora* Pena et Lobel. 1570 annua! inter segetes! odoris imbecillis!

Achenia aequaliter costata. Folia bipinnatisecta, lacinulis lanceolatis. Herba adpresse pubescens, superne canescens. Capitula cum radiis pollicaria vel minora, longepedunculata, fructifera ovata. Planta Ingrica est var. β. acheniis maturissimis exauriculatis: *A. agrestis* Wallroth 1822 (quae in Suecia obs. Fries tantum inter segetes ☉); recept. ludit vel conicum vel etiam minus elevatum; typicam Linnaei nondum lectam heic nosco.

In agris, arvis et inter segetes, non ubique: Pargola, Gatschina et Ilkina (Borszczow!), Lapuchinka, Polja et

alibi. Floret a med. Jun. ad init. Aug.; fruct. mat. fine Julii v. prius. ⊙.

Hist. spec. In pratis siccis argillosis et inter segetes circa Ligovo, Goreloy cabac et Osinova Roschcza (Sobol. Petr. 1799, p. 201, n. 555 s. *A. arv.* L. ut seqq.) et ad m. Poclonnaja (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 173, n. 572,; in agris ubique, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 400); ubique (Turcz. 1825, n. 511); in ruderatis et arvis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 82, n. 550).

(§. 3.) COTULA.

Nomen aevi medii. Jam in synonymia Nicolai apud Mesuam 1484! legitur: *Camomilla* similis est *Cotilae foetidae*, sed *Camomilla* redolet, *Cotila* foetet. *Cotula* Brunf. et patr. duplex, altera *inodora* (*Tripleurospermum*), altera *foetida* (*A. Cotula*); hanc Rajus 1682! ut genus proprium a *Chamaemelo* distinxit. Cassini *Marutam* dixit. *Marona* Gallis vulgo dicta est *Parthenium Matricaria*, teste Ruellio 1537!

(346.) *A. Cotula* L. = *Maruta foetida* Cass. = *Cotula foetida* Brunf. 1530 fig.! Ruell. 1537! Dodon. 1553 fig.! Trag. 1552!, Lobel. J. Bauh. Raj. et ipse Linnè in itin. Vestrogoth!

Planta ex habitu interdum ita similis *A. arvensi*, ut tantum characteribus genericis distingui possit; plerumque tamen folia viridiora, tripinnatisecta, lacinulis omnibus expansis lineari-setaceis; herba unicaulis, superne ramosior; capitula brevius pedunculata, ligulae mox reflexae, *Cotulam* indicant.

Copiosa ad sepes pr. arcem Iwangorod in suburbiis Narwae (R. Iter Ingr. in Bull. XII, 1854, p. 83 s. 216 s. *Maruta Cotula*), alibi nondum reperta. Medio Julio florens fruct. partim maturis. ⊙.

Hist. specialis A. Cotulae ad *A. arvensem* vel *Chamomillam* aut *Tripleurospermum* referenda. Circa Petropolim (Sobol. ex Georgi 1790, p. 516, n. 530); Petr. in hortis oleraceis et ubique ad pagos et vias in locis ru-

deratis, etiam inter segetes (Sobol. Petrop. 1799, p. 201, n. 556 et jam in mss. 1779; conf. R. Diatr. 1845); Ingria (Georgi 1800, p. 1253, n. 5); in agris et ad pagos in ruder. atque ubique in oleraceis, circa fabricam terrae murrhinae in pago Rybaczja et in ins. Newae, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 173, n. 573); in locis cultis pinguioribus, Jun. ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 400; sed in Enum. 1837 omissa).

CLXXIII. CHAMAEMELUM, corrupte CHAMOMILLA.

Chamomillam Theophrasto ignotam fuisse, cel. Fraas asserit; cum Ruellio tamen sentio, hanc a Theophrasto sub n. ἄνθεμον VII, 13 optime sequentibus verbis descriptam fuisse «id peculiare habet, quod a summo! sui parte incipit florere, cum ceteris plantis omnibus proprium sit, ab ima deflorere incipere; flos in peripheria candidus! in medio viridis! et semini color idem!, decidit id conceptaculo inani! relicto.» Εὐάνθεμος Hippocr. (de nat. muliebri locis variis) pro *Chamomilla* habetur, quae hodie in Graecia χαμομηλεά appellatur et Dioscorides *Anthemidem* etiam χαμαίμηλον vocari scribit, quia odorem mali habet. Ex hoc *Chamomilla* vulgo et officinarum originem duxit, ut jam Ruellius 1537 affirmabat, qui *Camomilla* scripsit, ut in Mesua 1484 et Hort. san. Magunt. 1485 cap. 84!. *Chamaemilla* Anguill. 1561 et Lobel 1570, 1576 transitum corruptionis demonstrat. Patres plurimi (Brunfels, Fuchs, Dodon., Gesner, Dalech., Caesalp., Camer., Thal., Tabern., C. et J. Bauh., Gerard, Moris., Ponted., Tourn., Micheli) *Chamaemelum* appellant; quia vero characterem ex receptaculo nudo non cognoverunt, semper similes species *Anthemidis* admiscuerunt, ut etiam Tournefort, licet hic *Chamaemelum* inter genera receptaculo nudo reposuerit (idem in *Achillea* paleas non vidit). Hinc factum est aliud *Chamaemelum* a Vaill. 1720, receptaculo paleaceo munitum, quod ab Adanson, Allioni, Gärtner, Presl aliisque ita excolebatur, ut generi *Anthemis*

Linnaei respondent. *Matricaria* non dicta fuit nostra *Chamomilla* ante Vaillantium 1720 et Linnaeum; hoc exinde, quia suo genere orbata et addita *Matricariae* verae, quae *Parthenium* Dioscoridis. Vox *Matricaria* in officinis aevi medii orta, ut jam Ruellius monet, legitur quoque apud Mesuam 1484! Segregata igitur *Chamomilla*, nomen *Matricaria* seponi debet, quod ita bene factum a C. Koch in Linnaea XVII et Gay, loco cujus antiquius et incorruptum nomen cum patribus plurimis conservemus.

347. *Ch. vulgare* Dodon. 1568 et 1583 fig.! C. Bauh.! et herb., Rupp. (*amarum*: J. Bauh. Raj.) = *Matricaria Chamomilla* L. = *Chamomilla vulgaris* Trag. 1552 fig.! = *Chamaemelon leucanthemon* Fuchs 1542 fig.! = *Chamomilla officinalis* (Ruell. 1537!) C. Koch. — Synn. antiq. vide supra.

Herba suaveolens glabra, superne valde ramosa. Folia bipinnatisecta, laciniis linearibus remotis. Capitula $^3/_4$ poll. vel minora. Involucri foliola 1 lin. longa, margine albo scarioso. Receptaculum cavum. Achenia Linnaeus in Fl. Suec. ed. I et II sub *Anth. arvensi* in nota descripsit coronato-marginata (*M. coronata* Boiss. Gay, Koch), alibi etiam nuda. Apud nos, ni fallor, semper nuda sunt.

In cultis, ad vias, in ruderibus, ubique copiose. Floret a medio Majo vel serius ad finem Octobr., frigoris imo levioris patiens. Sub solstitio ligulae elevantur h. $7^1/_2$–$8^1/_2$ usque ad statum horizontalem (*M. Chamomilla* L.), in quo interdum ad h. 4 persistunt; posthac sensim ita reflectuntur, ut h. 7 vespere v. serius pedunculo adpressae sint (*M. suaveolens* L.). ⊙.

Hist. spec. Ubique a Petrop. usque ad Twer, Aug. Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 88 ex syn. J. Bauh.); ad ductus aquarum in locis arenosis et agris desertis, nec non inter segetes frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 138, s. *Matr. Cham.* ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); circa Ribacziam et Ligovo! atque in hortis oleraceis et ruderatis in urbe! Petropoli frequens (Sobol.

Petrop. 1799, p. 200, n. 554) et ad sepes insularum! Newae fl. (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 171, n. 571); in locis cultis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 399); ubique (Turcz. 1825, n. 510); in loc. cult., desertis (Weinm. Petr. 1837, p. 82, n. 549).

Adnot. *Ch. discoideum* (Dec. sub *Matric.*) efferatum magna copia inter *Ch. vulgare* pluribus locis horti bot. Petr. 1850 et prius. A *Ch. vulgari* var. *eradiata* interdum immixtâ differt: receptaculo farcto et habitu rigidiore, compactiore, statura plerumque minore.

§. 2. TRIPLEUROSPERMUM C. H. Schultz.

348. *Ch. inodorum* Visiani, etiam C. Bauh. 1623! propter synn. et adnot. = *Tripleurospermum inod.* C. H. Schultz Bip. = *Chamomilla inodora* C. Koch = *Chrysanthemum inodorum* L. 1763! = *Matricaria inodora* L. 1755! = *Cotula non foetida, Camomilla inodora officinis* Dodon. 1553 fig.! 1583! = *Chamomilla fatua* Trag. 1552! = *Buphthalmum* Fuchs 1542 fig.! propter radicem.

Herba facie *Chamomillae vulgaris*, sed inodora et genere diversa. Capitula plerumque majora, $1^1/_2$ poll. in diam. vel minora, involucri squamae longiores, receptacula hemisphaerica. Valde polymorpha. Typica habet involucri squamas tantum 2 lin. longas, margine sordide (fusco: L. 1755!) et pallide scarioso cinctas, capitula minora, interdum tantum $^1/_2$ poll. Variat:

β. *ambiguum* G. Rchb. Squamae 2–3 lin. longae, margine fusco nigricante ± lato cinctae; capitula majora. Radix ♃, in α sec. Rchb. ⊙. *Pyrethrum ambiguum* Ledeb. Fl. Alt., a me primum huc relatum, differt paulo habitu strictiori.

Forma α. rarius, in arvis pr. Jermolino, in litore arenoso ad lacum Peipus pr. Ruditza, simili loco in ins. Kronstadt fere ad β. transiens. Var. β. Petropoli fere ubique in ruderibus, secus ripas, in agris et arvis; alibi rarius vidi: Karowina versus ostia fl. Luga et circa cataractas fl. Wolchow, sed margine angustissimo fuscescente. Floret

a fine Maji vel serius ad init. Octobr.; specc. perennantia interdum jam fine Aprilis; fr. mat. a med. Jul. ⊙, ♃, sed non longaeva.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 516, n. 524 s. *Chrys. inod.* L. ut seqq.); in sylvis montosis circa Petrop. rarius (Sobol. Petrop. 1799, p. 199, n. 551), nempe prope Crasnoselium (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 168, n. 568); in locis cultis copiose (Weinm. Pawl. 1824, p. 399 s. *Pyreth. inod.* W.); ubique (Turcz. 1825, n. 519); in agris desertis (Weinm. Petrop. 1837, p. 83, n. 552 s. *Pyr. inod.* Smith); *Matr. inodorae* var. *phaeocephala*, margine fusco squamarum tenuiore in litoralibus Petrop. (R. Samoj. 1845, p. 43).

Adnot. Ad hanc speciem pertinere videtur planta aenigmatosa Krascheninnikowii, in Ledeb. Fl. Ross. II, 1845, p. 558 memorata, cujus unicum exemplar ad fl. Wolchow supra pagum Tschortowo (Tschudowo) in prato lectum fuit; quod in Codice Krasch. n. 161 et in ed. Gort. 1761, p. 137 sine nomine triviali propositum, cum descript. et syn. *Pyrethrum* foliis glabris, imis petiolatis palmatis, ad caulem semipinnatis: Haller helv. 721, Gmel. Sibir. II, 201. Sobolewsky (Fl. Petrop. 1799, p. 201, n. 557 et ed. ross. II, 1802, p. 175, n. 574) et post illum Georgi (1800, p. 1254, n. 6) plantam hanc pro *Anth. Pyrethro* L. determinarunt, pro Ingria impossibili; ipse (Petr. 1845, p. 80) pro *Pyrethro corymboso?* (conf. var. monocephalam G. Rchb. tab. 103) et Ledebour pro *Pyr. Parthenio?*. Synonymum Halleri a Linnaeo non explicatum, est *Pyrethrum Halleri* Willd. sive *Leucanthemi* spec. *vulgari* proxima, nisi hoc ipsum humile; sed descriptio Krasch. et syn. Gmelini allegatum nimis contradicunt assertioni Krasch. ipsius «in omnibus pene descriptioni Hallerianae respondet». Apud Krasch. et Gorter vero adhuc deest *Chamaem. inodorum* et descriptio Krasch. facile formam mono- et phaeocephalam cauliculis lateralibus decumbentem indicat, praecipue vero verba «facies *Matricariae*, sed flos speciosior». Plantam Gmelini allegatam pro *Pyrethro*

ambiguo agnoscit Ledebour (Fl. Ross. II, 547) cum aliis confuso.

CLXXIV. SENECIO.

Originem nominis classici vide supra p. 538 sub *Conyzella*. Diu genus angustissimis limitibus restrictum fuit. *Senecio* Tourn. Vaill. tantum species eradiatas continet. Linnaeus addidit *Jacobaeam* C. Bauh. Tourn. et Vaill. (cujus species rarius apud patres *Senecionis* titulo veniunt) et *Solidaginem* Vaill. 1720 sive *Doriam* patrum et Dillenii 1719 (conf. supra p. 562 sub *Chrysorhapi*), quas nemo antehac pro *Senecionibus* consideravit. Tandem Decandolle et recentiores, praecedente quodam modo Haller, *Cinerarias* Europaeas et Sibiricas Linnaei adjunxerunt, ita ut genus in molem semper majorem increverit et nunc plantas habitu valde diversas includat, propter defectum characterum evidentium in genera plura difficilius distribuendas.

§. 1. ERIGERON. Diosc. Plin. — Dodon. Lob. Thal.

Herbae ⊙, foliis pinnatifidis. Involucrum evidenter calyculatum. Cymae capitula discoidea vel obscure ligulata.

349. *S. vulgaris* Trag. 1552 fig. opt.! J. Bauh. Raj. L. = *S. minor vulgaris* C. Bauh.! et plur. = *Erigerum minus* Dodon. 1583 fig.! = *Senecio Erigerum* Gesner 1561, Tabern. fig.! = *Senecio* Plin.! Fuchs 1542 fig.! Matth. 1558 fig.!, Lobel. 1576 fig.! et plur. = ἠριγέρων Theophr.! Diosc.! opt. descr.; Ruell.!
Glaber v. sparse pilosus, ad gemmas araneoso-floccosus. Folia superiora amplexicaulia, variant omnia integra anguste oblonga, margine inaequaliter sinuato-dentata (in fig. Fuchsi, Tragi, Matth. Dodon.), vel (in planta typica Linn. et Lobel.) latiora pinnatifida, vel latissima pinnatipartita: partitionibus iterum pinnatifidis. Capitula eradiata, 3 lin.

In cultis et ruderatis, ad vias et in plateis urbium, ubique vulgatissime. Flor. et fr. ab init. Jul. v. prius ad

Oct. et Nov. usque; a. 1853 florentem inveni 1 Decembri, antecesso frigore — 11⁰ R., insecutisque imbribus. ⊙.

Hist. spec. Ubique inter Petrop. et Twer, flor. et fr. Aug. (Gmelin mss. 1733, n. 95 ex syn. C. Bauh.); c. Petrop. ubique abundat (Amman mss. 1734, n. 26 ex syn. C. et J. Bauh.); passim (Krasch. ed. Gort. Fl. Ingr. 1761, p. 240); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); ubique in cultis et ruderatis (Sobol. Petr. 1799, p. 196, n. 540; ed. ross. II, 1802, p. 159, n. 557); in locis cultis (Weinm. Pawl. 1824, p. 387); ubique (Turcz.! 1825, n. 502); in omnibus locis cultis et ruderatis (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 540).

350. *S. viscosus* L.! excl. syn. C. Bauh. dubio = *Jacobaea incana viscosa annua Senecionis folio* Vaill. 1720 = *S. hirsutus viscidus major odoratus* J. Bauh. 1651 fig.!, Raj., Pluk., Dillen. fig. 336 opt.! = *Jacobaea pannonica 1 mollior* Clus. 1583 opt.! = an *S. incana* Lobel. 1576! excl. fig. = *S. foetidus* Gesner 1561, Dalech., Park. = *S. major* Trag. 1552! et alio loco *Matricaria sylvestris* (sec. J. Bauh. Dillen. Haller).

Herba tota sordide opaca, pilis densis brevibus glandulosis viscosa. Folia pinnatifida v. partita: laciniis obtusatis inaequaliter inciso-dentatis. Capitula obscure radiata, praecedente specie majora (4 lin.) et numquam adeo congesta. In specc. macris v. pygmaeis folia integra spathulata simpliciter pinnatifida, caulis monocephalus.

Copiosissime in arena litorali ins. Kronstadt, verosimiliter olim adportata et propagata in litus arenosum pr. Lissi Noss, Lachta, Oranienbaum et Peterhof, nunc in rudera vicina aberrans. Floret a fine Julii saltem ad init. Sept.; ligulae explanatae a h. 10-3, revolutae ante 5h. vespere; fine Aug. fr. mat. partim delapsis. ⊙.

Hist. spec. In ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795; Hb. M. Bieberst!, Rshewsky ex Kastalsky mss.); Petropoli (H. Mertens Catal. mss. 1823); in arenosis pr. Oranienbaum! copiose, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 388); pr. Oranienbaum (Prescott ex Turcz.! 1825,

n. 503); in arenosis maritimis, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 81, n. 541).

Obs. 1. *S. sylvaticus* L. ex ins. Hochland et Haapsari (R. Diatr. 1845, p. 23), differt a *S. viscoso*: capitulis minoribus et angustioribus congestis, indumento arachnoideo-puberulo.

Obs. 2. *S. vernalis* W. Kit. dignoscitur ligulis magnis, caule floccoso-lanato. Crescit in Livonia finitima pr. Stockmannshof! Vidi etiam specimen in Supplem. Hb. Petrop. Kastalskiani in instit. paedag. asservati, sed sine loco speciali, an e gubernio Pskow?; in hoc Suppl. etiam adest *Vicia cassubica* L.!

§. 2. JACOBAEA Dodon. Tourn. Vaill.

Herbae ♂ ♃, foliis lyrato-pinnatifidis. Cyma fastigiata. Involucrum evidenter calyculatum. Ligulae speciosae, mox revolutae.

351.) *S. Jacobaea* L. = *Jacobaea vulgaris* (Clus. 1601 fig.! C. Bauh. in Matth., J. Bauh.!, Raj.) *laciniata* C. Bauh. 1623 p. p. saltem herb. et plurr. = *Jacobaea* 1 Dodon. 1583! = *Jacobaea Senecio* Lobel. 1576 fig.! apud Clus. et Dodon. repetita = *Artemisia*, herbariis *Jacobea* Dodon. 1553 fig.! = *St. Jacobi flos* s. *herba* (Brunf. 1531 fig.!) Fuchs 1542 fig.! et plur.

Radix crassa napiformis. Caulis $1/2-1 1/2$ ped. purpurascens, sparse floccosus, superne fastigiato-ramosus. Folia radicalia variant ± pinnatisecta vel integra; caulina 1-2 pinnatisecta: segmentis angulato-dentatis. — Specc. campestria apice tantum diramificata sunt et capitula densiora gerunt. Specc. Turcz. et Petrop. recedunt caule viridi, pedunculis apice incrassatis, capitulis majoribus, ligulis speciosioribus; praecipue vero illa Turczan. ad *S. aquaticum* Huds. et *S. pratensem* Richter accedunt propter folia caulina subintegra ovata, basi tantum lyrata, suprema simpliciter pinnatisecta, radicem tenuiorem; cum vero locus specialis et formarum series nondum innotuit, observationibus futuris commendo.

In graminosis siccis apricis; rarius in fruticetis umbrosis, ubi major et latifolia. Planta pro Fl. Petrop. nondum satis vindicata. Praecipue obvenit in parte occidentali gubernii Petrop.; copiose ad fl. Pljussa pr. Polja, porro ad fl. Sholtscha, prope Soltza versus limites gubernii Pskow, in quo iterum versus Katjeshnaja copiosius adparet (R. Iter Ingr. in Bull. XII, 1854, p. 94 s. 224); singula specc. obesa, a basi jam diramificata ad pagum Sapolje pr. Gorodetz et in fimetosis Petropoli, haec ad figg. patrum melius quadrant. Floret ab initio Julii saltem ad init. Aug. ♂ ♃.

Hist. spec. Ad ductum aquarum Ladogensem (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 135, ex quo «Newa» factum in Falk Beitr. II, 1786, p. 241); et in declivibus atque pratis humidis sylvosis Osinovae Roschczae et Dranicinae, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 196, n. 541; ed. ross. 1802, p. 160, n. 558); Ingria (Georgi 1800, p. 1242, n. 11); vidi in herb. Kastalskiano (R. Petr. 1845, p. 79), etiam specc. Turczaninowii Ingrica, an e regione Pargolensi?

§. 3. DOREA Gesner, Lobel. (conf. supra p. 562).

Herbae ♃, caule rigido exaltato, foliis salicinis. Cyma fastigiata polycephala. Involucra evidenter et longe calyculata, squamis paucis; ligulae magnae patulae plerumque paucae.

352. *S. paludosus* L. Fl. Suec.; Fries. herb. norm. Suec. II, 2! R. Diatr. Petr. 1845, p. 79 et in Bull. 1854 p. 88 exactius defin. = *S. immunis* Wallr. 1842! = *Conyza palustris serratifolia* C. Bauh. 1623! (excl. syn. Tabern.) et herb. = *Conyza aquatica maxima serratifolia* Thal. 1588 c. fig.! a Camer. editâ (folia angustissima, inferne albo-lanuginosa) = *Lingua major* Dalech. 1586 fig.! = *Solidago sarracenica* Pena et Lobel. 1570, 1576 c. fig.! repetita in Dodon. 1583! et Dalech.! = *Conyza aquatica fol. serratis* Gesner 1561, 1587.

Rhizoma repens. Caulis subglaber. Folia lineari-lanceolata, margine argute serrata: serraturis antrorsis apice

inflexis, subtus normaliter glabra. Anthodia basi glabra v. parum floccosa, ligulae 10–12 speciosae. Haec est planta typica Linnaei, fide spec. herb. norm. II, 2 e Scania media, sive α. *nudiusculus* Ledeb. Fl. Ross. II, 1845, p. 640, sive β. *glabratus* Koch 1846. Variat β. *vulgaris* Ledeb. l. c. folia ratione longitudinis latiora, subtus evidentius arachnoideo-pubescentia; indumentum floccoso-canescens in apice caulis, pedunculorum et ad basim anthodiorum. Magis abludit γ. *grandidens* (R. 1854 l. c.); folia majora, margine duplicato-serrata: serraturis majoribus, 2 lin.; haec var. accedit ad *S. munitum* Wallr., sed folia basi non auriculata et serraturae latiores.

In fruticetis humidis; ad ostia Newae copiose, fere semper α. optima; β. inter Narwa et ostia fl. Pljussa; γ. pr. Sholtscha inter Gdow et Pskow (R. Iter Ingr. in Bull. XII, 1854 p. 88 s. 220), nec non ad margines lacus pr. Orlino (Faldermann!). Floret a med. Julio ad init. Aug., med. Aug. fr. mat. floribus ultimis. ♃.

Hist. spec. In Russia Petropolin usque crebrius occurrit (Gmelin Fl. Sibir. II, 1749, p. 161, n. 134 ex syn. Halleri et Tabern.); unicum exemplar ad ductum aquarum Ladogensem inveni (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 135; Ledebour in Fl. Ross. ad β. amandat unacum planta Weinmanni); ibid. in paludosis (Sobol. Petrop. 1799, p. 197, n. 542; ed ross. II, 1802, p. 160, n. 559); Petropoli (Longmire 1823, p. 196; H. Mertens Catal. Fl. Petr. mss. 1823); in paludosis maritimis (Weinm. Pawl. 1824, p. 388); in sylvis humidis et ad fossas viae Peterhofianae! incipiens a 9 stadio ab urbe, etiam in ins. Petri! sed parce (Turcz.! 1825, n. 504; specc. visa quidpiam floccoso-arachnoidea, transitum ad β. indicant); in maritimis legit b. D. Nippa (Weinm. Petrop. 1837, p. 81, n. 542); Krestowsky, Resvoi, in fruticetis ins. rotundae et Wolnaja copiose (R. Petr. 1845, p. 79).

Obs. *S. sarracenicus* L. circa ostium Narowae fl. in saliceto (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 135; ex hoc in Sobol. Petrop. 1799, p. 197, n. 543; ed ross. II, 1802,

p. 161, n. 360); Ingria (Georgi 1800, p. 1243, n. 14, tantum fide Gort. receptus). Ledebour in Fl. Ross. II, 640 pro dubia planta habet. Ipse in loco Krasch. frustra vestigia quaesivi fine Maji 1853, conf. Bull. XII, p. 78 s. 212; an *S. paludosus* γ.? Genuinus *S. sarracenicus* bene diversus est serraturis fol. densioribus et brevioribus, omnibus apice eximie incurvis.

§. 4. OTHONNA L. 1753 ref.

= *Cineraria* L. 1763 p. p. Rchb. Fries (non Linné pl. Afric. 1760 et Decand., neque *Cineraria* Dodon. et patr.).

Herbae ♃, fol. oblongis v. cordatis. Cyma depauperata, subumbellata. Involucrum ecalyculatum.

353.) *S. campestris* Dec. β. *glabratus* Dec. 1837; saltem R. Iter Ingr. in Bull. XII, 1854, p. 89 s. 220. Non multum differre videtur *Othonna integrifolia* L. 1753 sive *Cineraria alpina* β. *integrifolia* L. 1763.

Unicum tantum specimen 20 Junio plene florens ad Chinkelowo pr. Siworitzy in graminosis humidiusculis juxta fruticeta. Specc. identica vidi e Slatoust et ex Caucaso; e multis exempl. Fl. Samojed. tantum unum simile.

A *Cineraria campestri* typica, cujus spec. originale Retzii ad Ehrhartum missum vidi, differt nostra: caule robustiori bipedali, indumento floccoso parciori, pedunculis bipollicaribus, ligulis speciosioribus, 5 lin. Magis convenit expositio Decandolii, citat vero *Cin. crispam* β. *papposam* Ledeb. Fl. Alt., quam ipse Ledebour in Fl. Ross. transtulit ad *S. pratensem* Dec., a planta Ingrica ceterum sat simili diversam glabritie, praecipue vero (G. Rchb. t. 88) anthodio purpurascente. Figura *C. campestris* var. *procerae* Rchb. t. 132 fere citari posset pro nostra, si ligulae longiores essent. In spec. Ingrico folia infima cordata, vel ovata, repanda, petiolis ½ - 2 poll. alatis insidentia; folia caulina oblonga, 4 - 5 poll., superiora latolinearia; indumentum floccoso-arachnoideum modicum in caule foliisque; capitula 14 umbellata, fere ½ poll., radio aureo.

Obs. *S. palustris* Dec. = *Othonna pal.* L. crescit jam in Livonia finitima pr. Heiligensee (Bunge in Fleischer 1853, p. 221).

CLXXV. LIGULARIA Cassini 1816.

354. *L. sibirica* Cass. (*cacaliaefolia*) = *Senecio cacaliaeformis* G. Rchb. 1853! (Lamck. sub *Cineraria*) = *Othonna sibirica* L. 1753 et *Cineraria sibirica* L. 1763 (caulis monophyllus v. subnudus, humanae altitudinis) = *Othonna* L. 1748 = *Solidago* n. 139 Gmelin 1749! = *Jacobaeastrum Cacaliaefolio* Gmelin ex Amman 1739 tab. 24! planta Argunensis, cujus color et indumentum foliorum optime cum Petrop. convenit = *Jacobaeoides Ari crenati folio* Vaill. 1720 solum nomen pro planta Tournef., hinc ab Ammanio cum? citatum = *Jacobaea orientalis Cacaliae folio* Tournef. Coroll. 1703 solum nomen; fide quoque M. Bieberstein, qui plures plantas in hb. Tournef. inspexit.

Planta Petrop. differt praecipue a typica in eo, quod folia adulta subtus cinerea et molle villoso-tomentosa sint, quo in respectu utin aliis perfecte cum Bohemica et Caucasica (*Cin. sibirica* M. Bieb. Flora Taur. Cauc.! et herb.!), hinc verosimiliter etiam cum Tournefortiana convenit, quare sub nomine primitivo *cacaliaefolia* lubenter restituerem. Omnia specc., quae examinavi Sibirica a Turczan. missa, folia subtus glabra possident; *L. speciosa* (F. et Mey.) interdum tale indumentum offert, ut Petropolitana, sed in multis aliis differt. Nostra differt etiam a *Cineraria sibirica* W. Kit. 1802, tab. 16: ligulis tantum 6 lin. longis, nec 7–8, ut in icone, caule humiliori, rarius 2–3 ped. (nec 4–5 ped.); praeterea W. Kit. totam plantam nudam! appellat, exceptis fol. radicalibus; convenit caule 2–3 phyllo, quo ipso a planta Linnaeana discedit. Sec. Decand. Prodr. proxima esset γ. *araneosae* Dec., sed diversa scapo haud araneoso et inde β. *vulgari* propinqua. En descr. ad specc. Petrop. viva:

Caulis simplex, plerumque purpurascens. Folia fere

Calthae, late cordata, basi obtuse hastato-sagittata, longe petiolata, margine repando-dentata, supra viridia, subtus indumento jam memorato praedita. Bracteolae capitulorum et apices squamarum anthodii purpurascentes. Apex scapi cum pedicellis et bracteis, nec non bracteolis 2 capitulorum arachnoideo-villosus, cinerascens, demum (tomento evanido) puberulus vel infra racemum subglaber. Anthodia glaberrima. Pedicelli patentes, dein cernui.

In fruticetis paludosis circa montem Duderovo planta speciosissima iterum detecta a DD. Borszczow 1851 (conf. R. in Bull. XII, 1854, p. 78 s. 213 s. *Ligul. sibir.* var. *bohemica*). Floret ante med. Julii v. serius, fine Aug. et init. Sept. fruct. mat. cum fl. ultimis. ♃.

Hist. spec. Petropoli (Boeber ex Georgi 1790, p. 516, n. 519 s. *Cinerar. sibirica* L. ut seq.); circa urbem Gatczinam et in monte Duderovo, fl. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 198, n. 545; ed. ross. II, 1802, p. 163, n. 562); Ingria (Georgi 1800, p. 1246, n. 1). Posthac a nemine amplius visa, ita ut H. Mertens in mss. 1823 pro eliminanda et erronea consideraverit; olim tamen repertam fuisse vel traditione ad aures Sobol. pervenisse, non penitus abrogari potest; planta enim ab omnibus distinctissima.

Adnot. *Cineraria glauca* L. circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 516, n. 518); in monte Duderovo et circa pagum Colodeci in sylvis montosis, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petr. 1799, p. 198, n. 546; ed ross. II, 1802, p. 163, n. 563); Ingria (Georgi 1800, p. 1246, n. 2). Cel. Ledebour in Fl. Ross. II, 1845, p. 621 docuit, plantam Linnaei et omnium fere auctorum, incluso syn. Gmelini, non ad *Senecillin glaucam* Gärtner, sed ad *Ligulariam altaicam* Dec. pertinere. Anne igitur *Ligulariam cacaliaefoliam* e Petropoli ante oculos habuerunt? Circa Kolodetzi tantum *Hieracium praemorsum* L. invenire potui. *Senecillis* optime differt a genere *Ligularia* pappo brevissimo! uniseriali, ut apud Gärtner Carpol. II, 1791 t. 173 repraesentatur; analysis sub *Senecilli* apud G. Rchb. Corymb. omnino ad aliam plantam pertinet.

C. SEMIFLOSCULOSAE.

CLXXVI. LAMPSANA.

Λαμψάνη Diosc. II, 142 jam prius a Romanis (Varrone II, 16, Celsio, Plinio, Columella) *Lampsana* et *Lápsana* dicta, ad olera sylvestria pertinet. In Graecia *Erucastrum incanum* simile nomen (λάχανα) habet et usum, quare cel. Fraas hoc esse profitetur. Romanis forte *Raphanistrum segetum* aut *Sinapis arvensis*, ut Gesner, Anguill., Dalech., Caesalp., Tabern., Columna et alii crediderunt; *Lampsana* vero Matthioli 1558! quoad figuram multo melius *Erucastrum incanum* exprimit. Cum descriptio nullibi, ut videtur, apud veteres exhibita exstet, difficile refutari potest opinio Dodonaei 1559! Lobelii 1570, Thalii et Camerarii, quorum *Lampsana* in dignitatem generis hodierni a Tournefortio evecta fuit. Vaillant!, Necker, Jussieu et Decandolle scribunt ad imitationem Dodonaei: *Lampsána*; Linné ab a. 1740 *Lápsana*, quae vox legitima est, asserente Bellonio III, 51. Origo nominis dubia; a λαπτέιν lambere, Ruellius suspicatur; a lasana: Pena et Lobelius, qui *Lampsanam* Italis «di landri et di lasana» vocari scribunt; an forte similitudo quaedam adest cum *Chrysolachano* Plinii? quod Dodonaeus cum *Chenopodio bono Henrico* et Ruellius fide C. Bauhino cum *Lampsana* combinavit. Λάχανον quaelibet planta oleracea appellata fuit. Opinio Dodonaei inde suspecta, quod Dioscorides scribat, *Lampsanam* plus nutrire, quam *Lapathum*; an var. crispa (Boerh. Linné)?

355. *L. Dodonaei* Camer. 1588!; Thal. 1588 (duplicem habet, fol. integris et divisis); J. Bauh. 1651 fig.! Rupp. 1718 in indice = *Lápsana communis* L.! = *L. vulgatissima* Vaill. 1721 = *Lamps. domestica* C. Bauh. 1623! et herb. = *Lampsana* Dodon. 1559! fig., 1583 fig.! Lobel. 1570 fig.! et plurr.

Folia tenuia, dentata, inferiora lyrata: lobo terminali

ovato basi cordato. Caulis $^1/_2$–$2^1/_2$ ped. ramosus, paniculatus. Herba glabriuscula, sed ludit saepe pubescens vel subhirsuta: *L. pubescens* Hornem. 1819, quae Rchb. Dec. et Fries tantum varietas. Neque cum Ruppio et Hallero 1745 diversam video β. *L. sylvaticam* C. Bauh. 1623!, Wallroth 1844!! = *Sonch. sylvaticum* II Tabern. 1590 fig.! (I et III ad *L. domesticam* spectat), caule elatiori, foliis tenuissimis acutius dentatis; a me culta, humilior facta est et folia firmiora adquisivit, involucri squamas distinctius ciliatas praebuit.

In locis cultis et incultis; β. in sylvis ad vias saepius calcatas, fere ubique copiose. Floret a fine Junii v. serius ad finem Octobr. frigoris imo levioris patiens; fr. mat. ab init. Julii v. serius. ⊙.

Hist. spec. Gmelin in mss. 1733, n. 100 affert plantam, non procul a Tossna m. Aug. flor., ex syn. Tournef. pro *Crepide pulchra* L. interpretandam, forte huc referendam. Petropoli vulgatissima (Gmelin Fl. Sib. II, 1749, p. 40, n. 33 e syn. Linn.); passim, praesertim autem ad rudera domorum (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 126 s. *Laps. comm.* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in cultis et ad rudera domorum frequens (Sobol. Petrop. 1799, p. 186, n. 511; in ed. ross. II, 1802, p. 125, n. 526 additur loc. ins. Basilii); in monte Pulcovo, flor. 25 Jul. (Smjelovsky Prodr. Fl. Petrop. mss. 1806); in fruticetis et ruderatis (Weinm. Pawl. 1824, p. 370); ubique (Turcz. 1825, n. 476); in cultis, ruderatis dumetisque (Weinm. Petr. 1837, p. 77, n. 515); Jermolino var. pubesc.-hirsuta, Gorodetz, Lotschkina var. *sylvatica.*

CLXXVII. CICHORIUM.

Κιχώριον Theophr. IX, 11 *καὶ* σέρις Diosc. II, 160 est *Cichorium* Plinii et patrum et hodiernum. Sylvestre in Aegypto *Cichorium* vocant, sativum autem *Serim:* Plin. XX, 8. Σέρις vero a σειρά filum; Theophrastus enim, cui nomen σέρις ignotum, de *Cichorio* scribit, caulem (radicem dicit Plinius) tenacem esse, qua de causa

pro vinculo eo utuntur. Alii a σάρειν mundare, quia caulis intus vacuus v. inanis est, quare Romanis *Intubus* (Virgil. Georg. I, 120, IV, 120 — folia intubacea Plin. 27, 12, 82) vocatur. Ceterum historia *Cichorii* apud veteres et in libris botanicis pari modo intellectu difficilis, ac natura ejus. Nomen *Cichorium* multifarium fuisse et ad diversas *Cichoriaceas* vulgo translatum, ostendit Bodaeus p. 811 et Dioscorides ipse *Chondrillam* sic vocari scribit. Singulare, quod veteres florum colorem coeruleum non meminerint, contra vero valde perennem et stoloniferum scribant, quare Plinius *Cichorium sylvestre* «erraticum» appellat, addens apud vernaculos quosdam *ambugiam* vocari (corrigunt «*ambulejam*» ab ambulare). Genus naturalissimum, definitu facillimum, purum apud Rajum et Tournefortium.

356. *C. sylvestre* Gesner Coll. 1553, p. 536! Dodon. C. Bauh.! et herb., J. Bauh. Raj. Lamck. = *C. Intybus* L. = *Intubus sylvestris* Gesner 1553, p. 526! 503!; Camer. 1586 fig.! = *Intubum sylvestre* Fuchs 1542 fig.! — *Intybus*, *Intybum*, *Intubus*, *Intubum* primitus et apud omnes fere patres erat planta culta, *Endivia* dicta in Hetruria, ex corruptione *Intybi* orta, ut jam Fuchs asserit. Secundum Dodonaeum, qui optime inter *Cichorium* et *Intybum* distinxit «utrumque ejusdem generis, sed *Intybum* sativum, *Cichorium* vero sylvestre est».

Folia inferiora pinnatifida v. runcinato-partita, floralia bracteaeformia, ovata basi amplexicaulia, capitulis subbreviora. Pappus acheniis multiplo brevior. Capitula 2 v. 3 congesta sessilia, sed heic non raro etiam solitaria in ramis longis intubaceis patenti-divaricatis: *C. divaricatum* Schousboe ex Sprengel 1826, Decand. pro var. β. in Prodr. Flores coerulei, in cumulis formicarum rubros fieri, vetus observatio est. Ex forma foliorum et amarore duplex distinguitur apud patres.

In ruderibus et suburbiis, ad pagos, sepes hortorum oleraceorum, rarius; sine dubio olim introductum, nunc

pluribus locis Fl. Petr. efferatum v. subspontaneum (circa urbem, Tsarskoje Selo, Gatschina, Duderovo, ins. Kronstadt) plerumque parce; Iwangorod pr. Narwam. Floret ab initio Julii saltem ad finem Aug. ♃ (Dec. Koch; per plures annos: Dodon.), ♂ sec. Rchb. et Weinm. Planta Petr. e seminibus culta, floruit Jun. et Jul. anni secundi.

Hist. spec. Petropoli in prato juxta hortum palatii Imperialis aestivi (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 127 s. *C. Intybo* L. ut seqq. — Krasch. adhuc ignotum), quo vero loco omnes plantae destructae sunt, ad margines agrorum circa Ribacziam et in superiori regione Newae (Sobol. Petrop. 1799, p. 186, n. 512; ed. ross. II, 1802, p. 126, n. 527); ad agrorum margines et in ruderatis parce, (Weinm. Pawl. 1824, p. 371 et Petrop. 1837, p. 77, n. 516); rarius in oleraceis, Toxowae copiose (Prescott ex Turcz. 1825, n. 477).

CLXXVIII. APARGIA.

Ἀπαργία Theophr. VII, 9 inter herbas ad radicem tantum foliatas solo nomine enumeratur. *Apargia* Dalechampii 1586 testibus jam Haller et Linné, nec non figura Dalech. est eadem planta vulgaris, quam Don 1829 *Oporiniam* dixit (*Scorzoneroides* Mönch 1794); solus C. Bauh. etiam sub *Hypochoeride radicata*: *Apargiam* citat, cui sententiae quoque syn. Dodonaei a Dalechampio allegatum favet. Scopoli 1772 iterum nomen *Apargia* resuscitavit pro genere *Taraxaconoide* Vaill.: *Leont. hastili* L., *L. incano* Schrank et *Thrincia hirta* Roth. *Apargia* Willd. spec. pl. (et prius Hoffmann 1791!, nec non Host 1797) a *Thrincia* distinctum genus, fere purissimum, omnino respondens *Leontodonti* Rchb. Cel. Reichenbach 1831, duce Jussiaeo 1789, in locum *Apargiae* genus *Leontodon* Linnaei emendatum restituit, pappo plumoso fundatum, ut Linné in charactere generico (sed verosimiliter errore quodam) jubet. Nomen *Leontodon* a Linnaeo primum 1737 introductum, translatum a genere *Dens leonis* Tour-

nefort (strictiori sensu etiam C. Bauh. et omnium patrum ad Brunfels usque); Linné prius (1735) idem genus *Taraxacum* appellavit, cujus suppressionem Haller 1742 Linnaeo non concessit. *Dens leonis* primitus erat planta Theophrasto ἀφάκη dicta, *Taraxacon officinarum*, Löwenzahn, cujus folia maxillam leonis dentibus instructam aemulari sibi finxerunt aevo medio. Jam Vaillantius 1721 docuit, genus *Taraxacon* Tourn. e 2 compositum esse, quorum 1. *Dens leonis* (*Leontodon* Adans. 1763, Willd.) pappo piloso, 2.) *Taraxaconoides* (*Leontodon* Juss. 1789, *Apargia* Willd.) pappo plumoso instructum est. Utrumque iterum junxit Linné, sed in charactere generico *Leontodonti* suo 1737 et iterum 1748 per festinationem quandam pappum plumosum adscripsit, licet pro prima et typica specie *L. Taraxacum offic.* posuerit. Jussieu 1789 *Taraxacum* definito modo iterum sejunxit a *Leontodonte*. Nomen *Leontodon* recentius est, quam nomen *Apargia*, aperte plantam designat, s. n. *Dens leonis* omnibus patribus bene cognitam, speciem primam et typicam generis Linnaeani (licet characteri generico contrariam), pro *Apargia* igitur, jam 1791 optime generice constituta, haud recte substitui potest.

§. 1. OPORINIA Don 1829, Less. 1832 = *Scorzoneroides* Mönch 1794.

357. *A. autumnalis* Hoffm. 1791!, Willd.! = *Oporinia autumnalis* Don = *Leontodon autumnale!* L. = *Hieracium minus* Fuchs 1542 fig. opt.! et pl. patr.

Radix praemorsa, undique fibrosa. Herba glaberrima. Folia omnia ad radicem congesta, plerumque runcinato-pinnatifida. Scapus adscendens, furcatus vel ramosus (rarius indivisus), versus apicem incrassatus et squamulosus. Anthodia glabra v. canescentia, sed variant β. fusco-villosa: *A. pratensis* Link 1829 = *Hierac. Taraxaci* L. 1763! e Lapponia, si scapus monocephalus; hoc cultura in *A. autumnalem* redire, cel. Fries observat 1828. Planta Linkii cultura non mutatur sec. Rchb.

Ad vias, in pratis et pascuis, vulgatissima planta. Floret

a medio Jun. ad init. Octobris v. serius, frigoris levioris (3^0 R.) patiens; fruct. mat. fine Julii v. prius; post solstitium flores fine Julii expansi h. 8 matut., clausi ante 5^h. pomerid.; m. Aug. capitula expanduntur h. $9-9\frac{1}{2}$, clauduntur inter h. 2-4, in umbrosis anthesis a h. 10 v. 11 usque ad h. $4\frac{1}{2}-5\frac{1}{2}$. ♃.

Hist. spec. Apud Gorter et Falk verosimiliter pro *Hypochaeri radicata* obvenit. Circa Petropolin (Boeber ex Georgi 1790, p. 74, n. 469 s. *Leont. aut.* ut seq.); in pratis agrisque incultis et ad vias ubique (Sobol. Petrop. 1799, p. 181, n. 495; ed. ross. II, 1802, p. 114, n. 510); in pratis et pascuis frequens, autumno (Weinm. Pawl. 1824, p. 365 s. *Apargia aut.* Hoffm. ut seqq.); ubique (Turcz.! 1825, n. 463); in prat. et pasc. fruticetis et ad vias ubique, Aug. ad Octobr. (Weinm. Petr. 1837, p. 76, n. 504); var. *pratensis* Koch fere ubique, adest etiam forma monocephala typi ipsius (R. Diatr. 1845, p. 77 s. *L. autumnali*).

Obs. *Leontodon aureum* L. a Georgio 1800, p. 1209, n. 2 in Ingria indicatum, falsissimum est. Tantum, pappo neglecto, confundi poterat cum *Apargia autumnali* β. *pratensi* 1-2cephala, male siccata.

§. 2. VIREA Adans. 1763 p. p.

(excl. syn. C. Bauh., quod *Thrincia hirta!*) Gärtn. II. 1791, t. 159! (*Taraxaconoidem* Vaill. citat, ut Adans., sed praecipue hanc §. intelligit) = *Leontodon* L. p. p. Juss. 1789. Cass. Less. 1832 (non *Dens leonis* Vaill. et patr., unde nomen).

358. *A. hastilis* Hoffm. 1791!, Willd.! et jam C. Bauh. in herb. fide Hagenbach!! = *A. hispida* β. *glabrata* Fries 1828! = *L. hastilis* β. *glabratus* Koch! = *Virea hastilis* Gärtn. 1791! = *Leontodon hastile* L. 1763?, saltem Jacq. Austr 1774, tab. 164! conf. epist. Linnaei ad Jacq. p. 138; = *Leont. danubiale* Jacq. 1762 s. *Aparg. danub.* Scop.; cur nomenclaturam mutavit Jacq.? = *L. hispidum* var. glabra (Krasch.) Gort. 1761! = *Dens leonis*

glaber etc. Sherard apud Moris. 1699, Raj. = *Hierac. dentis leonis folio monoclonon glabrum* C. Bauh. 1671 sec. Herb. ipsius et Burseri (Haller et Fries).

Simillima *Aparg. hispidae*, sed folia cum scapo glaberrima, anthodii squamae tantum apicibus incano-barbatae; scapi plerumque graciliores, basi cum petiolis rubescentes. Jam Kraschen. pro sola varietate sequentis consideravit, post eum plures alii. Species revera suspecta propter characterem levidensem et proventum saepe mixtum, sed transitus evidentes in locis natalibus nondum offendi; ex observ. cel. Fries in hortis per radicem propagata constans et e seminibus pl. Petropolit. utramque colui, secundo anno florentem et immutatam (Schkuhr culturâ in *A. hispidam* mutasse perhibet). Accedit etiam distributio geographica diversa, v. g. in Scandinavia haec tantum in Gothia, *hispida* vulgatior fere ubique (exc. Lapponia); ita etiam in Rossia fide Ledebour.

In plerisque cum *A. hispida* locis mixta, copiose in montibus pr. Duderovo, Gatschina, Lapuchinka, Kolodeci, Hinkelowa; Luga, Gorodetz. Floret eodem tempore. ♃.

Hist. spec. In montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 120 s. *Leont. hisp.* var. *glabra*); cum *L. hispido* (Sobol. Petrop. 1799, p. 181, n. 496; ed. ross. II, 1802, p. 115, sub n. 511 ut var. *L. hisp.* β.); in m. Dud. praecipue circa ecclesiam Fennicam, etiam alibi cum *L. hispido*, sed vix in illum transiens (R. Petr. 1845, p. 77 s. *L. hastili* L.).

359. *A. hispida* Hoffm. 1791! Willd! = *Virea hispida* Gärtn. 1791! = *Leont. hispidum* L. 1753! = *Dens leonis fol. hirsutis* et *asperis* Tournef. 1700! (propter syn. J. Bauh.) = *Hierac. caule aphyllo hirsutum* J. Bauh. 1651 fig.! = *Hierac. minus dentis leonis folio monoclonon* C. Bauh. 1623 fide Hb. ipsius et Burseri, teste Hagenb. et Fries, excl. syn. Tabern. = *Hieracium sylvestre* in pratis: Gesner 1587 (fide Haller).

Radix praemorsa, obliqua, vetustior ramosa. Scapi semper indivisi radicales monocephali, aphylli vel apice in-

crassato bracteolis 1–2 vestiti. Folia runcinato-pinnatifida v. dentata, hirta, utrinque pilis furcato 2–3 fidis tecta. Scapus saepissime eodem indumento tectus, anthodia pilis plerumque longioribus et crassioribus indivisis.

In montosis declivibus graminosis, fruticetis siccioribus, ad margines sylvarum, praecipue in reg. elevata Fl. Petr. substrato calcareo syst. silurici vulgaris et copiosa; rarius in isthmo Kareliae, sed deest (sec. Ledeb.) in Fennia, certe in reg. demissa Petropoli; alibi in Ingria rarior: circa oppidum Luga et Gorodetz in substrato arenaceo syst. Devonici medii; versus inferiora fl. Luga inter Kurowitzy et Nowaja. Floret a med. Junii ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. In sylva prope fluv. Strelnaja et in pascuis superiorum regionum Nevae fl. frequens, floret Julio et Augusto semina maturat (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 120 s. ***Leont. hisp.*** cum descript., propterea a Linnaeo inter synn. citatur 1763) et in monte Duderovo!, ad pagum Colodeci! et Osinova Roscza satis in magna copia (Sobol. Petrop. 1799, p. 181, n 496; in ed. ross. II, 1802, p. 115, n. 511 excluditur locus ad fl. Strelnaja; s. ***Leont. hisp.***); in pratis et pascuis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 364; in ejusd. Petrop. 1837, p. 76, n. 505 additur: in sylvis); in locis elevatis siccis, e. g. Pargolae! et in montosis Duderhovii! (Turcz! 1825, n. 464); Pulcovo, Gatschina, Nikolskoje, Lapuchinka, Arbonje, Hinkelowa.

CLXXIX. CLOSIROSPERMUM

hodie *Picris hieracioides* L. audit. Πίκρις Theophr. VII, 11 sive ἀγρία σέρις Diosc. II, 160, nec non *Picris* sive *Seris sylvestris* Plin., interpretante Fraas esset «*Urospermum echioides* L.» (quid?). *Picris* Dalech. 1586 ex fig. et synn. est *Apargia autumnalis* (ita et judicant C. Bauh. et Haller). *Picris* (Lobelii 1581!) Dodon. 1583! est *Cichorium sylvestre* et haec sententia magis respondet verbis Theophr. et Diosc., quam alii cuidam plantae. Linné 1735 nomen *Picris* loco *Helminthotheca* Vaill. 1721 (vermium nidus, propter achenia vermiformia antho-

dio inclusa) posuit; quo jure, sane quaeritur, nam **Dioscorides** distincte ait, *Serim sylvestrem* eandem esse, quae *Picris* et *Cichorium* appellatur. Sub *Helminthotheca* **Vaill.** ut prima et quasi typica species: *echioides* intelligitur, additur: *hieracioides;* has ad diversa genera pertinere, docuerunt **Jussieu** 1789 et **Gärtner** 1791, sed perverse primam sub novo nomine *Helminthia* sejunxerunt. Tali pactu pro *hieracioide* vel *Helminthotheca* reformanda esset, vel melius restituendum nomen et genus *Closirospermum* **Necker** 1790 e *P. hieracioide* constructum, licet false pappo piloso descriptum. Etymologia: κλοιός, σειρά, σπέρμα propter seriem rugularum transversalium in acheniis. *Picris* **Necker** 1790 est *Helminthotheca echioides*, additis quibusdam spuriis.

360. *Cl. hieracioides* (**Linné** 1753 sub *Picri;* involucrum omnino *Hieracioidis:* **Haller** 1743 i. e. *Crepidis*, quare forte nomen apud **Linnaeum**; sed pariter similitudinem cum *Hieracio* exprimi potest, quocum patres junxerunt) = *Helminthotheca hispidosa perennis* et *vulgaris* **Vaill.** 1721 = *Cichorium luteum* et (si valde hispidum) *Hieracium intybaceum asperum* **Tabern.** 1590 c. fig.! = *Hieracium asperum* **Gesner** 1587, **J. Bauh.** 1598, 1651! fig. rudis, **Moris.** §. 7, t. 4, f. 48 ex **Tabern.** petita; **Raj.**

Caulis setoso-hispidus, strictus, simplex v. ramosus. Folia pilis simplicibus hirsuta, oblongo-lanceolata, repando-dentata, caulina superiora basi ± cordata semiamplexicaulia. Capitula corymbosa in pedunculis squamatis 2-poll. v. brevioribus. Involucri foliola exteriora breviora calyciformia patentia v. squarrosula, interiora nervo medio canescentia. Variat fol. latioribus et corymbo depauperato.

In montosis declivibus, asperis, elevatis siccis, praecipue solo calcareo syst. Silurici et Devonici, sed non ubique, neque semper copiose: ad montes pr. Duderovo et in locis vicinis, Arbonje, Gatschina, Kauschta et Lissino; praeterea ad cataractas fl. Wolchow et pr. Wassilkowa, circa Gorodetz frequens, nec non ad lacum Tschereme-

netz pr. Gostkino, Nawolok et Jugostitzy; in ripa sinistra fl. Pljussa pr. Polja. Deest in reg. arenosis Ingriae mediae, in reg. demissa Fl. Petrop. et in isthmo Kareliae; secus Ladogam borealem iterum copiose cum *Aconito* (cf. Diatr. 1845, p. 16). Floret a medio v. fine Junii ad init. Aug., specc. serotina ad init. Sept.; fr. mat. ab init. Aug. ♃.

Hist. spec. Prope vicum Sarscoje (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 119 s. n. *Picris hierac.* L. ut seqq.); ad limites agrorum et in pratis circa Sarscoje Selo et Crasnoje Selo! (Sobol. Petrop. 1799, p. 179, n. 489; ed ross. II, 1802, p. 110, n. 504); ad versuras agrorum prope Zarskoje Selo (Weinm. Pawl. 1824, p. 365); in montosis Duderhovii! (Turcz. 1825, n. 458); in collinis siccis, ad margines agr. et in herbosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 75, n. 495).

CLXXX. TRAGOPOGON.

Τραγοπώγον Theophr. VII, 7, Diosc. II, 173, Plin., unanimo consensu omnium patrum est etiam hodiernum, *T. porrifolium* credit Fraas. Nomen ex Theophrasto, quod e magno calyce deflorato erumpat lanugo, cui cum *hirci barba* nonnulla similitudo. *Tragopogonis* species fere omnes a patribus descriptae sunt genuinae; apud C. Bauhinum sub hoc titulo generico *Scorzonerae* quaedam (*Lasiosporae* et *Podosperma*) et *Geropogon* admixtae. Rajus 1682 differentiam a *Scorzonera* in radice et involucro flosculos multo excedente posuit, 1688 etiam ex involucro uniseriali. Tournefort hinc genus fere purum stabilivit. Linnaeus *Geropogon* quidem segregavit, sed multa heterogenea addidit, ita ut multo rectius Rajus aut Tournefort auctor characteris generici habendus sit. *Tragopogon* generis neutrius apud omnes patres et Linnaeum, masculini apud recentiores.

361. *T. pratense!* L. = *T. pratense luteum majus* C. Bauh.! et plur. = *T. luteum* Lobel. 1581 fig.! Tabern. 1590 (anthod. in fig. erronea), Raj. = *Tragopogon* Fuchs 1542! s. *barba hirci* Dodon. 1553 fig.! et plurr.

Glaberrimum, multicaule $1/_2$ ped. adscendens vel unicaule 2 ped. erectum varie ramosum. Folia linearia, apice longe subulata, basi valde dilatata amplexicaulia et vaginantia. Involucrum 6–8 phyllum, pollicare, flores luteos subexcedens. Achenia peripherica muricata longitudine rostri.

In pratis laetioribus, declivibus argillosis et calcareis circa Petropolin raro et non semper copiose: ad viam ferream Sarscoseliensem (Hb. Kubarkin), Krasnoje Selo et Pawlowsk (Hb. Borszczow!), Kempelowa (Graewenitz in Hb. Kühlew.), ad aquaeductum Taitz pr. Bablowa, Peterhof, Gatschina; nec alibi in Ingria vidi, nisi in ripa praerupta fl. Narowa pr. Iwangorod. In Karelia tantum ad Wiburg (Nylander 1850, p. 127). Floret ab initio Junii ad med. Aug.; flores hora matutina 8 jam clausi obs. Borszczow; fr. mat. a med. Julii cum v. absque floribus. ♂.

Hist. spec. In ins. Kronstadt (Georgi mss. 1795); in pratis graminosis apertis ad fabricam pyriam Ochtensem, Ossinovae Roszczae, Dranizae et alibi (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1800, p. 107, n. 502; deest in ed. latina); Petropoli (H. Mertens mss. 1823) raro (Kastalsky Addit. mss. ad Sobol.); in locis graminosis elevatis (Weinm. Pawl. 1824, p. 360); in suburbiis, v. g. in ins. Krestowsky (Turcz. 1825, n. 456); in colliculosis graminosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 74, n. 493).

CLXXXI. SCORZONERA.

Nomen hispanicum a *scorzone* (serpente) vel *scorzo nera* (vipera nigra), quia contra venena ab illis illata efficax credebatur, forte etiam e similitudine radicis nigrae cum vipera; quare etiam *Viperaria* dicta apud Lobel. 1576 et *Viperina* apud Clusium 1583, p. 640. Mentionem primam fecit Gesner 1561 sub *Tragopogonis hispanici* nomine, Matthiolus 1565 sub *Scorzonera hispanica* et *bohemica*. Clusius 1583 eximiam *Scorsonerae* (ut scribit) historiam dedit et characterem differentialem a *Tragopogone* ex radice, et jam auctor generis dici meretur.

Scorzonera C. Bauhini, duce Clusio, genus magis purum quam Tournef. Vaill. aut Linnaei.

362. *Sc. humilis* L. Fl. Suec.! excl. syn.; Oeder 1780! (var. latifolia) in Fl. Dan. t. 816! Koch 1837!, Fries herb. norm. Suec. VII, 3! = *Scorz. plantaginea* Schleicher ex Gaudin 1829! Rchb. 1831!

Radix longa crassa cylindrica, perpendicularis, foris fusco-nigra, ad collum squamosa (nec fibrosa, comosa, ut *S. austriacae* simillimae). Folia integerrima nervosa, quoad latitudinem admodum variant; in *Sc. angustifolia* Weber 1780 = *S. humilis* β. *angustifolia* Hornem. 1819 in Fl. Dan. t. 1653!; folia anguste linearia utrinque attenuata, medio tantum 2–4 lin. lata; in var. *latifolia* Hornem. l. c. (Fl. Dan. t. 816!) elliptica, $1^1/_2$–3 poll. lata. Scapus paucifolius (fol. interdum oppositis), in typica Linnaeana monocephalus, variat 2–3 cephalus, ludit ultrapedalis vel pygmaeus. Planta junior saepe eximie floccoso-lanata (*Sc. lanata* Schrank 1789 fide Koch, nam characterem speciei ignoravit), adultior lana evanescit vel in apice pedunculorum restat. Capitula ampla speciosa, anthodii $^3/_4$–1 poll. squamae obtusae, flosculi lutei 1–2 poll. longi.

In pratis laetioribus subhumidis, apertis v. subsylvaticis circa Petropolin hinc inde copiose in omnibus regionibus, praecipue tamen elevata; alibi: ad ripas Tossnae fluv. versus Turowo, Lampowo, Lotschkina, Jamburg, inter Krasnaja Gorka et Ustinskoje. In Karelia tantum ad Wiburg (Nylander 1850, p. 127). Floret a fine Maji usque ad med. vel rarius finem Junii; fr. mat. a med. v. fine Julii. ♃.

Hist. spec. In sylvis et pratis ad fl. Strelnaja (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 118 s. *S. humili* cum descriptione formae typicae et latifoliae, sed character radicis omittitur) et in viciniis fabricae pyriae Ochtensis, Pargelovii, Murinae (Sobol. Petr. 1799, p. 178, n. 488; ed. ross. II, 1802, p. 108, n. 503); copiosissime in pratis humidiusculis (Weinm. Pawl. 1824, p. 360 s. *S. nervosa* Pers.); in

pratis argillosis et locis elevatis, e. g. Pargola, ad viam Peterhofianam!, in montibus Duderovii! et in ins. Jelagin (Turcz. 1825, n. 457); in pratis, fruticetis, sylvis apertis (Weinm. Petr. 1837, p. 75, n. 494); in ins. Petri parce, Oranienbaum, Gatschina et Siworitzy.

Obs. *Sc. hispanica* L. in Russia Petropolin usque (Gmelin Fl. Sibir. II, 1749, p. 6, n. 4, s. *Scorz.* caule ramoso, fol. amplex. serrulatis); Ingria (Georgi 1800, p. 1204, n. 3); nil nisi *S. humilis* caule 2–3-cephalo, propter diagnosim Linnaei mancam falso determinata. Vera *S. hispanica* differt: statura majori, caule polyphyllo rarius monocephalo, squamis anthodii multo angustioris acutis; sed achenia peripherica etiam iu *S. humili* muriculata sunt.

CLXXXII. HYPOCHOERIS.

῾Υποχοιρίς Theophr. VII, 7, 11 inter olera cichoracea reponitur, aspectu mitior, levior, dulcior describitur; Gaza *Porcelliam* vertit. Vaillantius refert, *H. radicatam* L. pro (ὑπώ) porcis (χοῖρος) olus gratissimum et ab ipsis avide expetitum esse. Bodaeus p. 856 sententiae Dodonaei, qui pro *Hieracio* Dioscoridis habet contradicit, quod utique recte, si *H. majus* supponitur. Dalechamp 1586 «*Hypochaeris*» scribit, sed ejus planta est *Cichorium sylvestre*, quod tamen Theophrastus aliter appellat. Tabernaemontanus 1590 s. n. *Hypochoeris* s. *Porcellia* figuram exhibuit, quae cum C. Bauh. Vaill. et Linnaeo pro *H. radicata* haberi posset, a Friesio vero pro *H. glabra* corrigitur. An idem *Hyoseris* (ὑόσερις) Plin. 27, 10, 64 aut *Hyoseris lucida*, ut Fraas quaerit? Donec igitur nondum liquet, an hae plantae in Graecia copiose proveniant et qualitates a Theophrasto expetitas plene possideant, *Hypochoeris* typica a Tabernaemontano exordium capit. *Hypochoeris* scribitur etiam a Bodaeo, Vaillantio, Hallero et diu a Linnaeo (posthac *Hypochaeris*). Characteres generici Vaillantio 1721 debentur. Sunt, qui *H. maculatam* L.

genere separent, quod Scopoli, Linnaei citatis falsis forte seductus, *Achyrophorum* dixit, omnino diversum a genere *Achyrophorus* Vaill. 1721 (*Seriola* Gärtn.), cui si necesse *Phanoderis* Dec. substituenda.

⁜ *H. radicata* L. forte in Ingria aust. occid. aderit, nam in Livonia finitima pr. Heiligensee crescit. Facile praetervidetur propter habitum vulgarem *Apargiae autumnalis*, a qua dignoscitur foliis hirsutis, anthodiis glabris majoribus, acheniis longe rostratis etc.

Hist. spec. In pratis circa Katherinhof, fl. fine Junii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 126, sed vulgatissimam *Apargiam autumnalem* nondum novit); Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 234); in pratis et sylvis circa Catherinhoffium, in monte Poclonnaja et ad viam Peterhoffianam, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 186, n. 510) et Pargelovii atque in aliis locis elevatis sylvosis (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 125, n. 525); Petropoli (Longmire 1823, p. 196).

§. PHANODERIS Dec. 1838.

363. *H. maculata* L. = *Hypoch. hirsuta* etc. Vaill. 1721, Linné 1737 = *Hieracium alpinum latifolium hirsutie incanum* C. Bauh. 1623! et plur. = *Hieracium latifolium* (1. Clus. 1583 fig.!) *maculatum* et non maculatum J. Bauh. 1651 fig.! ex Clusio repetita.

Caulis (in pl. Linnaei s. β. *monocephala* Dec.) 1-cephalus vel (in fig. Clusii) 3-cephalus monophyllus, hispidus. Folia radicalia oblonga, basi attenuata sessilia, dentata, hirsuta. Capitula ampla, pollicaria; anthodia canohirsuta vel puberula. Variat fol. immaculatis et fol. magnis pedalibus, praeter marginem et costam fere glabris.

In campis siccis, praesertim elevatis solo calcareo, etiam in arenosis sterilibus isthmi Kareliae et in pratis sylvaticis, non semper copiose, nec ubique in Ingria. Floret a fine Junii ad finem Julii; fruct. mat. init. Aug. v. prius. ♃.

Hist. spec. In collibus sylvosis prope Duderhoff! co-

piose, fl. m. Jun. (Amman 1736, n. 108, ex syn. C. et J. Bauh.); ad fl. Strelnaja, tam in ripis elatioribus, quam in sylvis, frequentissime (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 125); in pratis elatioribus sylvosis ad fl. Strelnaja, in montosis Duderhovii! Crasnoselii et ad viam Wiburgensem! Pargelovii! (Sobol. Petr. 1799, p. 185, n. 509; ed. ross. II, 1802, p. 124, n. 524); in pratis sylvaticis minime raro (Weinm. Pawl. 1824, p. 370); in locis siccis, e. g. Pargolae! in ins. Petri ad officinam cerae insolandae destinatam (Turcz. 1825, n. 475); in pratis elevatioribus et in sylvis frondosis (Weinm. Petr. 1837, p. 76, n. 503); Arbonje, Lapuchinka, Jamburg.

CLXXXIII. TARAXACON.

Jam in officinis antiquioribus *Taraxacon* aut *Altaraxacon* appellatur, ut Fuchs 1542 tradit, qui vocem barbaram esse addit. Bodaeus 1644 scribit, *Taraxicon* in officinis diversum esse a *Taraxico* Arabum, quorum descriptiones *Cichorio sativo* Graecorum respondent. An nomen corruptum πρώξιμον subest, apud auctorem Geopon. lib., Aeginetam, Aetium, Trallianum obveniens, a nemine recentiorum explicatum, quod quidam cum *Cichorio* convenire, alii differre monent. *Taraxacum* L. 1753 et Haller 1742 est genus collectivum (conf. supra *Apargia*); sed genus optime limitatum «*Dens Leonis*» Vaill. 1721 alias etiam *Taraxacon* ab ipso appellatur et plane congruit cum genere *Taraxacum* Juss. 1789 et recent. Propter hanc causam *Leontodon* Adans. 1763, Willd. 1800, licet reformatum ex *Leontodonte* Linnaei 1737, pro nomine antiquiori *Taraxaco* haud recte substitui potest, si hoc ad *Taraxacon* Vaill. 1721 ut generis auctorem indubium refertur. Fuchs, Caesalpinus, C. Bauh., Bodaeus et recentissime Fraas non dubitant, eandem esse plantam, ac olus ἀφάκη Theophr. VII, 7–11 (Dioscorides sub hoc nomine ignorat), Neograecis πικραφάκη. Sed aliud est legumen ἀφάκη Theophr. VIII, 5, 8; Diosc. II, 177, quod *Vicia*, *Craccae* affinis (conf. supra p. 277).

364. *T. officinarum* Vaill. 1721! = *Taraxacum officinale* Knaut 1716, Weber 1780 = *Leontodon Taraxacum* L. = *Dens Leonis* Brunf. 1536 fig.! Ruell., Fuchs 1542 in descr. c. fig.! Matth. Dod. Lob. Camer. Raj. = ἀφάκη Th. vide supra.

Folia glabra, viridia, runcinato-pinnatifida v. secta: laciniis subtriangularibus. Scapus monocephalus, inanis, tener, juvenilis saepe floccosus. Anthodii squamae omnes lineares, exteriores deflexae. Ligulae flavae, subtus lividae; flosculi interdum abnormiter omnes tubulosi. Planta quoad staturam, latitudinem, divisionem foliorum admodum variabilis (β. L. 1753 angustifolia; γ. L. 1763 latifolia, lobo terminali rotundiore), sed ex varietatibus sic dictis apud Koch Syn. ne unam quidem in Ingria offendi.

Secus vias et in graminosis, vulgatissima et copiosissima planta. Floret post nives deliquescentes a medio Aprilis v. serius usque ad finem Octobr. et frigora intensiora, sed copiose tantum ab initio Maji, ita ut fine Maji fr. maturi cum pappis circumvolitent et fine Junii saepius sterile inveniatur. Sub solstitio capitula expanduntur inter h. 6–6$^1/_2$ (fine Aug. inter 8–9), clauduntur inter h. 5–6 vespere (fine Aug. h. 2 in umbrosis). ♃.

Hist. spec. Ubique inter Petrop. et Twer, fl. et fr. Aug. Sept. (Gmelin mss. 1733, n. 102 s. n. *Dens leonis* angustiore folio = β. Linné); circa Duderhoff! et Krasno Selo! m. Jun. (Amman. mss. post 1736 s. n. *Dens leonis*); ubivis in pratis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 120, s. *Leont. Tarax.* L. ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); ubivis in pratis et ad vias (Sobol. Petrop. 1799, p. 181, n. 494; ed. ross. II, 1802, p. 113, n. 509); ubique vulgare (Weinm. Pawl. 1824, p. 364; Turcz! 1825, n. 462; Weinm. Petrop. 1837, p. 75, n. 500).

CLXXXIV. MULGEDIUM.

Genus et nomen a Cassinio a. 1824 constitutum, herbas continens, propter lactis copiam ad mulgendum aptas.

365. *M. sibiricum* Less. 1832 = *Sonchus sibiricus* L. 1753! = *Sonchus* n. 11 Gmel. Fl. Sibir. II, 1749 praesertim forma angustifolia, depicta in tab. 3! = *Lactuca Salicis folio, flore coeruleo* Amman 1739, n. 211 (fide Ledeb., an ad *M. tataricum?*).

Glaberrimum. Radix tenuis simplex. Caulis erectus 4 ped. vel humilior, apice corymbosus vel superne fastigiato-ramosus. Folia lanceolata, denticulata, basi sessilia vel semiamplexicaulia setaceo-hastata, tenuia subtus pallidiora glaucescentia. Pedicelli squamati. Involucri squamae maculis densis violascentibus adspersae, exteriores lanceolatae, interiores lineares. Variat non raro in eodem loco foliis runcinato-pinnatifidis (ut in var. laciniata Gmel. l. c. fig. C. C.).

Tantum in reg. demissa Fl. Petrop., terminum occid. australem attingens. Ad ripas humidas umbrosas lacus Ladogae (Glubokaja Guba pr. Schlüsselburg) copiose, secus ripas Nevae fluv. ad ostia usque, ubi in insulis extimis (Krestowsky, Resvoi) et litore marino (ultra Katharinhof, nec non inter Peterhof et Oranienbaum) parcius. Aberrat in rudera circa urbem; maxima vero copia adparuit secus vias recenter structas in sylvis Lissinensibus. Floret post medium v. rarius init. Julii, med. Aug. fr. mat. cum fl. ultimis. Singularis observatio Linnaei: si excubias noctu agat floribus, dies insequens plerumque erit pluviosus. ♃ existimatur, an ♂?

Hist. spec. In superiore regione Newae fl. a cataracta usque ad Schlüsselburgum in utraque ripa (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 340); in sup. reg. Newae, in utraque ejus ripa, modo sint loca humida et umbrosa, frequens est; infra cataractam non occurrit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 119, s. *Soncho sib.* ut seqq.) et in plurimis hortis oleraceis atque ad sepes hortorum insulae Basileensis (Sob. Petr. 1799, p. 180, n. 493; ed. ross. II, 1802, p. 113, n. 508); in paludosis maritimis (Weinm. Pawl. 1824, p. 363); in ins. Gutujev (Turcz. 1825, n. 461); in umbrosis humidis (Weinm. Petrop. 1837, p. 75, n. 499 cum var. β. pinnatifida).

CLXXXV. SONCHUS.

Σόγκος Theophr. VI, 3, VII, 9 explicante Fraas est *S. repens* s. *arvensis;* σόγκος Diosc. II, 158 triplex: 1) *Helminthotheca echioides*, 2) *Sonchus oleraceus* (*laevis* v. *asper*), 3) *S. repens;* Neograeci *Sonchos* Dioscoridis σόχος vel etiam σοχοῦς vocant (Fraas). Ita dicitur παρὰ τὸ σῶον χέειν, quod salubrem succum fundat, contra morbos stomachi, quod etiam lac nutricibus evocet. *Sonchus edulis* Plinio duplex, albus et niger, *Lactucae* similes ambo, nisi spinosi essent. Latinis *Cicerbita*, *Lactucella* et *Lacteron* audit, quia caule abscisso lac effluit, Apulejo *Lactuca leporaria*. Species cunctae, etiam *S. repens* diu pro *Hieracio* habitus, a patribus pro *Sonchis* descriptae fuerunt. *Sonchus* (§. 1.) apud C. Bauhinum fere ideam generis hodierni involvit. Rajus 1682 characterem ex acheniis compressis exhibuit et jam a *Lactuca* distinxit caulibus tenerioribus fistulosis, capitulis majoribus. *Sonchus* Tournef. est genus magis purum, at sine charactere, solum ex habitu constructum. Vaillant 1721 *Lactucas* pappo stipitato diversas esse docuit. Tandem Cassini characterem generis acutius circumscripsit segregato *Mulgedio*, cujus species apud Tournefortium inter *Lactucas*, apud Vaillantium et Linnaeum inter *Sonchum* latitabant.

366. *S. laevis* Dodon. 1583 fig. opt.!; eadem apud Lobel. 1576!; Tabern. 1590 cum 3 figg.!; Matth. 1554, 1560! fig. minime apta et plurr. patr. usque ad Villars = *S. oleraceus* Linné α.? nam fig. Camerarii ed. 1586 citata, minime characteristica; ceterum nomen primo a Linnaeo excogitatum varias species colligit.

Achenia oblonga, transverse rugulosa, utrinque in disco tristriata. Pedunculi juniores floccosi; capitula vix ½ poll. Folia plerumque opaca, margine ciliato-denticulata, runcinato-pinnatisecta: lacinia terminali majore (typica Dodonaei = β. *runcinata* Koch = *S. laevis alter* Tabern. fig.! nisi haec *S. lacerum* referat) vel lyrata (β.

Linné! = *S. laevis latifolius* Tabern. fig.! = α. *integrifolia* Wallr. 1822). — Var. *albiflora* ligulis dilutissime sulfureis, fere albis, subtus purpureo-striatis, Petr. (Borszczow!); huc pertinet *Sonch. laevis* 3 *flore niveo* Tabern. 1590 fig.! tantum foliis magis runcinatis abludens; sed *S. elongatus* Kunze et Hortor. differre videtur lobo terminali in omnibus foliis profunde cordato (nec truncato). Variat etiam foliis firmioribus, segmentis acutius dentatis; passus ad *S. lacerum* Willd. (*S. non aspera* Fuchs 1542 quoad fig.!), Petropoli nondum observatum, specie forte diversum: fol. caulinis supremis non integris, sed pinnatifidis 3 jugis: lacinia terminali parva.

In cultis et incultis vulgatissima planta. Floret a fine Junii v. prius ad finem Octobr. frigoris levioris (– 2^0 R.) patiens; fruct. mat. initio Julii. Sub solstitio et fine Julii capitula aperiuntur inter h. $6-7^1/_2$, contrahuntur h. 10 v. $11^1/_2$ matutina. ⊙.

Hist. spec. In ruder. et hortis oleraceis frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 119 s. *S. olerac.* ut seqq.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in ruderatis et hortis oleraceis passim (Sobol. Petr. 1799, p. 180, n. 492 cum var. β. Linné: calycibus laevibus: Fl. Dan. t. 682; ed. ross. II, 1802, p. 112, n. 507); in ruderatis, hortis et in aliis locis cultis copiosissime (Weinm. Pawl. 1824, p. 362 s. *S. laevi* Mönch); in hortis et oleraceis (Turcz. 1825, n. 460); in cultis et ruderatis (Weinm. Petrop. 1837, p. 75, n. 496).

367. *S. asper* Fuchs 1542 fig.!; Dodon. 1583 fig.!; eadem apud Lobel. 1576!; Matth. 1560 fig. mediocr. et plur. usque ad Haller, Villars, Rchb., Koch. = *S. asper*, *non laciniatus* C. Bauh. 1623! et herb. = *S. oleraceus* δ. Linné!

Achenia ovato-oblonga, laevia, marginata, utrinque in disco tricostata. Pedunculi rarissime floccosi. Folia plerumque nitida, rigidiora, profundius viridia, integra, margine dentibus longioribus inaequalibus spinulosa. Reliqua

S. laevis. — Variat β. *laciniatus* C. Bauh.! et herb. = *S. asperior* Dodon. 1583 fig.!; eadem ap. Lobel. 1576! = *S. asper*, *Cicerbita aspera* Tabern. 1590 fig.!; foliis evidentius runcinato-pinnatifidis.

In similibus cum praecedente specie locis, sed non adeo vulgaris; β. in ruderibus Petrop. (Borszczow!). Floret et fruct. eodem tempore. Fine Aug. capitula aperta a h. $8^1/_2-11^1/_2$, clauduntur inter h. 12–1. ⊙.

Hist. spec. Passim in locis cultis, praecipue in insula apothecaria et pr. Krasnoje Selo (Sobol. mss. 1779, n. 28 s. n. *S. olerac.* var. *asper* L. spec. pl.); in iisdem cum *S. laevi* locis (Sobol. Petrop. 1799, p. 180, n. 492; ed. ross. II, 1802, p. 112, n. 507 s. *S. oler.* γ. *asper* L. Fl. Dan. t. 843; Weinm. Pawl. 1824, p. 362 s. *S. asper* Blackw.; Ej. Petrop. 1837, p. 75, n. 497 s. n. *S. asper* Fuchs).

368. *S. repens* J. Bauh. 1651!, Raj., Tournef.! = *S. arvensis* L. 1753! = *Hieracium majus* Fuchs 1542 fig.! Matth. 1560 fig.! repetita apud Lobel.; Camer. fig.!

Radix repens. Folia longa, profunde viridia, supra lucida, runcinato-pinnatifida v. partita. Capitula ampla, $^3/_4$–1 poll., cum pedicellis glanduloso-pilosa. Variat fol. integris, capitulis paucioribus et:

β. *S. glaber* Schultes 1809 fide M. Bieb.!: pedunculis et involucris glabris, junioribus non raro floccosis. *S. uliginosus* M. Bieb. 1808 false descriptus, emendatus 1819, herb.! et *S. arvensis* var. *maritima* Wahlenbg. Suec. 1826 (sed minime *S. maritimus* L. spec., cui Ledebour in Fl. Ross. plantam Petrop. amandat) sola statione differre videntur. Decandolle et Ledebour *S. uliginosum* speciem longe diversam a *S. repente* credunt: acheniis subtetragonis costatis, sed talia etiam in hoc. Var. *maritimam* in taeniis sinus Fennici et archip. Aboënsi saepe facie aliena vidi, humiliorem, capitulis paucioribus et majoribus, pedunculis non semper glabris.

α. S. arvensis L. agris argillaceis, arvis et cultis fere ubique infestus; β. ad ripas et fossas, in fimetosis, ruderibus et plateis, circa Petrop. fere vulgatior quam α, usque ad cataractas fl. Wolchow; similis in arenosis ad litus marinum v. g. Peterhof et in ins. Kronstadt. Floret ab initio Julii ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. Circa Petropolim (Rudolph ex Georgi 1790, p. 74, n. 466 s. *S. arvensi* ut seqq.); in agris et inter segetes circa Ligovam!, Goreloy cabac, tum in hortis passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 180, n. 491; ed. ross. II, 1802, p. 111, n. 506); *S. glaber* Schult. in iisdem locis cum *S. arvensi* (Weinm. in Flora 1822, Vol. I.), nempe in agris et inter segetes sat copiose et promiscue (Weinm. Pawl. 1824, p. 361); inter segetes et in pratis (Turcz. 1825, n. 459); in locis cultis valde molestus, fl. Jun. ad Sept.; β. *maritimus* L. in paludosis maritimis et in lacunis ad flumen Slavienka, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 75, n. 498); *S. intermedius* Trev. 1813 et Koch Syn. sat constans et copiose, ab hoc vero *S. glaber* et *S. uliginosus* M. Bieb. non diversus videtur (R. Diatr. Petrop. 1845, p. 77); *S. uliginosus* M. B. Petropoli (Ledebour Fl. Ross. II, 1846, p. 835 e specim. Kühlew.).

Obs. *Sonchus palustris* L. in paludibus et humidis circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 465; Sobol. Petrop. 1799, p. 179, n. 490); Ingria (Georgi 1800, p. 1206, n. 2); in ripis fl. Newae et in paludibus (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 110, n. 505). Falsissimus, an *S. uliginosus*? propter locum.

CLXXXVI. HIERACIOIDES, hodie CREPIS.

Κρήπις Theophr. VII, 9 inter herbas ad caulem tantum foliatas solo nomine enumeratur, sed in quibusdam codicibus Theophrasti omittitur. *Crepis* Dalechampii 1586 c. fig.! est eadem planta ac *Terracrepulus* in Hetruria dicta (Caesalpinus 1583) et *Sonchi genus, terra crispa* Gesner 1561, sive typica species generis a *Soncho* bene diversi: *Crepis* Vaill. 1721!, quod 1798 super-

flue Desfontaines *Picridium (vulgare)* appellavit et jam prius Roth 1787 et Mönch 1794 *Reichhardiam;* hanc ipsam servato adhuc nomine *Crepalo* et *Terracrepalo* vocant Itali testibus Dalechamps et Bertoloni; Fraas credit esse ἀνδρυάλα Theophr. VII, 8. Genus igitur Vaillantii non leviter aboliri potest. Praeterea Vaillant 1721 genus *Hieracioides* constituit et ab *Hieracio* hodierno optime characteribus distinxit, quod Haller 1742 recepit, quamquam ab *Hieracio* vix manifeste diversum esse confitetur et quod exacte cum recentiori genere *Crepis* L. ref. Koch 1846 coincidit. Linnaeus ab a. 1737–1754 genus quoddam *Crepis* habet pappo longe plumoso; in Hort. Cliff. 1737 unica hujus generis species est *Leontodon autumnale* L. (quod *Terra crepoli* ab Hispanis vocari scribit Dodonaeus 1583) et in appendice additur *Crepis alpina* L.; in Hort. Upsal. 1748 et Spec. pl. 1753 genus suum magis conforme fecit *Hieracioidi* Vaill. et ejus loco posuit. Tali modo per Linnaeum et asseclas ejus *Crepis* perversa, spuria et injusta ad nos pervenit. Mönch 1794 genus quoddam «*Barkhausia*» (*Barkhusenia* Hoppe 1829, *Borkhausia* Boehm. ex Sprengel 1826, *Borkhausenia? Barckhausenia?*) acheniis evidentius rostratis a *Crepide* L. segregavit, quod tamen observante Koch illimitabile in *Crepidem* ref. transit et serius ab ipso deletum fuit, cui recentissime Grenier assentitur. Non sine longa haesitatione nomen *Hieracioides*, Vaillantio et Hallero olim bonum, iterum resuscitavi, cum ejusmodi nomina in «*oides*» terminata a recentioribus (Decand. Endl. Benth.) tantum pro sectionibus vel subgeneribus admittuntur, ut in praesenti casu a Decandollio; sed aliud huic conforme in scriptis botanicis non inveni; hinc aut *Geracium* Rchb. 1831 et prius, reformandum fuisset, aut *Aracium* Lessing 1832 et Monnier (non Necker 1790, quod genus *Pilosella* C. Bauh.!) alia facie restituendum, aut *Barkhausia* amplificanda. Sed haec omnia superflua videntur, cum in ipsis speciebus Ingricis transitum in *Hieracium* observare licet, indicante olim Haller et non obstante cel. Fries. qui (Monogr. Hierac. p. mIV) tantu

differentiam habitualem, vix artificialem adesse monet. Ejusmodi genus habituale *Hieracioides* refert, quod olim forte *Hieracium* iterum intrabit, ut jam *Barkhausia Crepidem* propter defectum characteris manifesti et ponderosi ex organis fructificationis desumpti.

§ 1. EUCREPIS Dec. 1838. = APHACE Dalech. 1586 (vix Theophr.).

369. *H. vulgatissima* Vaill. 1721 «paene glabra annua», a L. citat. = *Crepis Dioscoridis* Pollich 1777; Lachenal, Gochnat 1808 c. tab.!, non L. qui ligulas subtus purpureas describit = *Crepis tectorum* L. nomen nimis angustum et saepe incongruum = *H. vulgare tectorum minus* Linder 1716 sec. L. = *H. chondrillae folio hirsutum* C. Bauh. 1623 (teste Herb. Burseri et Fries, nec non syn. Tabern.!), excl. syn. Lobel. suspecto; = *Hieracium* II sive *H. minus Dioscoridis* Tabern. 1590 fig. opt.! Linnaeo typica.

Achenia 10-costata transverse rugulosa, apice distincte angustiora, subrostrata. Stigmata fusca singularem notam praebent (Linné). Anthodii squamae exteriores patulae, interiores glanduloso-pilosae. Capitula ante anthesin semper erecta pedunculis canescentibus. Folia glabrescentia, varia, sed caulina superiora semper linearia margine revoluta. Planta polymorpha.

α. *typica Tabernaemontani*, plerumque e solo pinguiori. Anthodia $3^1/_2$ – 4 lin. cinerascentia. Caulis basi angulato-sulcatus, cinereo-floccosus, infra medium fastigiato-ramosus. Folia inferiora runcinata, superiora basi setaceo-hastata. Forma haec diagnosi Linnaeanae maxime conformis facillime deflectit foliis subintegris, superioribus basi non hastatis v. sagittatis. Praeterea tomentum in anthodiis cinereum vel praevalet (tunc achenia plerumque rufa v. fusca, $1^1/_2$ lin.) vel imminuitur, tunc achenia crassiora ($1^3/_4$ – 2 lin.) cum anthod. nigricantia. Ab hac diversa est *C. tectorum* var. Fl. Samoj. n. 181 pilis longioribus sericeis eglandulosis in anthodio minime cinereo, pedunculis gracilibus.

β. *microcephala* e solo macro orta. Anthodia 3 lin. angustiora, pallidiora. Achenia fusco-purpurascentia $1^1/_2$ lin. Caulis tenuior et plerumque humilior. Folia basi vix auriculata. Huc spectat β. *segetalis* Roth 1793! et *C. Lachenalii* Gochnat 1808 c. tab.!, si caulis simplicissimus, folia radicalia tantum dentata et panicula oligocephala (capitula minora tacet Roth et Wallr.; exprimit quidem Gochnat in fig., sed latiora); sed heic caulis saepe inferne ramosissimus, panicula polycephala et folia inferiora pinnatisecta.

In plateis, muris, ruderibus, arvis, versuris agrorum, inter segetes, ad vias, in arenosis, siccis sterilibus, ubique copiose. Floret a medio Junii v. serius usque ad med. Octobr.; fr. mat. a fine Julii v. prius. Capitula sub solstitio et m. Julio expand. inter h. 7–8, claud. inter h. 10–11 matut., raro serius. ⊙.

Hist. spec. Gmelin in mss. 1733, n. 91 a Petrop. usque ad Twer, m. Aug. et Sept. flor. observasse videtur, sed s. n. *Hier. dentis leonis folio*, *floribus parvis* C. Bauh. citat, quod Linnaeo *Hier. glutinosum*, Friesio vero ex herb. Burseri *Crepis pulchra* var. videbatur. — Inveni ad viam in ins. Basilii! (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 130, ex syn. J. Bauh. et Haller; planta a Gorter ad *C. biennem* translata); in montosis Duderhovii! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 124 s. *Crep. tect.* ut seqq.); Koirowo (Falk ex Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764); in m. Duderovo! et circa Crasnoje Selo atque in aridis ad pagum Murina (Sobol. Petrop. 1799, p. 184, n. 507; ed. ross. II, 1802, p. 122, n. 522); in locis siccis et ad versuras agrorum (Weinm. Pawl. 1824, p. 369); ubique (Turcz. 1825, n. 465); in agris, muris, tectis et aliis locis siccis (Weinm. Petrop. 1837, p. 76, n. 502). Conf. hist. special. sequentis.

370. *H. biennis* (Linné Fl. Suec. II, 1755, sub *Crep.*, in spec. pl. ed. 1. varia synn. spuria) = *Limnoseris biennis* Petermann = *Crepis scanensis* L. 1751 teste se ipso = *H. erucaefolium hirsutum* J. Bauh. 1651, saltem

ex fig.! (Godron agnoscit) = *Hierac. majus erectum latifolium* et (excl. syn.) *angustifolium* C. Bauh. 1623 (fide herb. Burser. et C. Bauh.).

Achenia 12–15 costata, pallide fusca, apice paulo angustiora. Capitula praecedente majora. Anthodii 4 lin. ampli squamae exteriores laxae, subremotae, interiores cinereo-tomentosae, nervo fusco, marginibus late subscariosis, pilis glandulosis in dorso paucis v. nullis. Folia saltem ad costam et margines hirta v. hispida, fere omnia runcinata. Caulis $1^1/_2$–4 ped. rigidus foliatus, simplex, apice fastigiato-cymosus. Conf. observ. infra.

In fruticetis siccioribus montosis subumbrosis vel in collibus herbidis apricis reg. elevatae Fl. Petrop. solo calcareo syst. Silurici raro et copiose tantum in monte Duderhof-Kyrka et pr. Arbonje (parce pr. Bornitzy et Lissino). Ceterum in Ingria tantum vidi ad limites australes pr. Nowoselje et in gubern. Pskow secus vias copiosissime. Ad Ladogam bor. pr. Ruskiala (Nyland. Fl. Karel. 1850). Floret a fine Junii v. serius; fr. mat. a fine Julii cum flor. ultimis. Capitula sub solstitio expand. inter h. 6–7, claud. inter h. 2–3 v. serius. ♂.

Hist. spec. Ad vias et in agris incultis frequens, flor. sub finem Junii (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 125 et Sobol. Petrop. 1799, p. 185, n. 508, uterque s. n. *Crepis biennis* L. cum duplici forma α. et β. — certissime nil, nisi *C. tectorum* L., ut ex loco, descriptione fusiori, nec non ex synn. Halleri et J. Bauh. in Fl. Ingrica citatis patet; syn. Gorteri igitur in Linnaei spec. plant. II, 1763 perverse citatur sub *C. bienni*, ut plura alia); rarius in campis et ad margines agrorum prope Krasnoje Selo et m. Duderovo (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 123, n. 523); in montosis pr. Duderovo! (Turcz. 1825, n. 466; hic forte primus genuinam invenit); ad vias, latera fossarum et in agris argillaceis, ⊙ ♂ (Weinm. Petrop. 1837, p. 76, n. 500; certo certius ad formas spec. praeced.); Lissina sec. Herrath et in fruticetis s. graminosis montis Duderhof circa ecclesiam (R. Symb. 1846, p. 231; — antehac Petropoli lectam fuisse, testatur spec. in herb. Acad.).

Obs. Forte in Ingria aut prov. adjacentibus latet *Crepis nicaeensis* Balb. Fries herb. norm. Suec. III, 3, recentius Upsaliae in pratis et versuris detecta, habitu *Closirospermi hieracioidis*, sed pappo, capitulis minoribus, fol. dentibus evidenter retrorsis etc. diversissima. Interdum *C. biennis* L. depasta init. Sept. ramos plures floriferos oligocephalos subbasilares emittit, foliis integerrimis glabris vestitos, sed basi sessilibus rotundatis, nequaquam hastatis ut in *C. nicaeensi* simili, cujus pedunculi superne crebre glanduloso-hispidi et folia hirta. Ejusmodi formam in m. Duderhof legit Borszczow.

§ 2. GERACIUM Rchb. 1831 et prius ap. Mössler.

371. *H. praemorsum* L. = *Crepis praemorsa* Tausch. 1828! = *Intybus praemorsus* Fries 1828! = *Intybellia praem.* Monnier 1829 = *Geracium praem.* Rchb. 1831! = *H. latifolium praemorsa radice* C. Bauh. ex J. Bauh. 1651 fig. opt.! e Basileâ = *H. pratense latifolium non sinuatum*, majus et minus C. Bauh. 1623 (fide herb. Burs. et Fries) = *Intubus aphyllocaulos major* Thal. 1588! e Gerenrode Harcyn., quare *Hier. aphyllocaulon* etc. Vaill. 1751.

Radix praemorsa. Folia omnia ad radicem congesta, ovalia vel oblonga, apice obtusa, sessilia vel brevepetiolata, margine integerrima v. denticulata, scabra (L.). Caulis scapiformis aphyllus, apice racemoso-cymosus, propterea flores terminales praecociores facilius animadvertuntur, quam in ceteris fastigiatis inflorescentiis; pedunculi inferiores oligocephali, superiores 1-cephali. Anthodium 4 lin. angustum, distinctissime et adpresse calyculatum (inde fere genus proprium), pl. min. glabrum et profunde viride. Achenia 10-costata, subcylindrica, fere *Hieracii*, nisi pappus candidus mollis esset. — Variat foliis glaberrimis (β. *glabrata* Frölich in Dec. 1838), vel parce puberulis, majoribus et minoribus, longius petiolatis (ζ. *petiolata* Fröl. l. c.), interdum sinuato-dentatis, vel (δ. *lanceolata* Fröl. l. c.), angustioribus acutis.

In graminosis siccis reg. elevatae Fl. Petrop. substrato

calcareo syst. Silurici, frequens et copiose; sed rarius et parce in reg. demissa (Horaninow, Gräwenitz) et isthmo Kareliae (Graff). Floret a primis Junii diebus; fruct. mat. fine Junii! cum flor. ultimis. ♃.

Hist. spec. Unicum hujus exemplar habemus Duderhovii! lectum (Krasch. Cod. mss. 1752, n. 119 s. n. *Hieracioides caule aphyllo* Krasch.; planta a Gortero omissa, quae hujus loci videtur; descriptio tantum recedit petiolis foliorum paene longitudine, an var. *petiolata?*); in pratis juxta viam, quae Petropoli Peterhoffium tendit, circa praedium cl. comitis Woronzow (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 122 s. *H. praemorso* L. ut seqq.) et circa Ligovo, Goreloy Cabac atque Pargelovii (Sobol. Petrop. 1799, p. 183, n. 501; ed. ross. II, 1802, p. 119, n. 516); in pratis humidis turfosis passim, Majo, Jun. (Weinm. Pawl. 1824, p. 366); in montosis pr. Duderovo! (Turcz. 1825, n. 471); ubique in pratis humidiusculis turfosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 77, n. 514 s. *Intybo praemorso* Fries).

372. *H. paludosum* L. = *Crepis paludosa* Mönch 1794! = *Soyeria paludosa* Godron 1843 = *Aracium palud.* Monnier 1829 = *Barkhausia palud.* Baumg. = *Haplostephium palud.* Don. = *H. latifolium glabrum* J. Bauh. 1651 fig. opt.! = *H. montanum latif. glabrum minus* C. Bauh. 1623! teste syn. Tabern. et fide herb. C. Bauh. et Burser. ab Hagenb. et Fries examinati = *H. mont. latifol. minus* Tabern. 1590 fig. opt.!

Caulis glaber, erectus, foliatus, inferne subpurpurascens, superne fastigiato-cymosus. Folia runcinato-dentata, glaberrima; radicalia obovato-spathulata petiolata; caulina sessilia late elliptica, acuminata, basi cordatâ amplexicaulia. Anthodia 4 lin. profunde viridia, pilis nigris longis patentibus vestita. Achenia 10-costata, subcylindrica, pappo sordide flavescente fragili, hinc omnino *Hieracii!*

In pratis humidis et sylvis paludosis, fere ubique copiose. Floret med. v. fine Junii; med. Aug. defloratum, fruct. maturis partim delapsis. ♃.

Hist. spec. In pratis circa Catharinenhof! (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 123 s. *H. pal.* L. ut seqq.); in pratis humidis sylvosis insulae apothecariae, lapideae!, Catharinhoffii! et passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 183, n. 504) et in monte Poclonnaja, prope Murina (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 120, n. 519); in pratis paludosis passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 368); Ossinovae Rosczae (Turcz. 1825, n. 473 s. *H. paludoso* β. *sylvatico*); in pratis et sylvis paludosis abunde, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 77, n. 512).

Observ. *H. succisaefolium* All. = *Crepis succ.* Tausch. jam e Livonia vidit Ledebour (Fl. Ross.). In pratis humidis ad Annenhof pr. Dorpat detexit C. A. Meyer a. 1820 init. Jul. flor. et fr. delaps. Species etiam ex habitu proxima *H. paludoso* et propterea forte saepe praetervisa; dignoscitur ab eo praesertim foliis minoribus angustioribus puberulis vel pilosis integerrimis vel tantum denticulatis, pilis nigricantibus anthodii brevioribus (ex spec. herb. Meyer.), sed alibi etiam glabrum describitur. Etiam *H. prenanthoidi* Vill. in nonnullis simile, sed caulis oligophyllus.

CLXXXVII. HIERACIUM.

Ἱεράκιον Dioscordi duplex: lib. III, cap. 72 τὸ μέγα, cap. 73 τό μικρόν. *Hieracium*, ut Plinius XX, 7 scribit, nomen accepit ab accipitre, qui ἕραξ, «quoniam accipitres scalpendo eam, succoque oculos tingendo, obscuritatem cum sensere, discutiunt». Cel. Fraas *H. majus* Diosc. cum Gesnero pro *Urospermo picroide* Dsf., *minus* vero pro *Zollikoferia chondrilloide* Dec. (*Scorzonera resedifolia* L.) interpretatur. *H. minus* Diosc. Cordo et Gesnero est *Taraxacon offic.*; Trago, Fuchs, Matth. Lobel. Tabern. vero *Apargia autumnalis* (planta nimis borealis); pro *Hypochoeri radicata* a Dodonaeo, pro *Crepide tectorum* L. a Tabernaemontano habebatur. Plurimi patres *H. majus* Diosc. pro *Soncho repente* habent, sic Fuchs, Matth., Dodon., Lobel., Thal.,

Caesalp. (quod si ita, *Sonchus tertius* Diosc. forte *S. asper*); Tabern. et Gerard pro *Endoptera Dioscoridis* Dec. (sed hujus radix supervacanea). Tandem Dodonaeus 1583 *H. majus* Diosc. ex p. pro *Hieracio umbellato* L. habet, quod jam 1570 apud Pena et Lobelium *H. sabaudum* appellatur; hoc est fundamentum generis *Hieracii* hodierni et magna ex parte Raji et Vaillantii, sive pars dimidia posterior *Hieraciorum* C. Bauhini, addito genere *Pilosella* C. Bauh., a Vaillantio adhuc recepto (pro *H. Pilosella* L.), sed jam a Rajo ad *Hieracium* addito. Descriptio *H. magni* apud Dioscoridem («caulis asper, subruber, spinosus, cavus, folia ex intervallis, laciniis rarioribus divisa, similia *Soncho* per ambitum, flores lutei in oblongis capitulis), si cum ullo *Hieracio* combinari possit, tantum e §. *H. sabaudi* L., praecipue ex *H. boreali*, *robusto* et *H. viroso* (succo lacteo, quem Diosc. exposcit, caule saepe purpureo hispido, medulla tamen farcto) facta esse deberet. *Pilosella* C. Bauh. et patrum ab *Hieracio* genere melius distingui potest, quam *Crepis* a *Barkhausia*, monente Fries; sed characteres artificiales ex organis fructificationis petiti, nondum evidentes.

§. 1. ACCIPITRINA Dodon. 1583! p.p. (non 1554) Franken. 1659, Fries! = *Hieracia fruticosa* C. Bauh. 1623! = *Aphyllopoda* Frölich. Innovatio per gemmas clausas sero autumno. Involucrum (excl. *H. prenanthoide*) contiguum, distincte multiseriale. Achenia truncata, pilis pappi rigidis inaequalibus.

373. *H. prenanthoides* Villars! Prosp. pl. Dauph. 1779, p. 35, tab. 9, fig. 2 et tab. 10, fig. 1; Delph. I (1786), p. 368, III (1789) ubi syn. Allionii agnoscit; Fries monogr. Hierac.! = *H. spicatum* Allioni 1785, tab. 27, f. 1, 3 opt.! exacte plantam Petrop. exprimens; Allione figg. apud Vill. 1779 exhibitas pro sua specie citat, sed nomen in pejus mutavit propter syn. Halleri = *H. floribus spicatis* Haller n. 252 (fide Allion. qui spec. Hal-

leri vidit) = *H. montanum mali cotonei folio* Boccone Mus. 1697, tab. 53 fig. sup. (fide herb. Vaill. a Villarsio examinati).

Caulis 2–2½ ped., simplex, dense foliosus, sparse pilosus, basi aphyllus, apice racemoso-cymosus. Folia omnia basi cordato-amplexicaulia, saltem ad margines et costam dense et breve pilosula, subtus pallidiora subglaucescentia et reticulata, margine integerrima vel rarius obscure denticulata, inferiora basi attenuata longiora et angustiora lanceolata, superiora breviora ovato-oblonga. Pedunculi communes divaricati et anthodia profunde viridia pilis atris glandulosis hirsuta. Anthodium subcalyculatum (hinc *Geracium* apud Rchb.!), squamis extimis brevibus paucis adpressis, interioribus 4–5 lin.

Planta rarissima. In fruticetis montis Duderhof (Kyrka), non ultra 550 ped. elevati, solo calcareo, parce; medio v. fine Julii flor. (R. Symb. 1846, p. 228 s. n. *H. pren.* δ. *integerrimum* Tausch Fl. Sudet. sel. exsicc.!). Ceterum nullibi in Ingria; ad lacum Ladoga bor. pr. Kirjavalax (Nyland. Fl. Karel. 1850, p. 128). ♃.

374. *H. sabaudum* Lobel. 1576 fig. opt.! (repetita in edit. Dodon.! Clus.! Dalech.! ex officina Plantiniana) Antwerpii copiosiss.; Dalech. 1587! — cur non? *H. sabaudum* etc. Pena et Lobel. 1570 «caule flaccido et laevi glabro» quod primum Londini in horto Morgani obvenit (etiam hoc ab *H. sabaudo* L. et Fries diversum) = *H. rectum rigidum*, quibusdam *Sabaudum* J. Bauh. 1651 fig. mediocris = *H. umbellatum* L. 1753 (quod pariter in Sabaudia provenit teste J. Bauh. et Bertolon.).

Herba quidpiam lactescens, odore sat gravi. Caulis rigidus, subsimplex, glaber vel rarius hirsutus, dense foliosus, inferne aphyllus!. Folia firma, profunde viridia, lineari-lanceolata, dentata (typica Lobelii) v. integerrima, inferiora brevepetiolata, superiora subsessilia (numquam amplexicaulia). Cyma subumbellata (typica Linnaei Fl. Lappon.) vel irregulariter ramosa (typ. Lobelii, sue-

cica Linnaei), non raro depauperata et imo submonocephala. Pedunculi canescentes, sine glandulis aut setis longioribus. Involucri siccitate saepe nigricantis squamae squarroso-reflexae (L.).

Species polymorpha. Caulis interdum flexuosus, in ramos floriferos solutus. Folia variant angustiora et latiora, non raro basi latâ sessilia in var. *arctophila* Fries 1848!. In pinetis sterilibus folia longissima, linearia, 1 lineâ angustiora, subintegerrima: *Pulmonaria graminea* Petiver 1713, tab. 13, fig. 12!; talia specc., sed submonocephala, pr. Pargola (Borszczow!).

In siccis graminosis, lapidosis, arenosis, pinetis, fruticetis, ubique copiose. Floret a medio Junio v. prius ad init. Sept.; fruct. mat. a fine Julii. ♃.

Hist. spec. Huc forte: *H. montanum Ingricum fruticosum*, *Plantaginis folio* (Siegesb. Prim. Fl. Petrop. 1736, p. 54). Ad sepes plerumque, etiam in sylvis superiorum regionum Nevae fl. (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 124 s. *H. umbellato*, ut seqq.); ad fabricam pyriam Ochtensem et ad viam Sarscoseliensem, nec non Pargelovii! frequens (Sobol. Petr. 1799, p. 184, n. 506) et prope Murinam (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 121, n. 521); in pascuis siccis ubique, Jul. Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 367); ubique (Turcz. 1825, n. 474); in omnibus locis herbosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 77, n. 513 cum varr. 4; in Ledeb. Fl. Ross. II, 855 casu omissum). Varietatem insignem pr. Petrop. lectam, corymbis omnibus secundis ex axillis fere omnium foliorum egredientibus (an var. *alifloram* Fries?) memorat cl. Turczaninow in Fl. Baical. Dahur. II, 174.

Obs. *H. sabaudum* L. Fl. Suec. indicatum: Petropoli (Boeber ex Georgi 1790, n. 479); in pratis sylvosis siccis circa Petropolim, flor. Julio (Sobol. Petr. 1799, p. 184, n. 505, cum citato Fl. Dan. t. 872, quae refert *H. umbellatum pectinatum* Fries); prope Catherinhoff et ad viam Peterhoffianam rarius (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 121, n. 520). *H. sabaudum* L. Fl. Suec. (non

Spec. pl., neque Lobel.) e loco Lecheano est *H. rigidum* Hartm. sec. Fries Monogr. Hierac. p. 173. Hoc (praecipue var. *laevigata* Fries herb. norm. IX, 3) formis latifoliis argute dentatis *H. sabaudi* Lobel. (cyma non umbellata) simillimum, dignoscitur: florescentia aestivali, squamis anthodii numquam squarrosis aut siccitate nigrescentibus, sed semper adpressis et pallidis, foliis minus confertis et sec. Fries stylo fusco (non luteo).

§. 2. PULMONARIA Gallorum ex Gesner 1561, Lobel. Tabern. Clus. (non Fuchs, C. Bauh. et alior.). Innovatio per rosulas autumnales. Involucrum interruptum squamis exterioribus abbreviatis inordinatis. Achenia brevia truncata, striata, basi attenuata, pappo §. 1.

375. *H. vulgatum* Fries 1828! et prius = *H. murorum* γ. Linné 1753 sec. Fries l. c. = *Pulmonaria gallica tenuifolia* Tabern. 1590 fig. opt.! (vulgatum typicum phyllopodum!).

Diu forma angustifolia *H. murorum*, nunc optimis auctoribus species distincta, characteribus tamen difficile limitanda. Attendendum praecipue ad corymbi ramos arrectos, caulem typice polyphyllum et teneriorem, folia lanceolata v. oblonga, basi numquam cordata, sed in petiolum attenuata, minus hirsuta, subtus saepe pallida vel purpurascentia, medio praecipue dentata, radicalia solitaria v. pauca!; serius floret, quam *H. murorum*, Petropoli a fine Junii v. serius, praecipue in umbrosis, saltem usque ad init. Aug.

Forma typica caule folioso (Hb. norm. Suec. XIII, 22), monente cel. Fries, extra Fenniam rupestrem orientem versus in Rossia vix bene evoluta. Sub diversis formis recedentibus in Ingria tantum circa Petropolin in conspectum venit et quidem rarius in regione demissa (ins. Krestowsky) et isthmo Kareliae (Poclonnaja gora; Pargola: R. Petr. 1845, p. 78), quasi cum rupibus e Fennia primitus advecta. Adsunt praecipue formae *nemorales* glabrescentes, virides, foliis paucis diaphanis partim eden-

tulis, cum specc. Herb. norm. II, 8 et 9 confluentes; aliae folia offerunt firmiora, magis pilosa, purpurascentia, in horto e seminibus educatae, secundo anno floriferae, majores factae sunt, aucto simul numero capitulorum et fol. caulinorum. Tertia forma, prope litus marinum inter Peterhof et Oranienbaum in pratis subumbrosis, 1 Jul. flor. et fruct., parce modo reperta et ab ipso cel. Fries pro *H. vulgato* agnita, praecipue colore lutescenti-pallido, villositate et caule crasso, $\frac{1}{2}$–1 ped. insignis, ex habitu *H. Dovrense* (Herb. norm. XI, 12) villosum aemulat. sed anthodiis maxime abludit.

376. *H. caesium* Fries 1819 et Monogr. 1848. Species difficillima, *H. vulgato* saepe simillima, sed caesio-glaucescens (in umbrosis tamen pallide virens, ut *H. vulgatum*), caule 1–paucifolio, foliis saepe ovatis et basi rotundatis, profundius dentatis, subtus (in vivo) floccosis v. araneosis et saepe maculatis.

Huic subscribo *H.* quoddam *caesio-glaucum*, in declivibus apricis calcareis montis Kyrka-Duderhof copiosum, medio Julio florens, ab *H. murorum* conspicue diversum, minus pilosum, rhizomate magis elongato subrepente, caule tenuiori, foliis radicalibus saepe paucioribus, caulinis 2 - 3, omnibus plerumque glabriusculis, latissimis et profunde dentatis, basi distincte attenuatis v. infimis rotundatis, corymbi ramis paucioribus. Inter plantas Herb. norm. Suec. maxime accedit ad *H. vulgatum basifolium* XIII, 23 (quod tamen folia non ita lata et profunde dentata offert), *H. caesium nemorum* XII, 20 et *H. plumbeum* XII, 21 (utrumque cyma profunde furcata abludens). Cel. Fries, cui cum *Hieraciis* aliis Petropolitanis in usum Monographiae suae misi, diversum quidem agnovit ab *H. murorum* et *vulgato*, sed nil certi exinde statuere ausus est. — Specimina aliquot simillima, sed minus caesio-glauca, scapo monophyllo saepe polycephalo, prope Peterhof 1832 lecta a b. C. A. Meyer et pro *H. vulgato* β. *caesio* determinata. In utraque formâ capitula speciosa magna, ut in variis formis *H. caesii* Fries

Herb. norm. Suec. Inter icones proxime accedit imago *H. silvatici* Smith in Engl. Bot. t. 2031.

377. *H. murorum* C. Bauh. 1623! et Linné! (ex parte majori), Fries! = *Pulmonaria gallica* s. *aurea* Tabern. 1590 fig. opt.! = *Auricula muris major* (in antiquis et umbrosis *muris*) Trag. 1552 fig.!

Radix saepe caespitosa, rosulas praeter caulem floriferum laterales evolvens. Caulis scapiformis! subunifolius, praecipue inferne villoso-pilosus, pro ratione sat robustus. Folia radicalia numerosa, hyemem perdurantia, ovalia, subcordata! dentata, laete viridia!, subtus et margine hirsuta, numquam stellato-floccosa. Corymbus cano-floccosus et pilis nigris glandulosis tectus, ramis patenti-divaricatis! Squamae anthodii 4 lin. — Scapus interdum variat 3–4 phyllus, *H. vulgati* contra non raro 1-phyllus, sed characteres reliqui non mutantur. Folia in siccioribus brevius petiolata minora, consistentiam firmiorem offerunt. Variat etiam *macrocephalum:* anthodio 5 lin. et: β. *sylvaticum* L. 1753 fide citato: *Pulmonaria gallica foemina* Tabern. 1590 fig. opt.! fol. tenuioribus, basi evidentius cordatis et dentibus longioribus reversis.

In pratis umbrosis, sylvaticis, montosis, inter frutices, ad margines sylvarum, hinc inde, β. rarius. Floret reliquis affinibus praecocius, medio v. fine, rarius ab initio Junii; med. Jul. saepe deflor. fruct. matur. ♃.

Hist. spec. Passim in sylvis (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 123); passim in sylv. siccioribus montosis (Sobol. Petr. 1799, p. 183, n. 503), sc. Pargelovii, Ossinovae Rosczae etc. (Sobol. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 120, n. 518 — an ex loco potius *H. vulgatum* var.?); in montosis siccioribus, Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 367); Catherinhof, Pargola (Turcz. 1825, n. 472; an ad *H. vulgatum*?); in sylvis siccioribus et in declivibus fruticetosis, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 77. n. 511); Duderhof, Gatschina et Siworitzy, Kauschta et Lissino, Lapuchinka et forte Nicolskoje.

§. 3. PILOSELLA Fuchs 1542! pp., Tabern.!, C. Bauh.! Innovatio per stolones aestivales, nunc in cauliculos laterales, nunc in rhizoma repens abeuntes. Involucrum irregulariter imbricatum. Achenia minima striatula, pilis pappi tenuissimis aequalibus.

* Radix a caule discreta (conf. ***H. pratense***).

(378.) *H. albo-cinereum.* *

Species insignis, inter ***H.*** *cymosum* et ***H.*** *echioides* collocanda, ab omnibus formis hispido-setosis ***H.*** *cymosi* distinctissima: capitulis majoribus, 3-rarius 4 lin., cyma profunde et repetito-furcata, pedunculis longis submonocephalis. Herba 5–15 pollicaris, cinereo-v. fere albotomentosa propter pubem stellulatam densam, praecipue in capitulis, pedunculis, superiori et inferiori parte caulis et facie supina foliorum; adsunt praeterea setae rigidae, basi bulbosae, longae densae adpressae vel patentes in caule (deorsum crebriores) et facie prona vel etiam costa foliorum. Folia anguste lanceolata, numerosa, sed omnia fere ad radicem congesta, caulina in scapis primariis tantum bracteiformia ad diramificationes, in scapis lateralibus (stolonibus semper floriferis erecto-adscendentibus) 2–3 angustiora; patet hinc diversitas a caulibus vere foliosis ***H.*** *setigeri* Tausch 1828 (etiam specc. orig.!) sive ***H.*** *echioide* W. Kit. 1802, tab. 85 (e montibus apricis Budae et collibus clivisque arenosis reliq. Hungariae). Caules scapiformes, ex una radice plerumque plures, supra medium vel jam prope basin repetito-dichotomi. Capitula vix vel breve et parce piloso-hirsuta, quare etiam differt ab ***H.*** *echioide* Lumnitzer Fl. Poson. 1791 (e lapidosis inter vineas supra Theben). At descriptio ***H.*** *cinerei* Tausch in Flora 1819, p. 463 (e rupibus retro Kuchelbad pr. Pragam) adeo quadrat, ut Ingricum facile varietatem diceres. Planta quam ipse olim circa Pragam, ni fallor, in loco classico Tauschii, legi, vix aliter a specc. macrocephalis Ingricis differt, quam pilis copiosis longis (nunc in herb. jam fulvis) anthodiorum et inde capitulis sericeis, minus albido-cinereis. Exemplaria tamen nume-

rosa Ingrica semper conformia, numquam ligulis subtus rubello-vittatis instructa (ut *H. cinerum* e descr. Tausch.), patria et statio diversa, speciem distinctam indicare videntur. Plantam nostrae similem, sed microcephalam (anthod. sub–2 lin.) vidi e Kasan (in Hb. Meyer).

In regione arenosa syst. Devonici medii rarissime, tantum e septemtrione urbis Luga secus vias copiose (R. Iter Ingr. in Bullet. XII, 1854, p. 92 s. 223 s. n. *H. echioides* vel potius *setigerum* Tausch). Floret ab initio Julii, fine Julii flor. ultimis et fruct. maturis partim delapsis. ♃.

379. *H. cymosum* L. 1763 non male descr.! cum synn. C. et J. Bauh. forte excludendis; Rchb. pl. crit. I tab. 17, fig. 34 optima! etiam a Tausch et Fries huc citata; Fries Monogr. et herb. norm. Suec. XIII, 14! = *H. Nestleri* Vill. Voy. 1812, tab. 4, fig. 1 (sec. Tausch et Fries), α. Koch 1837. = *Pilosella minori flore hirsutior et elatior, non repens* J. Bauh. 1651 fig. rudis, e muris Montbelgard. (sec. L. et Fries) = *H. murorum angustifolium non sinuatum* C. Bauh. 1620, p. 67, c. fig.! e muris Basileae, forma fol. angustis et longis ($^1/_2$: 6 poll.), caule sesquicubitali paene nudo aspero, in fig. 5-phyllo; Tausch ad *H. Zizianum* suum citat, quod forte *H. collinum strigosum* Fries; in herb. Burseri sub phrasi Bauh. adest *H. glomeratum* sec. Fries, sed folia in fig. C. Bauh. sat longe hispida; fide Hagenbach genuinum *H. cymosum* L. Basileae deest, in herb. C. Bauhini vero adest specimen *H. collini* Gochnat (sine stolone) et aliud *H. praealti*.

Laete viride, exsiccatione sublutescens, setoso-hispidum. Radix numquam stolonifera, at non raro multicaulis. Caules robusti, saepe bipedales, pilis eglandulosis longis, praecipue inferne dense obsiti, sparsifolii. Folia lanceolata, longiuscula, erecta, utrinque pilis rigidis hispida (Linné), subtus tantum parce floccosa, numquam glaucescentia. Cyma subumbellata, cano-floccosa, pedunculis elongatis. Anthodii albo-hirsuti parvi squamae 2–3 lin. acutae.

In argilloso-calcareis pr. Gatschinam specc. robusta

foliis admodum latis, inferioribus obovatis, jam initio et medio Junii flor. (Borszczow!); copiose et optime evolutum in regione arenosa syst. Devonici medii e septemtr. urbis Luga, specc. robusta latifolia, mixta cum debilioribus angustifoliis purpurascentibus, utraque saepe cymâ irregulari ramosa, furcata v. paniculata; forma angustifolia e seminibus a me educata primo anno floruit et folia latiora breviora adquisivit, sed pilos longos in caule foliisque servavit, secus habuissem pro *H. cymoso* β. *longifolio* Rchb. pl. crit. I (1823) tab. 56, f. 116, quod *H. cymigerum* Rchb. 1831 (Tausch et Koch cum dubio ad sequentem spec. referunt). Formam aliam adpresse hispidam, cyma glomerata (quae vero culturâ in effusam mutata est) in ripa calcarea fl. Pljussa pr. Polja legi. Initio et med. Julii flor. et fruct. maturis. ♃.

Hist. spec. partim ad spec. seq. referenda. Forte huc: *H. montanum non ramosum* foliis longis angustis non dentatis, ad basin hirsutis, circa Duderhoff et Krasno-Selo, m. Jun. (Amman mss. post. 1736). In sylva ins. pharmaceuticae copiose (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 123 sub *Hieracio* n. 5 Haller p. 743); in pascuis omnibus insularum Newae fl. frequens (Krasch. Codex mss. 1752 fide syn. J. Bauh.; prius pro *H. dubio* L. Fl. Suec. habuit et synn. Bauh. et Halleri addidit, quae serius suppressit; — planta Krasch. a Gorter consulto omissa, an *H. pratense* fuit?). Circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 74, n. 477 s. *H. cymoso* L. ut seqq.); in m. Poclonnaja, Pargelovii aliisque in locis elevatis siccis (Sobol. Petrop. 1799, p. 182, n. 500) et ad viam Murinensem (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 118, n. 515); in montosis Duderhovii et Pulcovae, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 366); ubique in locis siccis elevatis (Turcz. 1825, n. 470); in herbosis fertilioribus, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 77, n. 510 cum cit. Rchb. pl. crit. fig. 34).

380. *H. Vaillantii* Koch 1837 (sub *H. Nestleri* γ.) optime!; an quoque *H. Vaillantii* Tausch. 1828 propter

«folia hirta pilis brevissimis, ut scapus», descriptio differt: stolonibus repentibus, fol. lanceolatis elongatis fere pedalibus, capitulis *H. cymoso* majoribus. Tausch citat: *Hieracium* n. 7: pilloselloides majus longifolium, floribus luteis fere umbellatis Vaill. 1721 e 3 speciebus Tournef. collectivum, a Linnaeo et Fries tamen pro *H. cymoso* interpretatum.

Pubes stellulata in caule et utraque pagina foliorum, pili tenues brevissimi, folia exteriora plerumque latiuscula oblonga v. obovata, saepe repanda et paululum obliqua, e verbis b. Koch plantam suam et nostram eximie designant, ab *H. cymoso* bene diversam, propter capitula parva et folia latiora aegrius pro *H. glomerato* Fries herb. norm. Suec. XIII, 11, IX, 6 definiendam. Setae hispidae longae ad basin scapi et foliorum, in *H. cymoso* characteristicae, in hoc desunt.

Optime et copiose in apricis collium calcareorum prope Arbonje; simillimum pr. Pargola; in declivibus apricis calcareis m. Kyrka-Duderhof forma adest ambigua, macilenta, angustifolia in formam similem *H. cymosi* abiens. Floret a fine Junii, med. Julii fruct. mat. cum flor. ultimis. ♃.

Obs. H. collinum Fries 1848 (*H. cymosum* var. *dubium* Fr. 1828) inter *H. glomeratum* Fr. et *H. pratense* ambigit; ab hoc dignoscitur: radice praemorsa, stolonibus minus evolutis v. florentibus, foliis angustioribus acutis, interdum linearibus, subtus v. utrinque cano-floccosis, scapo saepe rubente, foliis saepe rigidioribus subundulatis, cyma interdum furcata. Hujus vestigia adsunt in regione demissa Fl. Petrop., propter capitula majora, in sicco statu nigricantia, squamas obtusas, floccos foliorum parcos oculo armato tantum detengendos vel subdeficientes difficilius ad *H. cymosum* aut *H. Vaillantii* referenda. *H. collinum* Gochnat 1808 tab. 3 (Argentor. pr. Marlenheim) etiam Friesianum videtur, *H. pratensi* Tausch (firmiori et viridiori) proximum, at diversum; foliis integerrimis longioribus, caulinis in petiolum fere attenuatis, et ni icon fallit, praecipue pilis in caule

brevioribus arrectis et rhizomate crasso praemorso. Tale rhizoma quoque exhibet Sprengel Fl. Halens. tentam. tab. X, fig. 2, a Gochnat laudata. Koch et Grenier plantam Gochnati pro *H. pratensi* Tausch, in Alsatia proveniente declarant. An *H. pratense* α. Petropoli in *H. collinum* Gochn. abeat, nondum pro certo affirmare audeo; obstat praecipue rhizoma.

381. *H. praealtum* Villars ex Gochnat 1808! e rupibus ad Barr pr. Argentoratum (fol. lanceolata glabriuscula, carina pilosa); Villars Voy. 1812, tab. 2, f. 1 (sec. Fries var. alpina, involucro nudo nigricante); Rchb. pl. crit. I. (1823) tab. 55, f. 114! (flagellis floriferis); Wimm. Grab. 1829 (scapo glabro, fol. margine et costa ciliatis anguste lanceol.); Herb. norm. Suec. VI, 7! et Rchb. exsicc. n. 192! (utraque typica angustifolia Petropoli rarius obvia).

Glaucescens! setoso-hispidum v. glabratum, flagellis vel nullis, vel prostratis, vel adscendenti-floriferis. Folia lanceolata, numquam floccis adspersa. Cyma densa, pedunculi deflorati stricti. Anthodia subnuda olivaceo-viridia!, squamae $2\frac{1}{2}$–3 lin. margine pallido. Styli flavi. — Forma typica semper facillime ab affinibus dignoscitur; numerosae autem heic adsunt varietates foliis: late lanceolatis vel brevioribus ellipticis, infimis interdum obovatis obtusissimis; setae non raro desunt, plerumque tamen in scapo, margine, costa foliorum et praecipue in flagellis dispersae, longae, rectae; rarius in tota pagina superiori; margo (in typica integerrimus) interdum evidenter denticulatus. Etiam anthodia saepe variant copia majori floccorum, pilorum nigrorum glandulosorum aut setarum longiorum nigrarum vel apice canescentium. Rhizoma interdum adest repens in formis evidenter huc referendis. Formae extremae et ambiguae cyma depauperata sunt: β. *macrocephalum*, capitulis majoribus (squamis $3\frac{1}{2}$ lin.): Gatschina cum typica (Borszczow!); γ. *microcephalum*, anthodiis sordidis sub 2-lineal.: in siccis calcareis pr. Arbonje fine Julii flor. primis (similis var. *his-*

pidissimae Fries, sed latifolia, scapo glabro) et Bornitzy (foliis parvis, hornotinis glabris subtus floccosis). Flocci interdum quoque in specc. e m. Duderhof conspiciuntur.

In graminosis, ad vias, in umbrosis, sylvis siccis, collibus apricis calcareis, argillosis, regionis demissae et elevatae Fl. Petr. fere ubique copiose, at nondum ex isthmo Kareliae vidi. In arenosis pr. Luga adest forma microcephala multicaulis longifolia. Floret (an bis?) ab initio vel medio Junii ad med. Julii; specc. serotina initio Sept.; fruct. mat. partim delapsi circa med. Julii. ♃.

Hist. spec. In siccis apricis lapidosis, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 77, n. 508 s. *H. praealto* Vill. cum cit. Rchb. pl. crit. f. 114). Ledebour in Fl. Ross. II, p. 848 plantam Petrop. a Weinmannio acceptam pro *H.* (*praealto α. florentino* Koch, var.) *obscuro* Rchb. pl. crit. t. 35, f. 115 declarat. Cel. Reichenbach ab *H. praealto* suo, quocum Dresdae mixtim crescit, distinguit: foliis obscure glaucis (non laete viridibus) et anthodiis atrovirentibus (non viridibus). Ejusmodi forma *H. praealti* utique adest.

Obs. *H. radiocaule* Tausch 1828 in locis herbosis ad viam Teitzensem, Jun. Jul. (Weinm. Petr. 1837, p. 77, n. 509). Ledebour in Fl. Ross. II, 848 plantam Petrop. a Weinmannio missam, unacum Tauschiana ad *H. piloselloidem* Vill. 1812, t. 27 ducit, monens, ab *H. praealto* Koch tantum diversam esse capitulis minoribus et involucris minus pilosis. Videtur una e formis microcephalis supra memoratis. *H. radiocaule* sec. spec. orig. a Tausch 1823 missum, ad formas flagelliferas glabratas *H. praealti* quidem pertinet, sed ab *H. stolonifero* Fries Monogr. excludendum est, folia enim minime floccosa, imo setas tantum parcissimas offerunt.

** Rhizoma repens
(interdum tamen abbreviatum; conf. *H. praealtum*).

382. ***H. pratense*** Tausch 1828! fide quoque spec. orig. 1823 missi! «proximum *H. aurantiaco*»!; Wimm.

et Grab. 1829, Koch, Rchb. exsicc. n. 193! et 1335! (an pro parte etiam C. Bauh. quod *H. praemorsum* L.) = *H.* n. 27. Gmelin Fl. Sibir. II. (1749) optime descr.! pro *H. aurantiaco* habuit, sed corrigit «flores non crocei quidem, intensiores tamen quam citrini»; in mont. Krasnojar. legit; in Sibiria tantum *H. pratense Tausch*, nec aliud affine crescit!

Rhizoma repens, typice stoloniferum. Folia oblongo-lanceolata v. lanceolata denticulata! (Tausch), laete viridia! margine et praecipue costa vel undique (ut in scapo) pilis longis mollibus! fere crispulis hirsuta, subtus parce floccosa!, caulina 1–2 semiamplexicaulia! Scapus fistulosus, inferne deflexo- v. divaricato-hirsutus subrubens, superne nigro-hispidus. Cyma polycephala, sub anthesi densa. Anthodia *H. Auriculae.* — Variat β. *sylvicolum* Fries 1848! fol. diaphanis, tenuioribus, pilis brevioribus et confertioribus; folia caulina interdum latissima et habitus *H. praemorsi* ut Grenier monet; γ. *luxurians* (Fries herb. norm. Suec. VI, 10! specimen minus), flagellis validis prostratis, foliis oblongo-obovatis, obtusis, magis glabratis, glaucescentibus, tenuioribus, majoribus; inter hanc var. et *H. suecicum* Fries limites interdum difficile inveniuntur, specc. capitulis manifeste pedicellatis forte ad *H. suecicum* pertinent. Var. δ. *astoloniferum* Tausch l. c. heic ut in Sibiria fere norma pro α. et β. Cel. Turczaninow in Fl. Baic. Dahur. II, p. 171 de planta Petropolitana agit.

In pratis turfosis, agris, ad fossas, β. in umbrosis sylvaticis; tantum in reg. demissa circa Petropolin, sed fere ubique sat copiose. Quae in arenosis Pargolae jam initio Junii floret, sistit formam atypicam: scapo aphyllo, flagellis parcis brevibus. Floret fine Junii v. initio Julii, in aliis locis non ante finem Julii v. init. Aug. ♃.

Obs. H. decolorans var. *caulescens* Fries Monogr. 1848, p. 22! Petropoli indicatum ad specc. 2 spontanea circa Pawlowsk lecta et 1817 s. n. *H. Auricula?* a Weinmann ad M. Bieberstein missa, ab *H. pratensi* (astolo-

-nifero) Tausch distinguere nequeo; adsunt pili stellati copiosi ubique in caule et margine foliorum.

383. *H. aurantiacum* L. indicabatur: Petropoli (Rudolph ex Georgi 1790, n. 478); in montosis sylvaticis circa Petrop. parcius. fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 183, n. 502); rarius in pratis elevatis sylvosis prope Strelinam et Peterhoffium (Sobol. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 119, n. 517); Petr. (Georgi 1800, p. 1211, n. 9; Longmire 1823, p. 195); exstat in Hb. Petrop. Kastalskii, a spec. Herb. norm. Suec. X foliis angustioribus tantum diversum (R. Petrop. 1845, p. 78 pro planta nondum satis certa indicatum; forte erat var. *H. pratensis?*; specimen nunc mihi deest). Synonyma haec in Monographia *Hierac.* Friesii subscribuntur *H. decoloranti*. Certum quidem est, *Hieracium* quoddam circa Petropolin adesse, flosculis aurantiacis (vel forte purpurascentibus?) primo obtutu insigne, ex affinitate *H. aurantiaci* in Rossia nullibi obvenientis; sed planta rara, mihi tantum e speciminibus Petrop. paucis siccis, recentissime in herbb. Meyer, Turczaninow et Kastalsky (hic in mss. in insula Petrowsky indicat) sub inscriptione «*H. aurantiacum*» visis, cognita. Ligulae interdum manifestissime in utraque facie purpurascentes, ut in *H. aurantiaco* sicco; in specc. minus bene siccatis color sordide purpurascens, ejusmodi specimen ex herb. Horaninow cel. Fries pro *H. suecici* var. habuit. Haec planta memorabilis videtur species media inter *H. pratense* tenuifolium et *H. suecicum* vel forte hujus varietas aurantiaca. Rhizoma repens; folia glauca, glabrescentia v. hispidula, obovato-spathulata, mucronata, radicalia obtusissima; capitula pedicellata 6, e quibus saepe tantum 3 bene evoluta, squamis $3^1/_2$ lin. longis; in aliis specc. cyma juvenilis densa, capitulo terminali florifero.

384. *H. suecicum* Fries Monogr. 1848, p. 16 et jam in Herb. norm. Suec. IX, 7! = *H. auricula majus* Whlbg. 1826! = *H. dubium* L. 1753 et sine nomine jam

in Fl. Suec. 1745, testante Fries (propter descript. mancam et contradictoriam revera semper «*dubium*» et controversiis maximis obnoxium nomen haud recipiendum).

Forma omnino *H. pratensis*, at tota facies *H. Auriculae*, ab utroque corymbo composito fastigiato, ramis patentibus polycephalis et stylo hispidulo differt. Rhizoma longe repens, stoloniferum. Scapus subnudus. Folia membranacea obovata, laete glauca, utrinque nuda et glabra, versus basin tantum ciliata (Diagn. ex Fries l. c.). — In quibusdam specc. herb. norm. Suec. IX, 7 folia radicalia diaphana, tenera, magis attenuata, non solum toto! margine, sed etiam ad costam! et imo in pagina superiore! hinc inde setis adspersa, scapus supra basin monophyllus. Hujus loci videtur *H. pratense* γ. *glabratum* Wimm. et Grab. 1829 (e sylvis umbros. humid.). Limites inter *H. suecicum* et *H. pratense* γ. *luxurians* nondum satis definiti; typicum glabrifolium Petropoli rarissimum esset.

Circa Petropolim (Fries Monogr. l. c.), in regione demissa hinc inde. Floret fine Junii. ♃.

Hist. spec. *H. dubii* L. indicati: circa Petr. (Boeber ex Georgi 1790, n. 475); in sylvis siccioribus insulae apothecariae, lapideae et passim, fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 182, n. 498; citat Fl. Dan. t. 1044, quae *H. collinum* Fr. Monogr., sec. Tausch *H. pratense* β. *lanceolatum* Tausch 1828, sed respectu non habito distrib. geogr. etiam pro *H. praealto* allegari poterat); in insulis Nevae fluvii et ubique in locis sylvosis siccis (Sob. Petrop. ed. ross. II, 1802, p. 117, n. 513); in pascuis subhumidis frequens, fl. Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824, p. 365); ubique (Turcz. 1825, n. 469; etiam H. Mertens in Catal. mss. Fl. Petrop. praeter *H. cymosum* et *Auriculam* adhuc *H. dubium* habet). Planta Linnaei mox in *H. Auricula* L., mox in *H. collino* Fr., ab aliis in *H. pratensi* Tausch quaesita fuit; Petropolitana partim quoque *H. praealtum* fuisse videtur.

385. *H. Auricula* L.! Fl. Dan. t. 1111! Hb. norm. Suec. VI, 6!, XI, 14! = *Auricula muris minor* (*altera*

Trag. 1552!) Franken. 1659 (*angustifolia* Linder 1716), uterque ex Linnaeo, unde nomen, frequentius tamen a patribus pro *H. Pilosella* usurpatum.

Glaucescens. Rhizoma repens, subemersum, fere semper flagellos steriles plures prostratos pilosos emittens. Folia lingulata, exteriora obtusa, glauca, glabrescentia vel sparse pilosa et setosa, numquam floccosa. Scapus subaphyllus, apice 3-rarius 5-cephalus. Anthodium $2^1/_2-3$ lin.; pilis nigris partim glandulosis. — Variat tantum statura $^1/_4-1$ pedali, capitulis 2 longe pedunculatis, rarius monocephalum.

In pratis et pascuis, declivibus, apricis, ad ripas et fossas, fere ubique copiose. Floret ab initio Junii ad finem Julii, interdum (secunda vice?) init. Sept. Sub solstitio capitula aperta sunt a h. 7-2 et ultra. ♃.

Hist. spec. Circa Petropolim (Boeber ex Georgi 1790, p. 74, n. 476); in pratis aridis montosis Pargelovii, in m. Poclonnaja!, ad fabricam pyriam Ochtensem et passim (Sobol. Petr. 1799, p. 182, n. 499), in campis siccis et sylvis, in insulis! Newae fluv., Strelinae! et alibi (Sob. Petr. ed. ross. II, 1802, p. 117, n 514); in locis graminosis siccioribus haud infrequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 366); ubique (Turcz. 1825, n. 468); in pascuis graminosis fruticetisque (Weinm. Petrop. 1837, p. 76, n. 507; citat Fl. Dan. t. 1111, quae genuina); Petrop. (Fries Monogr.! 1848, p. 14).

386. *H. auriculaeforme* Fr. 1819, Hb. norm. Suec. VI, 5! Vix distinguere possum: *H. pedunculare* Wallr. 1822 (sec. specim. orig.!); — *H. Schultesii* F. Schultz 1842, Grenier et Godr. (descr. opt. sed planta hybrida dicitur propter achenia sterilia); — *H. Pilosella* β. *virescens* Fries 1848, Hb. norm. IX, 8!; — *H. Pilosella* var. caule brachiato Krasch. Fl. Ingr. ed. Gorter 1761!

Species media inter *H. Auricula* et *H. Pilosella*, quibuscum saepe crescit, forte varietas tantum *H. Pilosellae*, cui similior, sed in Germania media et australi numquam mihi obviam veniebat. Recedit praecipue ab *H. Pilosella*

sequentibus: folia subtus floccis rarioribus adspersa, magis viridia; rhizoma minus emersum; stolones vix tomentosi; scapi saepissime divisi 2–3cephali; capitula evidenter vel saltem paulo minora et saepe magis nigrescentia. Ligulae concolores sunt vel discolores.

In pratis humidioribus, ad fossas et in umbrosis haud raro in regione demissa Petropoli, etiam ad lacum Tscheremenetz; *H. auriculaeforme* optimum (Petropoli: Rupr. ex Fries Monogr. 1848! p. 7) a me lectum in ins. Krestowsky, inter *H. Auriculam* et *Pilosellam*. Floret tempore *H. Pilosellae*. ♃.

387. ***H. Pilosella*** L. Fl. Dan. tab. 1110! Engl. Bot. t. 1093! = *Pilosella media* Dodon. 1553 fig.! = *Pilosella major* Fuchs 1542 fig. (rhizoma parum repens) = *Pilosella* Ruellius 1536!, Matth. 1558 fig.!, Lobel. 1576 fig.!, Tabern. fig.! (in omnibus figg. rhizoma bene repraesentatur, sed capitula axillaria) = *Auricula muris* (Brunf. 1536 fig.!) *minor* Trag. 1552 fig. bona!

Rhizoma subemersum repens, stolones tomentosos emittens. Folia oblonga v. lanceolata, supra setosa, subtus cano-tomentosa. Scapi aphylli monocephali. Anthodium magnum basi ovatum. Squamae 4–5 lin. dense floccosae canescentes et medio pilis longis canis basi nigricantibus obsitae. Ligulae subtus purpurascentes! (J. Bauh. Linné). — Variat: ligulis subtus concoloribus, rhizomate haud emerso, simplici astolonifero, stolone diramificato, ramis foliosis apice floriferis, longitudine scapi, raro capitulis 2–3 sessilibus v. pedunculatis in planta ceterum typica.

In siccis argillaceis et calcareis, arenosis, fere ubique copiosissime. Floret praecipue toto mense Junio, rarius jam fine Maji et sparse etiam usque ad init. Septembr.; fruct. mat. a medio Junii. ♃.

Hist. spec. Nihil vulgatius in pratis et pascuis sylvosis siccis, praesertim in insulis Newae fl. (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 121 cum descript. fusiori, cui forte subest *H. Auricula* L.; var. α. ad *H. auriculaeforme* retuli); ibi-

dem (Sobol. Petrop. 1799, p. 182, n. 497; ed. ross. II, 1802, p. 116, n. 512 cum varr.); in pratis et pascuis sylvaticis, Majo ad Aug. (Weinm. Pawl. 1824, p. 365); ubique (Turcz. 1825, n. 467); in campis apricis, siccis, ericetosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 76, n. 506); var. floribus aurantiacis circa Petrop. (Besser in Bull. soc. Mosc. 1839, p. 414).

Fam. XLVIII. DORTMANNIACEAE.

Familia fere exotica, cum *Campanulaceis* olim juncta et vix nisi corolla irregulari atque antheris semper connatis diversa. Hae vero notae, succi lactei praesentia et stigma bilobum pilis collectoribus obsessum, affinitatem altera ex parte cum Semiflosculosis *Compositis* indicant.

CLXXXVIII. DORTMANNA.

Nomen in honorem primi inventoris a Rudbeckio 1720 propositum, propter habitum potius, quam characteres ut genus proprium ab Adanson, Necker et G. Don recentiori tempore sustentabatur. Linné jam ab a. 1737 cum genere *Lobelia* junxit. Sed genus *Lobelia* Linnaei non est idem cum genere *Lobelia* Plumieri 1703, ut jam posthac Linné ipse perspexit. *Lobelia Plumieri* L. est eadem ac *Scaevola* L. 1771, genus ex alia familia affini, a Gärtnero iterum pro genuina *Lobelia* restitutum. Genus *Lobelia* L. plene respondet generi antiquiori *Rapuntium* Tournef. 1700! (et jam prius apud Rajum, Morison et Breyn) Miller, Gärtner, Mönch, recentius a Presl ita restauratum, ut plurimas species *Lobeliarum* L. contineat. *Lobelia* hodierna multo majori jure *Rapuntium* dici meretur; sed cuilibet originem et

significationem nominis indaganti mox perspicuum fit, *Rapuntium* Tournef. non esse genuinum *Rapuntium* Penae et Lobel. 1570, nam hoc idem est ac *Rapunculus* Fuchs et patr. (*Campanula Rapunculus* L.), italice *Rapunzolo*, Brunfelsio *Raponcoli*, ab Avicennae temporibus *Rapuntium* sive *Rapulum* appellatus, quia radix ad vescendum et ad aspectum *Rapulam* aut *Napum* prae se fert (Pena et Lobel.). Dodonaeus 1559 *Rapunculum* ab herbariis etiam *Rapontium* vocari scribit. Quum igitur *Rapuntium* Tournef. restaurari non potest, *Lobeliae* hodiernae ex duplici errore Linnaei ita vocatae, ad *Dortmannam* typicam amandandae erunt, nisi generica differentia e calyce et capsula hemisphaerica stabilitur. Endlicher *Dortmannam* pro subgenere agnoscit, sed capsulam, ut G. Don, errore quodam trilocularem descripsit.

Char. gen. Corolla bilabiata, labio superiore erecto bilobo, inferiore patente trilobo; tubus erectus cylindricus v. superne ampliatus. Capsula apice libero valvis 2 medio septiferis (loculicide) dehiscens.

388. *D. lacustris!* Rudbeck Lapp. in Act. Upsal. 1720! tab. 2; G. Don 1834! = *Rapuntium Dortmanna* Presl Monogr. Lobeliac. 1836! = *Lobelia Dortmanna* L.! = *Gladiolus lacustris* s. *stagnalis Dortmanni* Clusius Curae poster. 1611, p. 75 fig. bona! pl. acc. a Dortmanno, pharmacopola Groeningensi, qui in Drentia pr. Norch et Westervelde observavit; Rajus 1688 e Cumberland pr. oppid. Pereth. Planta jam prius Gesnero nota, ut tab. XIII, fig. CXVII in opere posth. a Schmidel 1754 edito testatur, forte a Pennaeo Londinensi habuit.

Planta acris, venenata, lactescens. Radix fibris albis copiosis fasciculata. Folia radicalia semper submersa, $1^1/_2$ poll. v. breviora, rosulata, linearia, depressa, fistulosa, bilocularia, margine integerrima; caulina minima, rara. Caulis florifer scapiformis ex aqua emersus 1–2 ped. Flores 5–9, racemosi pedicellati, pallide coerulei, fere albi. Antherae cyaneae, inaequaliter albo-barbatae, 2 inferiores (nec omnes) apice pennicillatae. Filamenta basi

libera. Capsula ad $^2/_3$ longitudinis suae cum calyce connata, lineari-obconica.

In lacubus et stagnis isthmi Kareliae hinc inde copiosissime et gregatim fundum non nimis altum, purum et sabulosum caespitis amoeni instar obtegens; rarissime in reg. demissa Petrop. et hic limites austro-orientales distributionis geographicae suae attingens. Initio v. medio Junio scapus ex aqua emergit et usque ad init. v. med. Aug. floret; fruct. mat. a fine Julii. ♃ dicitur, an potius ⊙ vel ♂?

Hist. spec. Ad littus ins. crucis et passim in aqua ad ripas minorum ramorum Newae fluv. (Laxmann ex Gort. Append. ad Fl. Ingr. 1764, p. 202 s. *Lob. Dortm.* L. ut seqq.; Sobol. Petrop. 1799, p. 205, n. 568; ed. ross. II, 1802. p. 180, n. 585); in lacu prope Pergolam! et in ramis Newae, Jun. Jul. (Weinm. Pawl. 1824. p. 104 et Petrop. 1837, p. 24, n. 150); in proximo lacu Pargolensi! etiam ad pagum Rjabowo (Turcz.! 1825, n. 166); Manachtina (Kühlewein!); cop. ad Kivinemi (conf. supra p. 371); ad insulam quandam lacus Karawaldai pr. Gor Waldai ad litus austr. sinus Kronstadt. in sinum Fennicum abeuntis (D. Paulson).

Fam. IL. CAMPANULACEAE.

Char. Herbae, plerumque lactescentes, foliis alternis simplicibus. Flores perfecti regulares. Calycis tubus cum germine connatus, limbus persistens. Corolla campanulata v. tubulosa, marcescens. Lobi cal. et cor. 5, aestivatione valvati. Stam. 5, filamentis basi saepe dilatatis, ovario insertis, nec corollae. Stylus simplex, pilis pollen colligentibus obsessus; stigma nudum, plerumque lobis loculorum numero. Capsula infera v. semiinfera, 2-, 3- v. 5-locu-

laris, saepe poris dehiscens, polysperma, placentis centralibus. Semina horizontalia; embryo in axi albuminis.

Affinitas per familiam antecedentem cum *Compositis;* remotior cum *Vaccinieis.*

Qual. et usus. Succus lacteus admixta mucilaginis dulciusculi larga quantitate innocuus redditur, inde radix in quibusdam v. g. *C. rapunculoide* carnosa, *Scorzonerae* aut *Tragopogonis* instar edulis et nutriens. *Campanularum* nonnullarum folia leniter adstringentia sunt et in angina faucium ad gargarismata olim adhibebantur, unde nomen *Trachelium* et *Cervicaria.*

Genera indigena :

CIXC.) OVILLA. Cor. 5 partita, laciniis linearibus primum coalitis, denique deorsum fissis. Filam. subulata, antherae basi cohaerentes (inde Linnaeo Syngenesia Monogamia). Caps. 2 loc., apice libero rimis 2 confluentibus dehiscens. Flosculi in capitulum aggregati.

CXC. CAMPANULA. Cor. campanulata, fundo clausa filamentis basi dilatatis. Antherae liberae. Capsula 3 locularis, foraminibus 3 basilaribus v. lateralibus et fere apicalibus.

CIXC.) OVILLA.

Nomen et genus *Jasione* pro planta nostra a Linnaeo 1735 primo introductum, forte propter adnotationem C. Bauhini in Pinace. Alienissima certe est *Jasione* Plin. = ἰασιώνη Theophr. hist. I, 21 et caus. II, 25, planta humi repens v. in arbores scandens, forte *Calystegia sepium.* Nostra patribus primis *Scabiosae* species erat, donec Columna et C. Bauh. ad *Rapuntium* vel *Rapunculum* transposuerunt. Nonnullis, monente Lobelio 1576 *Aphyllanthes* (Theophr. et Plinii, conf. Dalech.) videbatur, sed antiquior est *Aphyllanthos* Monspeliensium

Penae et Lobelii 1570, quae etiam Linnaei est. Hinc forte Adanson 1763 loco *Jasione Ovillam* e nomine antiquissimo adjectivo posuit.

389.) *O. globulariaeflora* = *Jasione montana* L. = *Rapuntium montanum capitatum leptophyllon* Columna 1606, tab. 227 = *Scabiosa media* (Lobel. 1576, fig.!) *globulariae flore* Pena et Lob. 1570! = *Scab. ovilla* Dodon. 1553 fig opt.!; Camer. 1588! (pabulum ovibus praedilectum).

Radix simplex 1- v. multicaulis, non stolonifera. Caules angulati, ramosi, in macris specc. simplices. Herba pedalis v. humilior, inferne plerumque cano-hirsuta, superne glabra. Folia lato-linearia, undulata, annotina circa radicem rosulata, apice latiora. Pedunculi fastigiati, longi, nudi, apice capitulo $1/2$ poll. s. minori (fructifero interdum fere 1 poll.) terminati. Flores azurei.

Hist. spec. Ingria (Georgi 1800, p. 772, n. 1, s. n. *Jasione mont.* L. ut seqq.); in superiore parte Nevae in arenosis, Jul. Aug. (Weinm. Petr. 1837, p. 24, n. 149); planta characteristica pro regione arenosa syst. Devonici medii (R. Iter Ingr. 1853 in Bull. XII, p. 92, n. 222); copiosissime circa urbem Luga in collibus arenosis, parcius in arenosis et campis sterilibus ad lacum Tscheremenetz, inter Novoselje et Katjeshnaja, Soltza, Lotschkina, Polja, Lutzkaja pr. Jamburg; sed in ditione Fl. Petrop. et parte orientali Ingriae nullibi vidi. Floret saltem a fine Junii usque ad finem Julii v. serius; fruct. mat. ab init. Julii. ♂, e seminibus educata interdum autumno anni primi floret.

CXC. CAMPANULA.

Vox minime classica, e forma florum campanae simili, in idiomate vernaculo plurimarum gentium obveniens. *Campanula* apud Ruellium 1536 adhuc cum *Convolvulo* confusa. *Campanula* Fuchs 1542, Dodon. 1553, Lobel., Tabern., Clus. continet genuinas generis ho-

dierni species. *Campanulae* glabrae apud patres saepe *Rapunculi* nomine obveniebant (conf. p. 651), hirsutae vero s. n. *Trachelium* Dodon. Lobel. Clus. Thal. aut *Cervicaria* Fuchs, Lonic. Dodon. Tabern. Thal. Ex hac differentia C. Bauhinus *Campanulas* sub 2 titulis genericis habuit. Rajus *Trachelium* foliis hirsutis segregat a generibus glabrifoliis: *Rapunculo* (radice carnosa esculenta) et *Campanula* (radice lignosa v. tenui). Tournefort genus *Phyteuma* sub nomine *Rapunculus* a genere *Campanula* distinxit. *Campanula* apud Linnaeum adhuc multa genera affinia includit: 1) *Speculariam*, a Heistero 1748 vel potius a Rajo separatam; 2) *Canarinam* Juss. 1789; 3) *Lightfootiam* L'Herit. 1788; 4) *Wahlenbergiam* Schrad. 1814; 5 *Adenophoram* Fisch. 1816; 6) *Musschiam* Dumort. 1823; 7) *Edraianthum* A. Dec. 1830; ita ut character genericus recentiori modo tempore stabilitus fuerit.

§. 1. Flores sessiles, glomerati. Capsula erecta.

390. *C. glomerata* L. = *C. pratensis fl. conglomerato* C. Bauh. 1623! = *Cervicaria sphaerocephalos* Clus. 1601! = *Trachelium minus* (s. *Cervicaria minor* Dodon. 1553 fig. opt!) Lobel. 1576 fig! repetita in variis edit. ex offic. Plantini = *Uvularia exigua* Trag. 1552!

Radix perennis. Caulis glaber v. rarius hirtus. Folia radicalia ovata basi cordata v. ovato-lanceolata basi rotundata. — Variat floribus majoribus 1 poll. et minoribus $1/2$ poll., albis, foliis tenuioribus longioribus (in umbrosis), angustioribus et latioribus, subglabris v. cano-pubescentibus, caule superne ramoso; sed varietates in Koch Syn. memoratae desunt. Conf. etiam M. Bieberstein Fl. Taur. Cauc. III, 142, ubi de pl. Petrop. agit.

In pratis, pascuis, secus vias, in collibus graminosis, rarius in umbrosis, ubique copiose. Floret ab initio Junii v. serius usque ad med. Sept. ♃.

Hist. spec. Inter Ischoram Niewae usque ad Nowgorod (Gmelin mss. 1733, n. 9, ex syn. C. Bauh.); in in-

sula Petri! unum tantum exemplar inveni (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 206); per totam Ingriam vulgaris (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 35): in pratis sylvaticis montosis (Sobol. Petrop. 1799, p. 55, n. 162; ed. ross. I, 1801, p. 173, n. 168); in pratis fertilibus et in locis siccioribus passim (Weinm. Pawl. 1824, p. 107); ubique (Turcz.! 1825, n. 159), in herbosis ubique, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 25, n. 158).

391. *C. echiifolia* (Thal., C. et J. Bauh.) = *C. Cervicaria* L. (sed *Cervicaria* plur. patr. et primitiva erat *C. Trachelium*) = *C. foliis Echii* C. Bauh. 1620 fig. opt! et herb! teste Hagenb. = *Trachelium altissimum* hirsutum asperius fol. angustis («*Echii*» in descr.) J. Bauh. 1651 fig. bona! pl. in Alsatia 1592 lectae = *Cervicaria major tenuifolia* Thal. Harcyn. 1588 opt. descr.! «*Echii foliis*».

Radix crassa, biennis. Caulis hispidus, praecedente robustior et altior, interdum 3 ped., simplex, strictissimus. Folia radic. lineari-oblonga in petiolum attenuata, caulina conferta erecto-adpressa angustiora. Flores praecedente plerumque minores, vix ultra $1/2$ poll., laetius coerulei, variant pallidiores.

In graminosis siccioribus, collibus argilloso-calcareis, per totam fere Ingriam, sed semper parce; Petropoli praecipue in reg. elevata, rarissime in demissam aberrans (Tschesme, Ligowka); in isthmo Kareliae pr. Lembalowa; ex sept. urbis Luga in ericetis arenosis, Gorodetz, Sapolje. Floret ab initio v. medio Julii usque ad init. Aug., sed saepe jam fine Julii deflorata fr. mat., ita ut florendi tempore angustissimo inter reliquas *Campanulas* insignis sit; integra planta emortua cum capsulis usque ad finem Junii anni sequentis persistit, numquam rosulas e radice evolvens, hinc, etiamsi contra optimos auctores, ♂.

Hist. spec. Circa fluv. Strelnaja (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 35 s. *C. Cerv.* L. ut seqq.); in pratis argillosis et arenosis, circa officinas lateritias, in tractu Schlisselburgensi, prope p. Rybaczija et sylvis montosis Strelinae

(Sobol. Petrop. 1799, p. 56, n. 163; ed. ross. I, 1801, p. 174, n. 169); in collibus graminosis ad viam quae ducit ab Ochta ab Raebowam, etiam in pratis sylvosis prope Petropolim (Weinm. Pawl. 1824, p. 107); ad margines viae a fabrica pyria Ochtensi Rjäbowam versus ducentis, in m. Duderowo (Turcz. 1825, n. 158); in collibus graminosis asperis et in pratis siccis, Jul. ♂ (Weinm. Petrop. 1837, p. 25, n. 159). Lapuchinka, Kempelowo, aquaeduct. Taitz., Gatschina, Arbonje, Bornitzy, Hinkelowa, Kauschta, Lissino.

§. 2. Flores pedicellati, racemosi vel paniculati.

392. *C. latifolia* L.! = *C. maxima foliis latissimis* C. Bauh. 1623 sec. Linné; circa Basileam rariss., deest in herb. C. Bauh. Ex opinione Bauhinorum huc spectat: *Trachelium majus Belgarum* Lobel. 1576, 1581 c. fig. repetita apud Clus. 1601, sed parum tantum simili. Citatur a Linnaeo: *C. pulchra* (e Burgundia) J. Bauh. 1651 fig.! et pro var. albiflora: *Trachelium anglicum septemtrionale, candidum* Lobel. 1576 (cujus fig.! apud J. Bauh.).

Caulis obsolete angulatus, glaberrimus, altitudinis humanae. Pedunculi axillares uniflori racemum constituentes. Folia tenuia, laevia, glabrescentia, caulina brevipetiolata, ovata, acuminata, grosse duplicato-serrata, infera cordata. Calyx glaberrimus, corolla maxima 2 poll. Semina ovata, complanata, marginata, fere 1 lin.

In sylvis caeduis et fruticetis montosis, locis humidis umbrosis, rarius: Pulcovo, Nikolskoje, ad sinum Fennicum pr. Kernowa, Pustosch Scherschino pr. Gorodetz cop., Lotschkina, ad fl. Pljussa pr. Polja. Floret init. v. med. Julii, fr. mat. ab init. Aug. ♃.

Hist. spec. In Ingria ad fabricam Rudicensem, 60 werstas a Petroburgo (Lomonossow ex Gort. Append. ad Fl. Ingr. 1764, p. 196); Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 128, n. 230, verosim. e Gorter transscript.); in monte Pulcowo! et Duderowo, sed parce (Sobol. Petrop. 1799, p. 55,

n. 159; in ed. ross. I, p. 171, n. 165 excl. fabr. Rudicensis); in montosis Pulcovae haud frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 107); in montibus Pulcowo et Duderovo (Prescott ex Turcz.! 1825, n. 155); in fruticetis humidis, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 24, n. 154).

393. *C. Trachelium* L. = *Trachelium vulgare* Clus.! 1601, fig. ex Dodon. 1569 = *Camp. vulgaris* Gesn. Coll. p. 115 (sec. Haller) = *Cervicaria major* Dodon. 1569 fig.! repetita 1583 = *Trachelion majus* Dodon.! 1553, fig. ex Fuchs 1545, ubi *Camp. major!* = *Campanula* s. *Cervicaria* Fuchs 1542 fig. opt.! diminuta in edit. 1545; Lobel. 1576, fig. ex Dodon. 1569. Apud Fuchs, Tragum alq. patres «*Urticae folio*» descripta.

Caulis argute! angulatus, hispidulus. Pedunculi axillares 1 – 3 flori, racemum compositum constituentes. Folia saepe asperula!, caulina media (in figg. patrum) cordata acuminata, grosse duplicato-serrata (similia *Urticae urenti*), Calyx ± hispidus. Corolla $1\frac{1}{2}$ poll. v. minor. — Variat: caule humiliori, racemo depauperato trifloro, floribus albis, fol. angustioribus et longioribus *Urticae dioicae* similioribus: *C. urticaefolia* Schmidt 1793! non All. = *Cervicaria major* II. Tabern. 1590 fig.!

In umbrosis, fruticetis et sylvis montosis, Petropoli et hinc inde per totam Ingriam v. g. ad lacum Tscheremenetz, cataractas fl. Wolchow. Floret ab init. v. med. Jul. ad med. Aug. ♃.

Hist. spec. Huc forte: *Cervicaria*. circa Duderhof et Krasno Selo m. Jun. reperta (Amman mss. post 1736; specc. e Duderh. adsunt in herb. Acad. cum schedula Gmelini sen.). In sylvis ad flumen Strelnaja nihil est hac planta vulgatius (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 35); in pratis montosis Pargelovii, Strelinae et in aliis locis similibus maxima in copia (Sobol. Petrop. 1799, p. 55, n. 116; ed. ross. I, 1801, p. 173, n. 167); in montosis Duderhovii!, Pulcovae! et prope Slavienkam (Weinm. Pawl. 1824, p. 106, cum var. ped. axill. unifloris); copiose Pargelovii et

in montibus Pulkowa! et Duderovo! (Turcz.! 1825, n. 157); in sepibus et fruticetis, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 24, n. 155).

394. *C. rapunculoides* L. = *C. hortensis Rapunculi radice* C. Bauh. 1623 et herb.! = *Rapum sylvestre quartum* «radices similes rad. *Rapunculi*» Dodon. Coron. 1569! et 1583! bene descr., ut apud Clus. 1583!.

Radix repens! exstirpatu difficilis, saepe residuis petiolorum squamata. Caulis $1\frac{1}{2}$ ped. vel minor, obtusangulus, hirtus, rarius glabrescens (β. *neglecta* Ledeb. Fl. Ross.), sed pedunculi cum ovariis semper dense et adpresse hirti! Folia inaequaliter serrata, aspera, utrinque pilis brevissimis rigidis subhirsuta, caulina inferiora basi cordata, superiora lanceolata sessilia. Racemus simplex terminalis secundus. Calycis floriferi laciniae lanceolatae, 3 rarius 4 lin. Corolla $\frac{3}{4}-1$ pollicaris. Semina *C. latifoliae*, sed duplo minora. — Variat: 1) humilior 5 poll., racemo depauperato, subunifloro (Duderhof! J. G. Gmelin, qui pro *C. latifolia* L. habuit; an haec var. glabra *C. rhomboidalis* a Krasch. memorata?); 2) pedunculis inferioribus longioribus 2–3 floris, ideoque racemo composito pyramidali (huc *C. crenata* Weinm. Petr.); 3) macrantha, corolla $1\frac{1}{4}$ poll., ampla; 4) *micrantha*, corolla 3–4 lin., folia cum caule glabrescentia, planta humilior habitu alieno.

In arvis et versuris agrorum, forte cum cerealibus introducta, hinc inde, praesertim in reg. elevata c. Petrop.; in isthmo Kareliae pr. Jukki, sed deest in reliqua Fennia; var. *micrantha* in fruticetis declivibus ad fl. Pljussa pr. Polja. Floret a medio Junii v. serius, saltem usque ad finem Julii; in umbrosis ad init. Octobr. usque; fr. mat. a fine Aug. v. prius. ♃.

Hist. spec. In sylvis circa fluvium Strelnaja (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 34); in pratis sylvosis, cultis, prope fluvium Strelinam (Sobol. Petrop. 1799, p. 55, n. 160; ed. ross. I, 1801, p. 172, n. 166); in montosis Duderhovii! et Pulcovae et ad sepes prope Slawjankam (Weinm. Pawl.

1824, p. 107); in sylvis Strelnae, Peterhofii et Oranienbaum (Turcz.! 1825, n. 156); in sepibus, Jul. Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 25, n. 156).

Obs. Var. β. *neglecta* (Besser 1816) e Petropoli indicatur a Ledeb. Fl. Ross. II, 1846, p. 884 fide spec. examinati. Ledebour huc citat *C. crenatam* Weinm. et cum? *C. rhomboidalem* Gorter.

C. crenata Link, cum citato Rchb. pl. crit. VI, fig. 702: in fruticetis siccioribus ad sylvarum margines, Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 25, n. 157). Specimen in herb. Weinm. e via ad pag. Nikolskoje differt forte a planta Link. et Rchb. calyce non glabro sed adpresse hirto, floribus solitariis; mihi videbatur *C. rapunculoidis* var. superne patenti-ramosa, eximie pyramidata, floribus minus exacte secundis.

C. rhomboidalis L. jam in Diatr. Petr. 1845, p. 46 pro planta erronea declarata. Passim cum *C. rapunculoide* in sylvis pr. Strelna (Krasch. mss. n. 228 ex R. Diatr. l. c.); nostra planta subaspera; varietas autem glabra in monte Duderhofii occurrit, quam tamen ipse non legi (Krasch. Codex n. 50 et Gorter 1761, p. 34 cum syn. «*C. alpina glabra* flore dilutissime coeruleo J. Bauh. hist. II, 806, propter figuram foliorum et dispositionem florum bona»); in sylvis umbrosis Pargelovii, Osinovae Roschzae, montis Pulcovi et in monte Duderovo copiosissime, cum suis varietatibus subasperis et glabris, flor. coeruleis et albis; fl. Jun. Jul. (Sobol. Petrop. 1799, p. 54, n. 158; ed. ross. I, 1801, p. 171, n. 164, s. *C. rhomboidea* L. ut seq.); Ingria (Georgi 1800, p. 774, n. 11). Fig. in J. Bauh. a Krasch. laudata non male refert *C. rapunculoidem*, cujus imago apud patres fere desideratur; confusionum multiplicium fons.

395. *C. persicifolia* Lobel. 1576 fig.! petita ex Dodon. 1569 et repetita 1581; Clus. 1601! fig. eadem, Raj.! L. = *C. media* Dodon. Coron. 1569 fig.! repetita 1583 = *C. cerulea* Dodon. 1553 fig. opt.!

Folia radicalia oblongo-obovata in petiolum decurrentia, cuneata, caulina lanceolata, remote serrulata, suprema linearia integerrima. Racemus subsimplex pauciflorus. flores longepedunculati 2–3-bracteati. Calycis laciniae lanceolatae 3–7 lin. Corolla $^3/_4$–1 poll., basi ventricosa. Capsula foraminibus infraapicalibus dehiscens. — In Ingria semper glaberrima; variat tantum fol. angustioribus v. latioribns, fl. albis et β. *eriocarpa* Koch: ovario pilis albis crassis obsito.

In pratis, praecipue elevatis, inter frutices et in sylvaticis montosis, per Ingriam hinc inde copiose. Floret saltem a medio Junii ad med. Julii v. serius; init. Sept. fruct. apertis et seminibus delapsis. ♃.

Hist. spec. Ubique inter Petrop. et Wyschnei Wolotschok (J. G. Gmelin mss. 1733, n. 8, ex syn. J. Bauh.); in pratis ad fl. Wolchow! et in sylva insulae apothecariae paullo supra ostium rami Karpowka dicti (ex Kraschen.); item copiose in pratis a sinistra, circa praedium ill. cancellarii Com. de Woronzow, quod est ad viam, quae Petropoli Peterhovium tendit (Gorter Fl. Ingr. 1761, p. 33, pp. e Krasch., qui var. albifloram addidit); in praedio ill. Com. Petri de Czernischew, quod est ad 17 werstam viae regiae, quae Peterhofium ducit (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764, in addendis), tum in monte Pulcovo et Duderovo! (Sobol. Petrop. 1799, p. 54, n. 157, additis locis e Krasch. et Gorter; ed. ross. I, 1801, p. 170, n. 163); in pratis et sylvis siccioribus frequens, β. pumila in siccis prope Petropolin (Weinm. Pawl. 1824, p. 105); in prato ad fl. Karpowka, ad ripas Newae (Turcz. 1825, n. 154); in herbosis et graminosis sylvaticis (Weinm. Petrop. 1837, p. 24, n. 153); Oranienbaum, Taitz, Bornitzy, Lapuchinka, Nikolskoje, ad viam Schlüsselburg. et alibi.

396. C. *patula* L. 1753! = *Rapunculus sylvestris* Tabern. 1590, p. 410, figg.!

Folia *C. persicifoliae*, sed plerumque minora. radicalia brevius petiolata, caulina breviora basi latiora sessilia (v. quidpiam decurrentia: *C. decurrens* L. 1753), obsolete

crenulata. Paniculae subcorymboso-fastigiatae lucidae ramis patulis. Calycis laciniae subulatae. Corolla $^1/_2 - ^3/_4$ poll. basi angustior, fere infundibuliformis. Capsula ut in *C. persicifolia* dehiscens; semina minuta. — Semper glaberrima, etiam in ovario. Variat macra, uniflora, multicaulis, etiam albiflora.

In pratis, ad margines sylvarum, per totam Ingriam copiose. Floret a med. Jun. ad med. Sept.; fruct. mat. a fine Junii v. serius. ♂.

Hist. spec. Circa Catharinenhoff, fl. Jul. (Amman mss. 1735, n. 67, ex syn. Dillen. et Merret Pinax); in prato ad ramum Newae fl. Tschornaja Retschka, prope Petropolin a latere Viburgensi (Gorter, nec Krasch., Fl. Ingr. 1761, p. 33; Sobol. Petrop. 1799, p. 53, n. 156; ed. ross. I, 1801, p. 170, n. 162); Koirowa sec. Falk et in praedio ill. Com. Czernischew ad 17 werstam viae regiae, quae Peterhofium ducit (Gorter Append. ad Fl. Ingr. 1764; additur var. albiflora); in pratis humidis, in campis et ad margines sylvarum, fl. Majo-Jul. (Liboschitz et Trin. Fl. Petrop. et Mosq. 1818, p. 72, tab. XXIII); in campis, arvis et nemoribus frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 105 cum var. albiflora); ubique (Turcz.! 1825, p. 153); in locis cultis et in graminosis, Jun. ad Aug. (Weinm. Petrop. 1837, p. 24, n. 152).

Adnot. 1. *C. Rapunculus* L. Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 127; Sewergin Bot. ross. II, 1794, p. 46, n. 42), pro planta erronea declarata in R. Diatr. 1845, p. 46; statio Petrop. igitur delenda in Ledeb. Fl. Ross. II, 1846, p. 887. Verosimiliter *C. patula* L. erat. Proxima omnino *C. Rapunculus* dignoscitur: panicula subracemosa, pyramidata, apice attenuata, pedunculis longioribus basi (nec apice) divisis; fig. bona apud Lobel. 1576 s. n. *Rapuntium parvum*.

Adnot. 2. *C. uniflora* L. in prato amoenissimo ad fl. Wolchow (Krasch. ed. Gorter 1761, p. 33, cum observ.), ubi unicum tantum specimen inveni (Krasch. mss. n. 231, ex R. Diatr. 1845, p. 46, ubi pro planta erronea declarata). Auctoritate sola Gorteri recurrit apud

Sob. Petr. 1799, p. 53, n. 154, Georgi 1800, p. 772, n. 1, Adams Mosq. et Petrop. p. 111. Ledeb. in Fl. Ross. II, 889 plantam Gorteri et Georgii pro *C. rotundifolia* explicat; an *C. patula* macra uniflora, sed flos nutans et habitus figurae a Linnaeo exhibitae conformis dicitur.

397. *C. rotundifolia* Gerard 1597, 1636!; Raj. 1686!, L. = *C. minor rotundifolia* Lobel. 1576 fig. opt.! repetita 1581 = *C. coerulea* Gesner 1561 (non Dodon. 1553).

Caespitosa, multicaulis, pedalis v. minor. Folia fasciculorum sterilium cordato-reniformia, repando-dentata, longe petiolata (in pratis laetioribus mox destructa: *C. tenuifolia* Hoffm.), caulina infima pauca lanceolata, reliqua linearia integerrima. Panicula depauperata lucida. Calycis laciniae subulatae. Corolla fere $1/_2$ poll. Semina $1/_3$ lin. oblonga, immarginata, vix compressa. — Herba glaberrima, interdum inferne ad caulem pilis reversis minute pubescens. Variat flore albo, corolla vel triplo minori vel (macrantha) fere $3/_4$ poll. et: δ. *lancifolia* Mert. et Koch 1826, fol. caulinis infer. et mediis bipollicaribus, 3–4 lin. latis, crenato-dentatis, herba robustiori.

In pratis, graminosis siccioribus, arenosis, secus vias, imo in plateis urbis, per totam Ingriam copiosissime; forma humilior in litore arenoso pr. Strelna et in ins. Kronstadt; var. *lancifolia* rarius in pinetis sabulosis ad portam Mosquensem (Kubarkin!). Floret a med. Jun. v. serius ad Sept. et imo init. Octobr.; forma litoralis tamen fine Aug. ubique deflorata, fr. mat. ♃.

Hist. spec. In pratis siccioribus circa Catharinhoffium (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 173); in sylvis et pratis passim (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 32; duae formae, quarum α. fol. radic. cordatis vix serratis Haller 494 multo copiosior, quod vix intelligendum, nam haec est *C. linifolia* Lam.); in ins. Kronstadt! (Georgi mss. 1795); in pratis sylvosis elevatis passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 53, n. 155; ed. ross. I, 1801, p. 169, n. 161, cum var. minori et linifolia); in locis apricis, pratis siccioribus, ad

sepes ubique (Weinm. Pawl. 1824, p. 105); ubique (Turcz. 1825, n. 152); in pascuis et pratis siccioribus, β. ingrica (an δ. *lancifolia* M. K.?) in arenosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 24, n. 151).

Obs. 1. *C. pusilla* Jacq. et *C. linifolia* Jacq. errore indicantur in Adams Enum. pl. Mosq. et Petrop. p. 112, cum citato: *C. rotundif.* var. *minor* et *linifolia* Sobol. Fl. Petrop. l. c. Prima forte *C. rotundifolia* humilior puberula, fol. caulinis mediis brevioribus latioribus crenatis; altera commutata cum specc. grandifloris, robustis, erectis *C. rotundifoliae.*

Obs. 2. *C. sibirica L.* Newa (Falk Beitr. II, 1786, p. 127), ut planta erronea refutatur in Diatr. 1845, p. 46; statio itaque Petrop. in Ledebour Fl. Ross. II, 1846, p. 879, transcripta solum a Falk, delenda est.

Obs. 3. *Phyteuma spicatum* L. floribus ochroleucis dense spicatis insigne, jam in Livonia pr. Dorpat et Treiden repertum, forte in pratis sylvaticis Ingriae occid. adest.

Fam. L. **VACCINIEAE.**

Char. Fruticuli foliis alternis planis, interdum sempervirentibus, gemmis plerumque squamis imbricatis. Cal. et corolla 4–5 dentata v. fissa, lobis aestivatione imbricatis. Stam. lobis corollae deciduae numero dupla, 8–10; filamenta non corollae adnata, sed ante discum epigynum inserta; antherae apice semper tubuloso-bicornes foraminulosae et dorso saepe bisetae. Stylus 1, stigma simplex. Bacca 4–5 locularis, placentis centralibus polyspermis. Embryo in axi albuminis copiosi; radicula hilum spectans.

Affinitas maxima cum *Ericaceis*, praecipue propter structuram singularem antherarum et insertionem stami-

num. Differentia tamen sufficiens adest in germine perfecte infero, cum tubo calycis connato, ita ut familia *Vacciniearum* inter Monopetalas hypogynas praecedentes ultima sit et transitum ad familias epigynas sequentes perficiat. Non obscurus etiam nexus animadvertitur cum *Campanulaceis* et *Caprifoliaceis.*

Qual. et usus. Folia specierum nostratium substantiam extractivam amaram et acidum mimotanicum continent, sempervirentium pro potu theato inserviunt; folia *V. rubri* pro *Uvae ursi* officinalibus non raro colliguntur. Majoris dignitatis in rebus domesticis sunt baccae edules vel crudae, vel in gelatinam redactae. Harum vero duplex diversitas. *Oxycocca* et *Vaccinia rubra* acida sunt et simul acerba, acidum tantum citricum continent, cui virtutem refrigerantem et antiscorbuticam debent; *Oxycocca* gelu hyemali nondum tacta inedulia, potissimum vere colliguntur. *Vaccinia rubra* et *Myrtilli* syrupum officinis largiuntur et ad parandam speciem cerevisiae et spiritus vini adhibentur. *Vaccinia nigra*, pruinâ caesiâ obducta, praeter acidum citricum etiam malicum continent, simulque sacchari et gummi tantam quantitatem, ut saporem dulcem et qualitatem nutrientem obtineant; praeferuntur tamen baccae *Myrtilli* sapidiores illis *V. uliginosi* magis aquosis catharticis! et vulgo veneno narcotico suspectis, ut nomina vernacula plurimarum gentium indicant. Haec nociva qualitas (vertiginem, temulentiam et cephalaeam inducens) primitus non ipsi quidem *Vaccinio*, sed potius *Ledo* in eodem loco saepe crescenti adscribenda videtur. Baccae *Myrtilli* quoque colorem coeruleum, vario modo mutabilem et usitatum subministrant

Genera indigena:

CXCI. OXYCOCCUM. Corolla 4-partita, rotata, segmentis reflexis. Stam. 8. Antherae dorso setis nullis. Bacca 4 locularis. Folia sempervirentia.

CXCII. VACCINIUM. Cor. 4–5 dentata, campanulata, urceolata v. cylindrica. Stam. 8 v. 10. Bacca 4–5 locularis.

§. 1. MYRTILLUS. Antherae medio dorso bisetae. Flores solitarii v. gemini. Baccae coeruleo-nigrae. Folia decidua.

§. 2. RHODOCOCCUM. Antherae dorso setis nullis. Flores tetrameri, racemosi, campanulati. Baccae rubrae. Folia sempervirentia.

CXCI. OXYCOCCUM.

Nomen inditum a Cordo 1561, compositum ex ὀξύς acidus, κόκκος bacca, coccum; receptum a Lobelio, Thalio, Camerario et J. Bauhino, generice constitutum a Tournefortio et Hallero.

398. *O. palustre* = *Oxycoccus! palustris* Pers. 1805 = *Vaccinium Oxycoccos!* L. = *V. palustre* Schwenckf. 1600! = *Oxycoccus!* (J. Bauh. 1650 fig. opt.!) Tournef.!, Haller! — *Tournefortii* Rupp. 1726! — *Valerii Cordi* Camer. 1588! = *Oxycoccon! Cordi* Lobel. 1576 fig.! Thal.! = *Acinaria palustris* Gesner 1561 in Cord. p. 140! = *Oxycoccum!* Cord. 1561 fig. opt.! = *Vaccinia palustria* Dodon. 1559 fig.! ex Hollandia; Lobel. 1576 fig.!

Fruticulus repens, ramis filiformibus prostratis. Folia coriacea, ovata, acuta, basi cordata, margine revoluta subtus cinereo-glauca. Racemus terminalis depauperatus, e bracteis parvis et pedunculis 1–4 longis pubescentibus bibracteolatis florigeris compositus. Flores nutantes rubri, rarius albi! Sepala margine ciliato-barbata. Bacca vix decidua, purpurascens, sphaerica, $3\frac{1}{2}$–5 lin. in diametro.—

Variat: α.) foliis majoribus, 4–5 lin. longis, 2 lin. latis; β.) *pusillum*, microphyllum, microcarpum, caute a specie sequente distinguendum; γ.) baccis maturis ellipsoideis (Alexandrowicz Eric. Petr. 1844. p. 71).

In sphagnetis ubique maxima copia; β. et γ. rarius. Floret init. v. med. Junii, rarius exeunte Majo; fructus plene maturat ineunte hieme. ♄.

Hist. spec. In locis udis circa coenobium Al. Nevsky, fl. init. Jun. (Amman mss. 1735, n. 53, ex synn. C. et J. Bauh.); in paludibus inter *Sphagnum* frequens (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 59, s. *V. Oxyc.* L., ut Sobol. Petrop. 1799, p. 89, n. 256; ed. ross. I, 1801, p. 270, n. 268); in sylvis et fruticetis humidis, turfosis, *Sphagno* repletis, satis frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 184 s. *O. palustri*, ut seqq.); ubique (Turcz. 1825, n. 252); in sphagnosis copiosissime, Jun. Jul. (Weinm. Petrop. 1837, p. 40, n. 266); Staraja Derewnja, schola saltuaria, Murina, ad portam Mosquensem, ad ripas lacuum pr. Pargola, fl. Majo, Jun. et med. Jul. (Alexandrowicz Eric. Petrop. 1844, p. 77, tab. 2).

399. *O. microcarpum* (Turcz.! ex R. Diatr. Petr. 1845, p. 56 et jam ex a. 1833 in schedulis plant. Baical.; in Fl. Baic. Dahur. vero silentio premitur). An β. *pusillus* Dunal in Dec. Prodr.?, aut var. triplo minor Linné in Fl. Lapp. 1737? sit, propter defectum characterum differentialium et proventum *O. palustris* genuini pusilli, non liquet; species vero latius diffusa per Lapponiam Rossicam, regiones transbaicalenses, ad inss. Unalaschka et Sitcha.

O. palustri typico omni ex parte minor et gracilior, caudiculi tenuiores, folia minora, baccae minores ($2-2\frac{1}{2}$ lin.); semina duplo minora ($\frac{1}{2}$ lin.). Distincto vero *O. palustri* β. *pusillo*, in quo magnitudo partium magis adhuc imminuta deprehenditur, necesse erat, praesentem ut speciem diversam segregare, propter pedunculos constanter glaberrimos, marginem calycis non ciliato-barbatum, folia acutiora, racemum subuniflorum, florescentiam prae-

cociorem, summam characterum ex indole soli non dependentium, ut proventus saepe mixtus, in diversis caespitibus transitus nullos offerentibus, docet.

In sphagnosis, praecipue in reg. demissa Petrop. v. g. inter Ochtam et Lachtam (R. Petr. 1845, p. 56), Alexander Newski, Tschesma, Lissino, Kauschta, ad fl. Luga pr. Gorki. Floret jam fine Maji ad med. Junii. ♄.

CXCII. VACCINIUM.

Genus *Vaccinium* Linnaei 1737 compositum est e Tournefortianis duobus: *Vitis Idaea* et *Oxycoccus*. Genus *Vaccinium* apud Rajum 1682, Rupp. 1718, 1726 consistit e nostris 3 speciebus et respondet *Viti Idaeae* Tournef.; *Vaccinia* Penae et Lobel. 1570 praeter *nigra* et *rubra*, adhuc *palustria* amplectuntur, ut apud Dodonaeum 1559, sed hic *Vacinia* (ut scribit) Vergilii a *Vaciniis* suis et hodiernis (quasi bacciniis) differre dicit. *Vaccinia nigra* Virg. eclog. *Hyacinthum non scriptum* s. *Agraphis* Graecorum fuisse, multi credunt, propter locum quo carmina sua de *Vacciniis* ex Theocrito transscripsit; sed hoc philologis doctis committendum. *Vaccinia*, praesertim *nigra*, in montibus editioribus Italiae fere totius non desunt et locus Plinii 16, 18 non penitus absurdus: «in aquosis proveniunt . . . item *Vaccinia*, Italiae in aucupibus («mancupiis» alii legunt) sata; Galliae vero etiam purpurea, tingendi causa, ad servitiorum vestes».

§. 1. MYRTILLUS.

400. *V. Myrtillus* L. = *V. Rivini* Rupp. 1726! = *Myrtillus germanica* Dalech. 1586 fig.! = *V. nigrum* Pena et Lobel. 1570! Schwenckfelt 1600! = *Myrtillus* officinarum germanicarum Lobel. 1576 fig.! seu *Vitis Idāea Theophrasti* Clus. 1583! = *Myrtillus exiguus* Trag. 1552! = *Myrtillus* Trag. 1552 fig.! Matth. 1562, Lonic., Camer. 1586 fig. opt.! Tabern. 1590 fig.! (dictus a forma baccarum simili baccis *Myrti*) = *Vaci-*

nia nigra, quae *Vitis Idaea Theophrasti* Dodon. 1559 fig.! p. 213 et adnot. p. 393! = ἄμπελος παρὰ Ἴδης Theophr. III, 17 «nascitur ea parte Idae m., quam vocant Phalacras»; baccas describit nigras dulces.

Rami acute 4-anguli. Folia ovata vel cordata minute serrata. Flores in ramulis hornotinis solitarii axillares, nutantes. Corolla urceolato-globosa, virginea viridula, dein rubella. Antherae connexae. Calyx margine integerrimo.

In locis humidis et turfosis nemorum et sylvarum ubique copiosissime; raro (c. Jamburg) in ericetis arenosis. Floret ab initio v. medio Maji; fruct. mat. primi fine Junii v. serius. ♄.

Hist. spec. Inter Petr. et Twer ubique (J. G. Gmelin mss. 1733, n. 5, ex syn. J. Bauh.); in insula Basilii inter ripam et magnam perspectivam in sylva (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 7); inter Lachta et Dubki maxima copia (Krasch. mss. 1752 ex syn. Linné Lapp. et J. Bauh.); in ins. Basilii et passim in sylvis, locis subhumidis (Kraschen. ed. Gorter 1761, p. 58); in sylvis humidis circa pagum Ochtam et passim (Sobol. Petrop. 1799, p. 89, n. 253; ed. ross. 1801, p. 267, n. 265); satis copiose in sylvis humidis et in ericetis, fl. Majo, baccae maturescunt Aug. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1818, p. 113, tab. 38); abundat in sylvis et fruticetis humidis turfosis; fructu coeruleo-albescente ad chortem pecuariam (Weinm. Pawl. 1824, p. 183); in sylvis ins. Krestowsky!, ad viam Wiburgensem! (Turcz. 1825, n. 249); abundat in sylvis, nemoribus et pascuis sylvaticis, Majo, Jun. (Weinm. Petrop. 1837, p. 40, n. 263; additur β. minus, gracilius, ramis minus divaricatis — forma eximie microphylla!); in sylvis umbrosis subhumidis, copiosissime inter! Kalamäkki et scholam saltuariam, in viridario Pargolensi!, ins. Krestowsky! (Alexandrowicz, Eric. Petr. 1844, p. 97, tab. 4).

401. *V. uliginosum* L. = *V. alpinum* Schwenckf. 1600! = *Vitis Idaea altera* (Clus. 1583 fig. opt.!) *major* Tabern. 1590 fig.! = *Vit. Id. Gesneri major* Camer. 1588! = *Myrtillus grandis* Trag. 1552! sine fig.

Rami teretes. Folia obovata (L. Fl. Lapp. — in Fl. Suec. et spec. plant. describuntur ovalia basi ciliata), integerrima, opaca, pallida, subtus glauca reticulata. Flores 1–2 e gemmis aphyllis approximatis. Corolla ovata, alba v. rubella. — Variat fol. majoribus et minoribus, latioribus ovali-rotundatis et angustioribus longioribus oblongo-spathulatis. Folia cum ramis heic semper glaberrima, alibi pubescentia indicantur. — Valde memorabilis est *V. uliginosum splendens* R. Petrop. 1845 p. 56 (jam a D. Alexandr. l. c. p. 104 memoratum e communicatione mea); gemmae floriferae in ramulis solitariae, aphyllae, uniflorae; folia quoad consistentiam et formam normalia, sed viridiora, subtus tantum pallidiora nec glaucescentia, utrinque lucida! jam tempore florescentiae. Petropoli rarissime, vidi tantum spec. in hb. M. Bieberstein et aliud e gub. Kostroma.

In paludibus, turfosis, sylvis humidis muscosis, ubique copiosissimum; circa Jamburg in arena profunda sterilissima fere suffocatum vidi. Floret fine Maji v. init. Junii; fr. mat. interdum jam init. Julii. ♄.

Hist. spec. Petropoli in siccioribus (sic Deschisaux 1725, p. 8); inter Petrop. et Twer in sylvis ubique (J. G. Gmelin mss. 1733, n. 4, ex syn. J. Bauh.); inter Lachta et Dubki passim (Krasch. mss. 1752, ex syn. Linné Fl. Lapp. et J. Bauh.); in sylvis circa fl. Strelnaja frequentissima planta, sed nec alibi hospes, modo sint loca umbrosa, nec adeo sicca (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 58); ubique in sylvis humidis umbrosis, uti circa Ochtam! et ad cimeterium St. Johannis (Sobol. Petrop. 1799, p. 89, n. 254) et ad m. Poclonnaja, atque in insulis Newae fl. (Sobol. Petr. ed. ross. I, 1801, p. 268, n. 266); cum *Myrtillo* frequens (Weinm. Pawl. 1824, p. 183); in sylvis elevatis, v. g. prope praedium Reisig ad viam Wiburgensem (Turcz. 1825, n. 250); copiosissime in uliginoso-sphagnosis (Weinm. Petrop. 1837, p. 40, n. 264): in humidis turfosis, copiose pr. scholam saltuariam, in paludibus pr. Murino et Ochta!, Staraja Derewnja, fl. Majo, Jun., fr. mat. Aug. (Alexandr. Eric. Petr. 1844, p. 102).

§. 2. RHODOCOCCUM.

402. *V. rubrum* (Dodon. 1559, fig. opt.!) Pena et Lobel. 1570! Schwenckf. 1600! = *V. Vitis idaea* L. (nomen falsum, vide *V. Myrtillus*) = *V. foliis Buxi sempervirens*, baccis rubris Rupp. 1726! = *Vit. Idaea sempervirens*, fructu rubro J. Bauh. 1650 fig.! = *Vit. Idaea rubra* Camer. in Matth. 1586 fig. opt.!

Rami cano-pubescentes. Folia crasse coriacea obovata, margine semper revoluta et subtus punctata!. Flores albi v. rubelli. — Variat fol. integerrimis (planta Linnaei) vel obsolete crenatis, apice retusis v. mucronatis, latioribus v. angustioribus, majoribus v. minoribus.

In collibus apricis arenosis, pinetis sterilibus, muscosis sylvaticis, ubique copiosissime. Floret ab init. Junii v. prius, rarius Aug. et med. Sept.; fr. mat. primi ab init. Aug. v. serius, saepe in ver anni sequentis persistentes. ♄.

Hist. spec. Petropoli in siccioribus (Deschisaux 1725, p. 8); inter Petrop. et Twer ubique (J. G. Gmelin mss. 1733, n. 3, ex syn. J. Bauh.); Petrop. in sylvis frequentissime; flor. Jun. et Jul.; baccae Aug. Sept. et Oct. ad maturitatem perveniunt (Amman mss. 1734, n. 5, ex synn. Lobel., C. et J. Bauh.); passim in sylva ins. Basilii (Krasch. Ind. mss. 1749, n. 61); in sylvis nullibi non occurrit (Krasch. ed. Gort. 1761, p. 58 s. *V. Vitis Id.* ut seqq.); in montosis apricis et sylvis ubique (Sobol. Petrop. 1799, p. 89, n. 255; ed. ross. I, 1801, p. 269, n. 267); in locis sabulosis apertis, praecipue ad margines sylvarum, fl. Jun., m. Oct. fr. mat. (Libosch. et Trin. Fl. Petr. et Mosq. 1818, p. 117, tab. 39); vulgare in sylvis tam siccioribus, quam humidis turfosis (Weinm. Pawl. 1824, p. 184); ubique (Turcz. 1825, n. 251); in ericetis sylvaticis ubique (Weinm. Petrop. 1837, p. 40, n. 265); in locis apertis et montosis pr. Toxowa et Pargola; in sylvis v. g. ins. Krestowsky! majus, sed fere semper sterile; flor. ab init. Maji ad Jun., interdum medio Aug. (Alexandr. Eric. Petr. 1844, p. 88, tab. 3).